R. BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
B
85(23-27
NAPOLI

BIBL. NAZ.
Vittorio Emanuele III
RACCOLTA
VILLAROSA
B
85(4
NAPOLI

Digitized by Google

Racc. Villarosa B. 85 23-27

Digitized by Google

Digitized by Google

RACCOLTA

DI VARIE CRONICHE, DIARJ,

ED ALTRI OPUSCOLI

COSÌ ITALIANI, COME LATINI

APPARTENENTI ALLA STORIA

DEL

REGNO DI NAPOLI

TOM. IV

BIBLIOTECA NAZIONALE
NAPOLI

NAPOLI MDCCLXXXII.

Preſso Bernardo Perger.

COLLA LICENZA DE' SUPERIORI.

Digitized by Google

Digitized by Google

PHILIPPI COMINÆI

COMMENTARII

Digitized by Google

Digitized by Google

PHILIPPI COMINÆI

EQUITIS

De Carolo Octavo, Galliæ Rege, & bello Neapolitano Commentarii.

JOANNE SLEIDANO INTERPRETE

LIBER PRIMUS.

POſtquam res geſtas Ludovici undecimi Galliarum regis commemoravi, jam de Carolo ejus filio, & regni hærede, & quamobrem ſit cum exercitu in Italiam profectus, exponam. Fuit ea res inter ipſius familiares, diu multumque diſcepta. Prudentiores enim & rerum periti, judicabant omnes, magnum in eo eſſe periculum: ipſe autem unus probabat inſtitutum, & cum eo Stephanus quidam Verius, humili loco natus, & Briſſonetus, ambo rei bellicæ imperitiſſimi. Hi duo illum, alioqui propenſum, magis incitabant; ideoque in plurimorum reprehenſionem incurrebant. Nam & res omnes neceſſariæ deerant, & ipſe multum erat adoleſcens, & nulla ſuppetebat pecunia, & ante profectionem, mutuo ſumpſerunt Genuæ, ad quinquaginta aureorum millia, maximis uſuris, & tempus anni ad bellum gerendum deficiebat. Una tantum res erat ſubſidio, quod plerique omnes, ex nobilitate præſertim, magnis animis & alacritate profectionem hanc ſuſcipiebant; ſic enim ferebat ipſorum ætas; verum, ſicut erant fiduciæ pleni, ita etiam nullo fere continebantur metu aut imperio. Quare ſtatuendum eſt, Deum hujus belli fuiſſe ducem. Reliqui enim omnes parum præſtiterunt, quanquam videri poſſunt, ejus

 glo-

Digitized by Google

gloriæ, quam ex eo bello Rex ſibi comparavit, authores magna ex parte fuiſſe. Cum annorum Rex eſſet circiter quindecim, venit in Galliam Lotharingiæ Dux, & Barrenſem agrum, quem Ludovicus undecimus poſſederat, item Provinciam Comitatum, quem Carolus Andegavorum Dux, cum abſque liberis moreretur, teſtamento reliquerat Ludovico, reſtitui ſibi poſtulabat. Nam quod Renati, Siciliæ Regis, Andiumque Ducis & Provinciæ Comitis, e filia nepos eſſet, idcirco debere ſe præferri Ludovico Regi, qui eſſet nepos e ſorore, & Provinciam ad ſe pertinere, injuriamque ſibi factam ab avo dicebat. Rex vero, majorum teſtamentis cautum eſſe, ne ad filias deferretur Provinciæ imperium, & ipſum, qui matri ſuccederet, nullum ibi jus habere poſſe, contendebat. Re diſceptata diu, Barram ei reſtituit, & certum equitatus numerum attribuit, & ad quindecim aureorum millia annua promiſit, in annos quatuor, intra quod tempus de jure Provinciæ cognoſci oportebat. His rebus omnibus interſui, propterea quod ejus eram ſenatus, qui tunc communi concilio proeerum & ordinum regni delectus ac conſtitutus fuit. Stephanus autem Verius, qui poſſeſſiones jam aliquot per Provinciam habebat, & profectionem Italicam valde optabat, auctor Regi fuit, ut mihi & nonnullis aliis diceret, ne Provinciam ſibi eripi pateremur. Priuſquam anni quatuor exiiſſent, de quibus convenerat, juriſperiti quidam ejus regionis venerunt in Galliam, ac teſtamenta proferebant, partim Caroli Siciliæ Regis, partim aliorum, qui ex Galliæ regum ſtirpe procreati, Siciliam poſſederant, & non modo Provinciam, ſed & Siciliam, & quaſcunque alias ejus familiæ facultates, ad regem pertinere confirmabant. Hoc illi quidem magna contentione: verum alii longe ſecus atque hi, quos dixi, omnia ſua communicabant cum Stephano Vario, qui valde regem inſtigabat, ne tantam hæreditatem, teſtamento delatam, & Galliæ peculiarem, negligeret. Johannes autem Borboniorum Dux, & alii quidam regis familiares, qui

qui rerum ſummæ præerant, ut adverſus alteram factionem firmius conſiſterent: Lotharingiæ Ducem, qui magni animi erat, accerſiverunt in Galliam, ut ejus niterentur præſidio, ſed rationem tenebant, quomodo nacti idoneum tempus, eum a ſe removerent, quod accidit, quando illi & confirmatas ſuas partes, & Aureliani Ducis, ejuſque clientelæ gratiam & authoritatem minui viderunt. Quanquam certe, niſi de Provincia illi ſatisfacerent, & annuam pecuniam promiſſam dependerent, non erat, quomodo poſt annos quatuor ipſum diutius morarentur. Et cum veniſſet tempus, quo illi ſatisfieri oportebat, atque ille fruſtra ſe moliri videret, iratus diſceſſit. Verum menſibus aliquot ante id tempus, oblata fuit ei pulcherrima conditio, ſi modo adjeciſſet animum, eaque potuiſſet uti. Neapolitani enim regni proceres omnes ac civitates, a Ferdinando Rege, propter ſummam ejus ac liberorum ipſius crudelitatem defecerant, & in Eccleſiæ Romanæ clientelam atque fidem ſeſe permiſerant; cumque Ferdinandus adjutus a Florentinis acerrime reſiſteret, Pontifex Romanus & reliqui omnes, Lotharingiæ Ducem evocabant, eique ſummam imperii deferebant, & interim dum in Galliis occupatur, naves aliquot inſtructæ, & cum his Julianus, Cardinalis Oſtienſis, Genuæ ipſum expectabant, & diſcedentem e Galliis, multi legati atque nuncii, qui ejus rei cauſa Neapoli venerant, magnopere ad profectionem hortabantur. Rex etiam, qui tunc annorum erat undeviginti, videbatur conſilium hoc non improbare, ac velle ipſius uti opera, ideoque & pecunia, & equitatu, & commendationibus eum adjuvare conſtituit. Et quanquam duo illi, de quibus ante dixi, non deſiſtebant Regem admonere ſui juris: ille tamen dimiſſis literis Romam, Florentiam, Genuam, & alio, benevolentiam ei conciliare ſtudebat, quod & ex legatis qui mittebantur, & ex ipſo Duce, dum per Molinum, Borboniæ oppidum, iter faceret, cognovi. Hæc autem eo recito, ut demonſtrem, humilis conditionis homines excitare nonnunquam graviſſimas

mas turbas. Commoratus biduo Molini, contendebat Lugdunum, in Italiam inde profecturus. Sed propter nimiam ipſius deliberationem atque moram, cœperant relangueſcere ejus amici per Italiam, & re deſperata, pacem jam cum Ferdinando fecerant. Ea re nunciata, triſtis & abjectus domum rediit, & authoritatem deinceps apud nos omnem ac exiſtimationem amiſit. Ex nobilitate complures, facta pace, Neapolim reverterunt, ſed per fidem circumventi, in vincula fuerunt conjecti: Salernitanus autem princeps, qui Ferdinandi mores ac ingenium noverat, pacem repudiavit, & Venetias profectus, cum ſuis nepotibus, Biſigniani principis filiis, quoniam amicos in ea civitate habebat, ſenatum conſuluit, an ad Lotharingiæ Ducem, an in Galliam, aut in Hiſpaniam potius eundum ſibi cenſerent: Illi, in altero nihil eſſe præſidii: Regem Hiſpanorum, ſi præter Siciliam & alia quædam loca mediterranei maris, Neapolim quoque teneat, nimis fore potentem: Galliæ autem reges, quamdiu Neapolim poſſediſſent olim, firmam cum ipſis pacem coluiſſe dicebant; & ut eo ſe reciperet, ſuadebant, quod ex ipſo poſtea cognovi. Mea fert opinio, non putaſſe tum illos, fore ut rex aliquando in Italiam accederet. Poſtquam in Gallias illi veniſſent, biennio fere commorati, per Stephanum Verium diligenter ſollicitabant regem, ne res Italicas negligeret. Deinde per Italiam quoque multos interpellabant, in primis autem Joannem Galeacium, Mediolani Ducem. Is erat Franciſci Sfortiæ nepos e filio Galeatio, qui uxorem habuit Bonam, e Sabaudiæ Ducum familia. Erat ea fœmina ſuorum liberorum tutrix, verum ingenio parum valebat, & a Cicone ſcriba pendebat tota, qui liberorum ſalutis cauſa, Galeacii fratres omnes atque cognatos ejecerat. In his erant Ludovicus Sfortia, Franciſci filius, & Robertus Sanſeverinus, vir magnæ virtutis. Verum illa revocavit utrunque poſtea, & loco reſtituit, deprecatore Antonio Teſino Ferrarienſi. Promiſerant illi, nihil ſe contra Ciconem gravius admiſſuros: triduo

duo autem poſt quam erant reſtituti, comprehenderunt, & incluſum dolio vectumque per urbem Mediolanum, cuſtodiæ mandarunt in arce Papienſi, in eoque carcere vitam ille finiit. Erat affinitate conjunctus cuidam ex familia Vicecomitum, quo abſente magis illi audebant. Eo facto, rerum procurationem ſibi ſumpſerunt, ipſam vero liberaliter habebant, & per Antonium Teſinum, quicquid vellet, ſubminiſtrabant, cæterarum autem rerum omnium nihil fere cum ea communicabant, & ſic erat ejus ingenium alioquin, ut delitiis ſolum addicta, res graves non curaret. Ad Teſinum autem, qui gratia plurimum poterat, deferebantur illius voluntate, omnes literæ, quæ quaque de re mitterentur. Id moleſte tulit Ludovicus liberorum patruus, qui ſummam imperii jam antea cogitabat ad ſe transferre, ideoque filios ejus duos, nepotes ſuos, primum ab ea removet, in eamque partem arcis Mediolani traducit, quam ſua lingua Roccetam appellant. Hoc ejus factum probabat Robertus Sanſeverinus, & ex Palavicinis quidam, & arcis præfectus, qui multo tempore non fuerat egreſſus ex ea ſtatione, donec inſidiis & fraude Ludovici, culpa vero ſui domini Joannis Galeacii ducis, caperetur, qui matris ingenium referebat. Liberis eo traductis, ærarium, quod id temporis habebatur omnium longe ditiſſimum, in ſuam poteſtatem redegerunt, ab eaque rationes poſtulabant, & tribus confectis clavibus, cum ex iis unam ei tradidiſſent, Ludovico fuit demandata ſuorum nepotum tutela. Poſtea miſſis huc illuc literis, in Galliam præſertim, inſimulabant eam ſtupri cum Teſino commiſſi, qui Sanſeverini beneficio ſervatus, periculum effugit. Et licet eam poteſtatem obtinerent, tamen non erat eis integrum, quoties vellent, in arcem ingredi, quæ centum & quinquaginta militum præſidio tenebatur. Orta fuit interea ſimultas, quod fieri ſolet, inter Sfortiam & Sanſeverinum, & hic quidem cum alterius offenſionem ac odium ſuſtinere diutius non poſſet, Venetias ivit; ipſius autem filii, Galeacius, & Comes Ga-

ja-

Digitized by Google

jazius, adjunxerunt ſe Sfortiæ, eoque ſunt uſi valde familiariter, quod nonnulli dicebant voluntate patris fieri. Nobis quidem egregiam operam illi præſtiterunt in bello Italico, tum in gratiam Salernitani, quem ſupra nominavi, qui princeps erat ejus familiæ, tum aliis de cauſis, quæ ſuo loco dicentur. Ludovicus in eo rerum ſtatu cœpit non obſcure, quid ſui eſſet propoſiti, declarare; & jam cudebat aurum atque argentum, cujus ab una parte impreſſa erat Ducis, ab altera vero, ipſius effigies, quæ res magnam invidiam ei conciliabat. Mediolani Ducis uxor, erat filia Calabriæ Ducis Alphonſi, egregia fœmina, & valde ſtudioſa dignitatis mariti ſui, verum ille erat imprudentior, & quæ ſecreto ei communicaſſet uxor, enunciabat aliis. Magna etiam erat authoritas atque fides præfecti arcis. Nec enim egrediebatur unquam, & ex fratribus alterum ſemper domi continebat, orta jam nonnulla ſuſpicione. Sed quodam die, Ludovicus cum nepote ſuo Duce, quem animi reficiendi cauſa foras produxerat: domum rediens, ad arcem uſque deduxit, uti conſueverat, cumque præfectus more ſuo comitatus prodiſſet, & paſſum unum atque alterum extra penſilem pontem eſſet progreſſus, ut principem exciperet, captus fuit a Sanſeverinis, Roberti filiis. Qui intus erant milites, e veſtigio pontem ad ſe reducebant: Ludovicus autem particulam aliquam cereæ candelæ juſſit accendi, & niſi prius, quam abſumeretur, ſibi patefacerent, jurejurando minabatur omnibus pœnam capitis. Illi perterriti, deditionem fecerunt arcis, quam rebus omnibus deinde munivit, & quicquid faceret, in gratiam atque juſſu nepotis facere ſe profitebatur. Ipſum vero præfectum in jus vocavit, oblata criminatione, quod Maximiliano Cæſari voluiſſet arcem prodere. Germanos etiam aliquot ejus rei conſcios, ut quidem ipſe jactabat, comprehendit, verum iis dimiſſis, ſcribam quendam ſuum, de quo ſuſpicionem habebat, & alium præterea, quem ejus rei internuncium fuiſſe diceret, capite mulctavit. Præfectum etiam, ubi

ubi diu detinuiſſet, dimiſit, affirmans ſui nepotis matrem, Bonam, ſummiſiſſe aliquando præfecti fratrem, qui ſe interficeret: ipſum vero præfectum facinus illud prohibuiſſe, eoque vitam ſe nunc illi donare dicebat. Mea ſane fert opinio, ſi qua reſediſſet in eo culpa, non fuiſſe condonaturum, præſertim, cum Maximilianus, & propter Auſtriam, & quod Cæſar eſſet, non haberet ibi nullum jus & actionem. Ad ipſum enim ſi delatum fuiſſet ejus loci imperium, maximi erant per Italiam futuri motus, & Inſubria tota ſtatim defeciſſet; quo enim tempore Cæſares eam olim adminiſtrabant, magna erat populi libertas, & ſingulæ domus aureum ſolummodo pendebant annuum. Vicecomites autem, ac deinde Sfortiæ, maximum imperabant tributum; in eoque nulli parcebant ordini. Ludovicus, occupata arce, & qui intus erant, omnibus in ſuam fidem ac poteſtatem adactis, cœpit ſpectare majora; nam qui Mediolanum tenet, is reliquum agrum omnem habet prope ad ſuum nutum ac voluntatem. Eſt autem Inſubria, ſeu Ducatus Mediolanenſis, pro ſua magnitudine, omnium regionum, quas vidi, longe & pulcherrima & fructuoſiſſima, quique eam poſſidet, cogere poteſt ad quingenta aureorum millia quotannis, nulla populi moleſtia vel detrimento: ſed plærique non contenti eo, conficiunt & exigunt ad ſeptingenta millia, quo fit etiam, ut populus novis fere ſtudeat imperiis. Habebat Ludovicus in matrimonio Ferrariæ Ducis filiam, quo facilius illi erat multorum amicitiam in Italia ſibi conciliare: ſed Venetos in primis fœdere ſibi conjunxit, non abſque diſpendio ſui ſoceri. Quod ut melius intelligi poſſit, quædam mihi ſunt extra ordinem dicenda. Ferrariæ Dux, hortatu Ferdinandi, Neapolitani Regis, ſui ſoceri, & Ludovici Sfortiæ, bellum nuper intulerat Venetis, cumque ſolus aliquandiu omnem impetum ſuſtineret, hoſtes aliquam agri partem illi ademerunt, natura munitam, & cum primis fertilem, Poleſinum vocant, cujus duo ſunt oppida primi nominis, Rhodogium & Baſtia. Sed cum ii, quos

quos diximus, & Pontifex Romanus, & Florentini, & Bononienſes auxilium ei ferrent, valde fuerunt hoſtium res afflictæ. Ibi vero Ludovicus pacem demum fecit; utilem illis & per opportunam. Cum enim reliqui omnes, quod eo bello quiſque amiſerat, recuperarent, ſolus Ferrariæ Dux damno fuit affectus, amiſſo, quem diximus, agro, qui & hodie ditionis eſt Venetorum. Sfortiam aliqui dicebant ejus rei cauſa, dono ab illis accepiſſe ad ſexaginta aureorum millia, & Ferrariæ Duci perſuaſum ita fuiſſe ſcio, cujus non dum ille tunc erat gener. Hæc fuit amicitiæ & facti deinde fœderis occaſio. Ludovicum iſta conantem Mediolani, & per Inſubriam, nemo quiſquam impediebat, præter uxorem Ducis, filiam Alphonſi. Ille igitur, ut quo vellet, perveniret, miſſis nunciis atque literis, Carolum Galliæ Regem ſollicitabat, ut Italiam ingreſſus cum exercitu, Regem Neapolis profligaret. Ferdinandus enim, ejuſque filius Alphonſus, longe erant ditiſſimi, & habebantur ab omnibus maximi animi atque virtutis, tametſi res ipſa diverſum poſtea declaravit. Ludovicus autem ingenio quidem & prudentia valebat, ſed erat timidior, & dejectus admodum rebus adverſis, & ſi propoſitum videret aliquod emolumentum, infidus, nam multas mihi cum eo fuit uſus. Et quoniam in illo regis Neapolitani imperio, minus facile conſequi poterat quod optabat, miſſis, ut dixi, nunciis, cœpit animum Regis adoleſcentis excitare quadam gloriæ cupiditate, ſimul quam haberet juſtam belli cauſam, demonſtrabat. Ii quos mittebat, per Stephanum Verium ac Briſſonetum adibant Regem, & utrique magna pollicebatur Ludovicus, & Briſſoneto fuit author, ut ſacerdos fieret, ſeque curaturum dixit, ut in Cardinalium ordinem allegeretur, & quo citius omnia conficeret, ampliſſimam decrevit legationem, cujus erat princeps Comes Gajazius. Ante id tempus miſerat quendam e ſuis ſcribis ad Regem, oratum, ut nepotem ſuum Mediolani Ducem, eo quod Genuam teneret, in fidem ac clientelam ſuam reciperet, ei-

que

Digitized by Google

que jus & authoritatem adminiſtrandi communicaret. Erat iniqua conditio, poſtulare ut abſenti hoc tribueretur. Poterat quidem Rex, beneficio ſingulari, e ſuis aliquem in Inſubriam mittere, qui fide ac jurejurando illum obſtringeret. Cum enim matrem haberet ille tutorem, ego, qui tunc legatus eram Ludovici Regis, jurejurando illam adegi. Verum eo tempore Genuam tenebat Baptiſta Campofuigoſus: nunc vero, poſtquam Ludovicus eam urbem recepiſſet, magis æquum erat, ut ſolenniter ea res atque legitime fieret. Ludovicus autem, ut quod petebat, impetraret, dono dederat quibusdam Regis familiaribus, & in his, Stephano Verio, ad octo aureorum millia. Faciebant hi certe injuriam Regi non mediocrem, facile enim nobis tunc fuiſſet, Genuæ poſſeſſionem invadere. Quod ſi pecuniam quoque fas erat accipere, multo majorem ſummam oportuit poſtulare. Galeacius enim Joannis pater, conſimili de cauſa dederat olim Ludovico Regi ad quinquaginta aureorum millia, ejuſque pecuniæ rex dono mihi dedit triginta millia, ſed opinor Verium eo ſpectaſſe, ut Ludovicum haberet ſui conſilii adjutorem: Ex iis quos dixi, legatis Sfortiæ, Comes Gajazius, privatim ac ſolus cum Rege locutus, maxima illi deferebat auxilia, & quod Ludovicus ſuo arbitrio Inſubriam omnem gubernaret, minimo negocio rem confici poſſe dicebat, & paucis deinde poſt diebus abiit, relicto Comite Lætevillano, qui ſollicitaret. Quod cum iſte diligenter faceret, multi cœperunt animum adjicere, ſed & Rex Peronem Baſſum mittebat id circo legatum, ad Innocentium Pontificem Romanum, Venetos, Florentinos, & ab his invicem ad nos veniebant internuncii. Noſtrorum hominum non una erat ſententia: Regem vero ipſum eſſe profecturum nemo putabat. Interim dum legati ultro citroque commeant, agebatur de pace inter Regem & Philippum Auſtriacum, Maximiliani Cæſaris filium, ſed in eo ipſo tempore quiddam intervenit valde odioſum & indignum; Rex enim, Margarita Maximiliani filia, reli-

ćta, multum adoleſcentula, uxorem duxit Annam, Franciſci Britanniæ Ducis filiam, ut Provinciam illam omnem, pacatam haberet, quam poſſidebat eo tempore totam, præter Rhedones. Erat ejus puellæ nutricius & avunculus Auraicæ Princeps, eamque Maximiliano publice deſponderat. Cum ergo plerique triſtem ac funeſtum exitum metuerent, & Maximilianus inſigni quadam videretur adfećtus contumelia, propter remiſſam filiam, & ereptam ſibi ſponſam, Fridericus Cæſar, ipſius pater, & Comes Palatinus & Helvetii miſſis legatis intercedebant. Erant jam utrique defatigati bellis, præcipue vero Burgundiones, ob civiles etiam diſſenſiones, quo facilius erat pacem aliquam conſtituere. Ad eam aćtionem rex miſit Petrum Borboniæ Ducem, Auraicæ Principem, Cordæum & me. Compoſitio demum faćta fuit in hunc modum, quicquid in Atrebatum agro rex poſſideret, Philippo uti reſtitueret. Cum enim ſoror ipſius deſponderetur regi, paćtum fuit, ſi quis caſus matrimonium hoc impediret, ut tum, quod pro dote attuliſſet illa, redderetur familiæ. Burgundiones autem ex inſidiis jam cœperant Atrebatum & Sanćtomarum. Reliqua ſolum erant Geſdinum, Area, Betuna, quorum oppidorum arces regi licebat ex paćto retinere, ad certum tempus, & præſidiis etiam munire. De nuptiis illis ita commutatis, non idem erat hominum judicium: ſacrarum quoque rerum periti, non uno modo pronunciabant: ipſis quidem fœminis infeliciter fere accidit in partu. Regina enim, tribus editis filiis, incredibili cum dolore mortem eorum deploravit. Margarita nupſit Caſtiliæ Regis unico filio, qui primo poſt nuptias anno extinćtus, uxorem reliquit gravidam, quæ poſthumum edidit mortuum, quo nihil evenire poterat toti regno acerbius. Maximilianus autem in matrimonium duxit filiam Galeacii, Mediolani Ducis, interceſſore Ludovico Sfortia, patruo: ſed eam rem graviter tulerunt Germaniæ Principes, propter ipſius fœminæ obſcuritatem generis. Parum enim eſt ſplendoris in familia Vicecomitum,
ac

ac multo minus in Sfortiis, quorum nomen illuſtre primum effecit Franciſcus, patre natus homine plebejo, ſed ingenio præditus liberali, qui uxore ducta, filia notha Philippi Mariæ, ex familia Vicecomitum, Mediolani Ducis, hæres fuit, atque ſucceſſor ſui ſoceri, & Inſubriam poſſedit, magnus profecto vir, & virtute cuilibet ſuæ ætatis Principi comparandus. Hæc autem eo pertinent, ut demonſtrem, quod ſupra dixi, quam inauſpicato illæ ad noſtas nuptias tranſierint. Et ut ad inſtituum revertar, ubi Comes Gajazius diſceſſit, multa per Italiam noſtri homines tentabant, & rex, quantumvis adoleſcens, valde afficiebatur, ac miſſo legato Perone Baſſo, quem diximus, petebat a Venetis, ut ope & conſilio ſibi in ea profectione adeſſent. Illi, pergratum eſſe quod inſtituiſſet, opem vero nullam ſe poſſe ferre dicebant, propter Turcici belli ſuſpitionem: ut autem ipſi, tanto regi conſulant, quid facto ſit opus, nimis id fore temerarium & arrogans: adjuturos tamen potius, quam impedituros. Acute quidem illi & prudenter, ſunt enim omnium hominum longe ſcientiſſimi, ſed tamen eventus non reſpondit ipſorum expectationi. Neque enim regem ipſum eſſe profecturum putabant, & quod excuſabant de Turca, ſimulatum erat, & qui tunc præerat Turcarum Cæſar, ingenio erat minus excitato, ſed ſperabant illi ſe poſſe jam familiam Arragoniæ, quam vehementer oderant, ulciſci. Ferdinandi enim Regis, & Alphonſi hortatu atque impulſu, Mahometum Turcarum Cæſarem, qui Conſtantinopolim expugnavit, dicebant longius progreſſum, & maximis incommodis ipſorum fines adfeciſſe: Alphonſum præterea ferebant ejus belli, quod Ferrariæ Dux ipſis intuliſſet auctorem, & quosdam ſummiſiſſe, qui ſuæ urbis ciſternas veneno corrumperent, nam quia clauduntur undique mari, plurimum ea utuntur aqua: Hoc illi quidem de iſtis acerbe ſatis & odioſe: ſed vera inimicitiæ cauſa fuit, quod ab illis impedirentur, quo minus ditionem & imperium ſuum per Italiam atque Græciam dilatarent, quod in-

Digitized by Google

in primis deſiderabant, etſi nuper Cyprum occupaverant, nullo ſane jure. Cupiebant ergo bellum illis inferri, & in quamcunque partem ipſi inclinaſſent, ab ea ſperabant conſequi ſe poſſe oppida quædam in ſinu illo maris Adriatici poſita, eaque ſpes tandem ipſos non fefellit, tametſi parum abfuit, quin aberraſſent. Quod etiam ad eum modum, uti diximus, legato noſtro reſponderent, eo pertinebat, ne Regem ipſi viderentur in Italiam evocaſſe. Ad hoc fere tempus Lugdunum rex petebat, eo venit ad ipſum Galeacius, e Sanſeverinis alter, miſſus a Ludovico Sfortia, cum lectiſſimis equis & armis; exercendi atque oſtentandi ſui cauſa, juvenis egregia virtute, eumque ſic adamavit Rex, ut primi ordinis Equitem faceret, qui ſummus eſt honos, & non niſi probatiſſimis communicari ſolet. Illo demum in Italiam reverſo, Lætævillanus in Galliis remanſit, promovendi cauſa itineris. Legatos Rex etiam habebat Genuæ, quorum princeps erat Durſius, ac parabatur ibi claſſis, & ſub exitum menſis Auguſti, rex Viennam, Delphinatus oppidum, ad Rhodani ripam profectus, Aureliorum Ducem cognatum ſuum, Genuam præmiſit. Quod plæriquæ ſic accipiebant, quaſi eo fieret, ut iſte adjutus ab iis, quos diximus, Italiæ nobilibus profugis, cum claſſe illa Neapolim contenderet. Erat tunc Genua in ditione Mediolani ducatus, quem ad ſuum nutum Sfortia gubernabat, ideoquæ Rex nihil in ea urbe non poterat. Supra diximus de Joannis Galeacii, Mediolani Ducis, coniuge, quæ ex omnibus una reſiſtebat conatibus Ludovici: verum id fruſtra fuit, quod Rex paratum habebat exercitum, & quod ipſius maritus, per imprudentiam omnia communicabat Ludovico, qui & nuncium quendam nuper fecerat ſubmergi, quem illa cum literis ad ſuum parentem Alphonſum emiſerat. In eam, de qua diximus, claſſem, maximi [illegible]t ſumptus, & quicquid undiquæ potuit corrogari pecuniæ, eo fuit impenſum, neque tamen ullus prope fuit uſus. Nam neque rex per ætatem, cum eſſet annorum vingintiduorum, ſatis

ſatis providebat, & quibus ipſe præcipuam adminiſtrationem commiſerat. Verius, atque Briſſonetus, ii propter earum rerum imperitiam, nihil idonee procurabant. Quo magis etiam videre licet, & admirari potentiam Dei, qui tam fœlicem dedit exitum. Alphonſus enim nuper a morte patris Ferdinandi, Rex factus, & conſecratus ab Alexandro Sexto, Pontifice Romano, Arragonio, habebatur ab omnibus valde peritus rei bellicæ, & erat inſtructus rebus neceſſariis, & fautores habebat Florentinos, & Turcarum Cæſarem, non alienum. Erat etiam ei filius Ferdinandus, annorum circiter viginti trium, egregius invenis, & populo valde acceptus, item frater Fridericus, vir prudens, & claſſis ipſorum præfectus, ac noſtrarum rerum non imperitus, onga conſuetudine atque convictu. Succeſſit hic nepoti ſuo, Ferdinando Regi, ac memini, cum tu mihi aliquando diceres, Archiepiſcope Viennenſis, aſtra præſignificare illi, & pelliceri dignitatem regiam. Cujus rei cum apud ipſum facta fuiſſet mentio, aureorum millia duo annua mihi promiſit, per Italiam, ſi quidem iſtud accideret. Regem valde ſollicitabat Ludovicus, & literis, & per Lætævillanum, ut acceleraret. Ibi vero ex iis, qui profectionem antea ſuaſerant, nonnulli cæperunt dubitare. Briſſonetus imprimis, quod rex moleſte tulit. Stephanus autem Verius, nihil quidem mutabat, ſed quod ex ipſius famulis quidam deceſſerat, & de contagione morbi aliqua ſuit orta ſuſpitio: cogebantur aliquandiu a congreſſu & colloquio regis abſtinere. Ita fiebat, ut nemo rem ſollicitaret amplius, imo prudentiores omnes ac regis familiares, & in his Borboniæ Dux cum uxore, ſtudebant impedire, ſuique conſilii multas adducebant rationes, & cum Briſſoneto de iis omnibus communicabant. Poſt multam vero diſceptationem. Rex tandem decrevit omnino proficiſci, & ut commodius abſque majori comitatu tranſiret Alpes, omnium primus in viam ſeſe dedit. Sed ne tum quidem ſatis adhuc de profectione conſtabat, & cum eſſem in

primo

primo agmine, revocabar, affirmantibus nonnullis, regem aliud ſtatuiſſe. Eodem die Rex a mercatore quodam Genuenſi, mutuatus eſt ad quinquaginta aureoum millia, ſine uſura: eam pecuniam Ludovicus occulte pendebat, interpoſitis fidejuſſoribus, qui eam redderent mercatori, quem diximus, in his ego quoque fui, & pro ſex millibus ſpondebam. Non multo ante mutuatus etiam erat Genuæ tantundem, ut ſupra diximus, ejuſque pecuniæ uſura crevit, intra menſes quatuor, ad ſeptem aureorum millia. Rumor erat, quoſdam ex noſtris lucrum ex eo percipere. Vienna Rex digreſſus, ad viceſimum tertium Auguſti diem, Aſtam petebat, & in itinere, cum eſſet Suſæ, venit ad ipſum celeribus equis Galeacius Sanſeverinus, illinc Taurinum profectus, & ornamenta Sabaudiæ principis viduæ mutuatus oppignoravit pro duodecim aureorum millibus, & ex viduæ Monſerratenſis ornamentis tantundem confecit, ex quo facile intelligi poteſt, quis fuerit ejus belli futurus eventus, niſi Deus rem gubernaſſet. Interim dum Aſtæ dies aliquot commoratur; venit ad eum Sfortia cum uxore, & ampliſſimo comitatu. Biduo poſt, Nonium rediit, quod eſt ejus loci caſtellum, & ab Aſta mille paſſus abeſt, eoque conſultandi cauſa quotidie conveniebamus. Habebat Alphonſus per id tempus duos exercitus, unum in Flaminia, cui filium ſuum Ferdinandum præfecerat, cum Virgilio Urſino, & Comite Petiliano, Joanne Jacobo Trivultio, alterum vero maritimum, cui frater ipſius præerat, Fridericus. Noſtris copiis eret præfectus Albinius Scotus, vir magnæ virtutis. Ex erant cohortes aliquot Helvetiorum, item circiter ducenti equites cataphracti, levis autem armaturæ quingenti, Itali omnes, quibus Comitem Gajazium Ludovicus præfecerat, valde ſollicitus, & vehementer metuens, ne quid detrimenti iſti acciperent, quod ſi accidiſſet, rex domum reverſurus erat cum reliquo exercitu, ideoque in ſummum ille diſcrimen veniſſet, propter hoſtium propinquitatem, quibus cum nonnulli jam per Inſubriam

ſubriam ſua, conſilia communicabant, pertæſi illius imperium. Is, quem dixi maritimus Alphonſi exercitus, quæ eſt circa Liburnum & Piſas, freti amicitia Florentinorum. Cum Friderico claſſis præfecto erant nobiles quidam Genuenſes, & in his Brito Fliſcus, quorum opera ſperabat ille poſſe Genuam ad defectionem concitari. Expoſitis autem aliquot copiis militum, circa Rapallum oppidum, prope erat, ut perficeret, quod conſtituerat: ſed in eo fere temporis puncto, dux Aureliorum appulit cum ſua claſſe: inter cæteras naves, erat una mea triremis, admodum grandis, cui præerat Albertus Melius. Ex ea, quod propius ad continentem applicari poſſet, noſtri valde oppugnabant hoſtem tormentis, & ex aliis deinde navibus egreſſi milites, ac Genua profecti terreſtri itinere, conſociabant ſe reliquis noſtris copiis, quas antea dixi, quæ cum propius conſtitiſſent, vix primum illorum impetum ſuſtinuerunt hoſtes, ac fugæ ſe ſe mandarunt, interfectis ad centum, & paucis quibusdam captis, ac in his filio Cardinalis Genuenſis. Miſerat eo copias aliquot Ludovicus, Duce Joanne Adurno, verum ii non interfuerunt ei prælio, & aditum quendam fortiter ab hoſte defendebant. Ad hunc igitur modum profligatus hoſtium exercitus maritimus, e conſpectu noſtro longius retroceſſit. Ubi Genuam noſtri reverterunt, ortus eſt civium tumultus, & ſumptis armis, cum ex Helvetiis noſtris, & ab ipſis quoque nonnulli cecidiſſent, compoſita res demum fuit. Hic mihi digridiendum eſt ad Florentinos, Hi ſemel atque iterum legatos miſerant ad regem, priuſquam e Galliis abiret, & primo quidem epiſcopum Aretinum, & Petrum Sunderinum, de quorum adventus cauſa ut cognoſceremus, mihi rex mandabat, & Verio & Briſſoneto. Poſtulata noſtra hæc erant, ut per ſuum agrum nobis iter darent; ut centum equites cataphractos nobis alerent. Id ſi ita facerent, firmam gratiam atque amicitiam regi cum ipſis futuram. Illi autem ex præſcripto Petri Medices omnia faciebant, cujus pater Lau-

rentius maximam in ea Repub. potentiam & authoritatem habuerat, vir ſummæ virtutis. Eſt autem ea mercatorum familia totius orbis terrarum, meo quidem judicio, longe & ampliſſima & celeberrima. Nam & ſoli procuratores ipſorum atque negotiorum geſtores, magnam ubique fidem obtinebant, quod per Flandriam & Angliam ipſe vidi, & ex iis novi Gerardum Ganueſium, qui mutuatus aliquando regi Angliæ Eduardo ad centum & viginti aureorum millia, prope autor fuit, ut excitato contra ipſum bello civili, rerum potirent. Novi quoque Thomam Portunæum, qui ad Carolum Burgundiæ Ducem, Eduardi fuit fidejuſſor, pro quinquaginta aureorum millibus, & eo amplius. Ejus familiæ fuit princeps Coſmus, qui moderate & liberæ civitati convenienter Rempublicam adminiſtrabat. Sed Laurentio, quod Piſanos, & quaſdam alias factiones metueret, ut in alteris commentariis recitavimus, ad tribuerat Senatus viginti cuſtodes, quibus ille ſolum ad tutelam atque ſalutem ſuam utebatur. Ab ejus morte, Petrus, honoris ac dignitatis paterni ſucceſſor, cum putaret ſatellitium illud ſibi deberi, multa faciebat, & metui volebat magis, quam amari. Alterius legationis quam ille miſerat, cum Rex Lugdunum veniſſet, princeps erat Petrus Capo, per eum, uno minus ipſius poſtulatis morem gereret, excuſabat, ut antea quoque fecerat; & ipſius parentem, Ludovicum regem authorem fuiſſe, Florentinis dicebat ineundi fœderis cum Ferdinando rege Neapolis, & domo Arragonica, quam eo conſtante fœdere deſerere ipſis non liceat. Quod ſi tamen ad ipſorum fines propius accedat, voluntatem atque ſtudium ſuum illi declaraturos, & hoc eo magis nunciabat, quod ſicut Veneti, arbitrabantur Regem non eſſe venturum. In utraque legatione erant, qui male illi cuperent, & in hac poſteriore Capo mandata illius odioſus explicabat, & quo modo civitas adverſus eum excitari poſſet, demonſtrabat, & ipſius deinde hortatu, Rex Florentinis omnibus præcepit, ut e Galliis excede-

de-

Digitized by Google

derent. Hoc eo pertinet, ut quod deinceps evenit, melius intelligi poſſit. Rex enim cœpit illum valde odiſſe, & noſtri homines occulte ſua conſilia conferebant cum illius adverſariis, in quibus etiam erant duo ejus patrueles. Fridericus a nobis rejectus, ut ſupra diximus, claſſem reduxit ad oram maritimam circa Piſas. Florentini autem, qui natura & antiquitus in Galliam magis, quam alio propendent, ceperunt negligere eum, atque faſtidire. Sfortia interim valde Regem urgebat, & in primo congreſſu atque colloquio, ne dubites, inquit, progredi, ac ſis animo conſtanti. Sunt omnino per Italiam, tres longe maximi principatus, Mediolanenſis, Venetus, Neapolitanus. Ex iis primum habes ad nutum ac voluntatem tuam: alter pacem colit, neque ſe commovet: cum tertio ſolum ergo tibi bellum erit. Atqui fuit tempus, cum tui majores, Galliæ Reges debellarunt hos omnes conſociatos. Quod ſi mihi fidem habebis, faciam, ut multo, quam fuit Carolus magnus, evadas potentior, & cum Neapolitanum regnum poſſidebis, non erit difficile Turcam ex Europa profligare. Vere quidem ille hoc de Turca, ſi res idonee, & cum virtute fuiſſet adminiſtrata. Eâ oratione rex magis incitatus, illius ex præſcripto faciebat omnia, quod ex noſtris quidam moleſte ferebant, gratificantes hoc ipſo Aureliorum Duci, qui Mediolanum & Inſubriam ad ſe pertinere dicebat. Erat jam aliquid occultæ ſimultatis inter Verium & Briſſonetum, & hic quidem, quod Sfortiæ tanta habebatur fides, graviter tulit, & ſtudebat alioqui profectionem hanc intervertere, ut ſupra diximus, ideoque Ludovicus cœpit Regem hortari, ut eum domi relinqueret; Eo cognito, iratus ille, inter alia multa dicebat, nihil ei oportere committi, neque dubium eſſe, quin Regem fallat, & in periculum ſit adducturus. Hoc ille quidem ſatis leviter, & alieno tempore: ſed affectus atque ſtudium erga Regem incitabat eum. Poſt hanc diſceptationem placuit, ut in omnes partes dimitterentur nuncii, mihique decreta fuit ad

Digitized by Google

Venetos legatio: cumque Rex, qui tum erat Aſtæ, tenuiſſima valetudine, inciperit habere melius, dabam me in viam, neque longius progreſſurum eſſe putabam. Sexto demum die Venetias perveni, & quod verebar, ne mutata voluntate Rex domum rediret, primis aliquot diebus, lente ac remiſſius agebam. Sed ille continuato itinere Papiam, quod eſt ad Ticinum flumen, contendit, ac ibi primum aliqua fuit orta ſuſpicio. Ludovicus enim non in arce, ſed in oppido juſſerat ei parari locum & hoſpitium, & coactus propemodum in arcem recepit, ubi & noſtrorum excubitorum auctus fuit numerus ea nocte, quod Ludovico valde præter opinionem accidit, & Regem, an ullam de ſe haberet ſuſpicionem, interrogabat. Erant in ea arce Mediolani Dux, Ludovici ex fratre nepos, ejuſque uxor, & filius annorum circiter quinque, & filiæ duæ: uxor quidem valde triſtis & afflicta, propter imbecillem valetudinem, & miſeram mariti conditionem, Nam Ludovicus eum veluti captivum ſervabat, nec ulli facultatem dabat ejus conveniendi. Feceram illuc iter triduo ante Regem, & cum valde cuperem, non fuit mihi conceſſum, ut ei loquerer, ac gravem illius ægritudinem obſtare dicebant. Rex tamen, qui conſobrinus erat, admiſſus fuit ad colloquium, & quanquam optabat eum de rebus nonnullis admonere, tamen quod eo tempore multum tribueret amicitiæ Ludovici, nullam rem gravem aut ſeriam cum eo communicabat, ut ex ipſo poſtea cognovi. In eo temporis puncto, illius uxor ad pedes Ludovici projecta, vehementer orabat, ut ſui parentis atque fratris miſereretur. Ille autem reſpondit, jam eo rem deductam, ut mutari non poſſet. Intercedebat miſera pro illis, atque interim magis erat ei opus, ut pro marito, ſeque ipſa potius deprecaretur. Rex illinc profectus, Placentiam petebat. Ibi Ludovico nunciatum fuit, Mediolani ducem eſſe valetudine deſperata. Salutato igitur Rege, diſceſſit, pollicitus rediturum ſe, quod Rex ipſum oraverat, prius vero, quam Papiam venit, jam ille deceſſerat

ſerat e vita. Quod ubi reſcivit, e veſtigio Mediolanum ſeſe contulit. Ea res ilico fuit enunciata Venetis per legatum, quem iis locis habebant: hoc quoque fuit adiectum in literis, eum cogitare Inſubriam & imperii ſummam ad ſe traducere, quod Veneti graviter tulerunt, & ex me quærebant, num Rex patrocinium ſuſcepturus eſſet pueri, quem ille moriens reliquiſſet hæredem? Ego, quamquam ſatis judicabam æquum eſſe, ut ita fieret: tamen propter eam, quæ tunc Regi fuit cum Ludovico, neceſſitudinem, dubitanter illis reſpondi. Ludovicus igitur, mortuo nepote, principatum occupavit, eaque præcipua fuit cauſa, multorum judicio, quamobrem nos in Italiam evocaſſet, plærique etiam extinctum nepotem ab ipſo dicebant, ideoque multi per Italiam mortui ducis propinqui & amici, convenerant, ut ipſum profligarent, & niſi Rex cum exercitu adfuiſſet, facile quod volebant, perfeciſſent. Ferdinandus enim, Alphonſi filius, erat in propinquo cum copiis, ut ſupra diximus. Verum Gajazius & Albinius eum rejecerant, & vix iter diei noſtras copias ille antecedebat, & ad fœminam, uxorem comitis Hieronymi, qui Sixti Pontificis Romani filius erat, ſe recepit. ſed capto quodam ejus ditionis oppido, illa ſe nobis adiunxit, quod alioqui cupiebat, jam enim multi per Italiam incipiebant ad res novas ſpectare, mirati noſtrum militiæ genus, propter machinationes atque tormenta bellica, quorum ipſi haberent exiguum uſum. Nam & noſtri tum erant in ea re, multo quam ſuperioribus aliquot annis, exercitatiores. Ferdinandus ergo, cum ſic a noſtris urgeretur, Ceſenam cum exercitu profectus fuit, quod eſt oppidum ditionis pontificiæ: ſed quacumque iter facerent, vulgo fiebat impetus in ipſorum calones ac impedimenta, ſi ſoli depræhenderentur, propterea quod plærique omnes ſtudebant novis imperiis, ut antea diximus, quo facilius erat nobis aliquid egregium perficere. Quod ſi noſtri milites ab injuriis & maleficio abſtinuiſſent, maxima gloria atque benevolentia toti Galliæ fuiſ-

Digitized by Google

fuiſſet iis locis conciliata. Initio enim propter opinionem virtutis, in ſummo nos honore habebant, ſed rapinis, & id genus aliis noſtrorum flagitiis edocti, voluntatem commutarunt. Adverſarii etiam, ut odium nobis conflarent, criminabantur, & paſſim hoc apud omnes dicebant, nos & deprædari quicquid eſſet oblatum, & fœminis quoque vim facere, qua criminatione nihil eſſe poterat acerbius, propterea quod Itali ſunt prope omnes valde præ cæteris, ad rem familiarem attenti, & zelotypi. Quantum ad rapinas & deprædationes pertinet, non erat nihil, quod incuſabant: in altero injuriam nobis faciebant. Rex interim dum eſſet Placentiæ, funera fecit conſobrino ſuo Mediolani Duci, nec erat aliud fere quod ageret. Nam & Ludovicus jam factus Mediolani dux, aberat, & ortis quibusdam ſuſpicionibus, noſtri cupiebant redire domum, etiam ii, qui profectionem antea ſuaſerant, & in his Durſius, de quo ſupra diximus, qui Genua, ubi valetudinem curabat, ſcriptis ad regem literis, multa, quæ ad augendam ſuſpicionem pertinerent, nunciabat. Sed aliud erat Dei conſilium, & dum plærique ad eum modum fluctuarent animis, allatum fuit de Mediolani duce, redituro ad regem, & Florentinorum erga nos benevolentia. Nam Petrus Medices intemperanter & ſuperbe Remp. adminiſtrabat, eoque inviſus erat ibi non ſolum claris familiis, Caponibus atque Nerlis, verum etiam ſuis propinquis & conſanguineis. Hæ duæ cauſæ Regem denuo excitarunt, Placentia profectus in Florentinorum fines contendit, ut eos vel ad ſuas partes adduceret, vel captis aliquot ipſorum oppidis, militem in hybernis ibi collocaret. Conſilium ejus fortuna conprobavit. Nam & Lucenſes odio Florentinorum in ejus fidem ſe permiſerunt inter alios, & magnum præſtiterunt amorem. Mediolani Dux ad duo potiſſimum ſpectabat, primum, ne per id tempus rex ulterius progrederetur, deinde, ut ipſius autoritate ac beneficio, Piſas & Sarezanam, Petramſanctam, ſuæ ditioni conjungeret. Ea enim duo oppida fuerant aliquan-

quando Genuenſium, & Florentini, quo tempore Laurentius Medices Reipub. præfuit, occupaverant illa. Rex per Pontremulum, quod eſt agri Mediolanenſis oppidum, facto itinere, Sarezanellam longe munitiſſimam Florentinorum arcem, ſed tunc in illis offenſionibus atque diſſidio civili parum inſtructam, obſedit, & triduo poſt, compoſitione facta cepit. Quod ſi muniiſſent eam rebus neceſſariis, maximum nobis intuliſſent impedimentum, eo quod ager ille omnis eſt montuoſus, & minime frumentarius, & tunc etiam propter hyemem ac præaltam nivem, valde incommodus. Ante compoſitionem factam, venit eo Mediolani Dux. Cumque & ipſe per Pontremnlum tranſiret, oppidani ac milites præſidio relicti, orta contentione, ex Germanis noſtris aliquot interfecerunt, eaque res maximam deinde turbam excitavit, ut poſtea ſum dicturus. Florentini, cum rebus novis ſtuderent, quia in Galliam fere propendent, eo quod mercaturam ibi exercent, & Guelphorum ſequuntur partes, ampliſſimam decreverunt legationem ad regem, & profitebantur, nolle diutius in eo verſari periculo, quod erat, ſi regem ac Mediolani Ducem haberent adverſarios. Eam legationem non improbabat etiam Petrus Medices. Quanquam ſane, qui tunc erat rerum ſtatus, non poterat aliter facere. Nam & propter inſcientiam belli, & inopiam rerum neceſſariarum, multo illis præſtabat pacificare. Legatorum orationis exitus erat, ut dicerent ei paratum hoſpitium in urbe. Captabant enim occaſionem exturbandi Petri Medices: quod eo facilius fieri poſſe ſperabant, cum ſcirent quosdam ex noſtris ipſorum approbare conſilia. Ille vero privatim etiam miſerat ad regem, in eoque utebatur quodam ſuo negociorum geſtore, qui tametſi diu verſatus eſſet in Galliis, tamen noſtrarum rationum erat imperitus, quas ne illi quidem ſatis etiam norunt, qui diu multumque aſſueverunt, idque propter crebras mutationes. Rex, quid ſuæ eſſet voluntatis, & quid a civitate fieri vellet, legatis oſtenderat. Itaque Petrus Medices, & cum eo

eo cives nonnulli, venerunt in caſtra, ut ad ea poſtulata reſponderent. Niſi enim ei ſatisfacerent, quanto eſſent in diſcrimine videbant. Cogitabant ergo viam ſibi munire ad ipſius benevolentiam. Adventanti illi obviam proceſſerunt juſſu regis, Piennius & Briſſonetus. Hi cum in colloquium veniſſent, petebant, ut Sarezanellam arcem in poteſtatem regis, Piſas autem, & Liburnum, & Petramſanctam, & Libramfactam, ad certum tempus in fidem ipſius permitterent. Ille ſtatim omnia conceſſit, non communicata re cum ſuis collegis. Qui ſciebant quidem fore, ut Piſis aliquandiu Rex moraretur, ſui reficiendi cauſa, verum ut ea nobis traderentur oppida, minime erat ipſorum propoſiti. Nam in ſummum diſcrimen hoc ipſo Remp. ille adducebat, & noſtris etiam hominibus præter expectationem accidit, quod tam multa largirent, & ridicule poſtea recitarunt aliis, quam egiſſet liberaliter. His omnibus confectis, rex Piſas venit: Petrus autem Medices Florentiam reverſus, domum ſuam omnibus rebus ornatam atque refertam, juſſit apparari, ut hoſpitium regi præberet. Hic mihi dicendum eſt aliquid de Mediolani duce. Is magnam in ſpem venerat conſequendi Sarezanam & Petra mſanctam, propterea quod Genuenſis olim fuerunt ditionis; & regem ea ſibi pollicitum eſſe, confirmabat. Sed cum obtinere non poſſet, magnopere offenſus domum rediit, illata cauſa, quam ſibi ad proficiſcendum neceſſariam eſſe diceret. Galeacium tamen Sanſeverinum, & Lætævillanum ibi reliquit, ut conciliis intereſſent. Sanſeverinus autem cum eſſet Piſis, primos civitatis ad ſe convocat, eiſque perſuadet, uti facta rebellione, de libertate regem interpellarent. Mediolani Dux eum ſummiſerat, ut id faceret, per eam occaſionem fieri poſſe ſperans, ut in ſuam poteſtatem illi demum redirent, ſicut olim fuiſſent ſub imperio Joannis Galeatii ejus nominis primi Mediolani Ducis. Crudeliter iſte & ſuperbe imperaverat, ſed largitionibus plurimum poterat. Vidi ſepulchrum ejus in Carthuſianorum templo Papiæ, cumque ex

iis

iis quidam inter ſpectandum mihi virtutem ejus prædicaret, ac ſanctimoniam tribueret, cur, inquam ego, ſanctum appellas? Vides ibi multorum populorum inſignia depicta, quos ille ſibi nullo jure ſubegit. Tum iſte, nos, inquit, conſuetudine quadam ſanctos vocamus eos, qui nobis bene fecerint. Sanſeverinus, de quo diximus, eo ſpectabat, ut rem ſuam familiarem augeret. Habebat in matrimonio filiam illegitimam, Mediolani ducis, qui non ſecus atque filium ipſum adamabat, quod nullos tum haberet grandioris ætatis liberos. Ante annos fere centum, Florentini, poſt diuturnum bellum devictos Piſanos in ſuam ditionem perduxerant, iiſque valde ſuperbe imperabant. Ad idem fere tempus, Veneti ſub egerant ſibi Patavinos, eaque prima fuit ipſorum victoria incontinente. Erat utriuſque civitatis par fere conditio, & eadem quoque voluntas. Nam, ut hi Venetos, ita illi graviſſime oderant Florentinos. Atque ut dolorem ſuum, & injuriam ulciſcerentur, re deliberata, cum a Sanſeverino jam ipſis eſſet perſuaſum, cui propter virtutem plurimum tribuebant, quo tempore ad ſacrum Rex ibat, maximo numero, viri pariter ac mulieres, ad pedes ipſius projecti, magno fletu auxilium ab eo petere cœperunt, ac libertatem ſibi reſtitui flagitabant. Ex familiaribus Regis, quidam, ſenatorii ordinis, Rabotus, cum proxime antecederet, converſus ad eum: Triſte, inquit, & miſerabile eſt iſtud ſpectaculum, nec ullus eſt Italiæ populus, qui tantas indignitates atque contumelias perferat. Æquiſſimum eſt, ut ipſorum miſerearis, & concedas, quod tantopere petunt. Hoc an fecerit, vel quod rogatus eſſet ab illis & pollicitationibus inductus, vel quod rei ſummam non intelligeret, dubium eſt. Rex autem, qui neſciret, quid illud ſibi vellet, quod de libertate dixerant, commiſeratione quadam impulſus reſpondit, ſibi placere ipſorum poſtulata. Quod ubi Rabotus, de quo diximus, enunciaſſet: ac ſtudium regis erga ipſos commendaſſet, illi ſublato clamore, lætitiam ſuam ſignificabant, & ſtatim facto

Digitized by Google

concurſu, cum ad pontem Arni fluminis veniſſent, Leonem illum prægrandem, columnæ marmoreæ ſuper impoſitum, quod eſt inſigne Reipub. Florentinæ, demoliti, regis effigiem in eam columnam collocabant, ſic, ut equo inſidens, dextra teneret gladium, pedibus autem equi ſubjectum ac proſtratum haberet Leonem. Hoc illi tunc quidem, ut nobis gratificarentur: ſed poſtquam deinde Maximilianus Cæſar eo venit, ſublata ſtatua, quam nobis poſuerant, conſimilem illi tribuebant honorem. Itali enim fere ſtudent, ſeque adjungunt ſemper potentioribus. Quanquam certe Piſani, quorum eſt duriſſima conditio, merentur excuſationem, quod meliorem ſtatum affectent. Rex paucis diebus ibi commoratus, ubi Florentiam venit, graviter queſti ſunt de injuria, quam accepiſſent, ob libertatem Piſanis reſtitutam, in quo promiſſum ab eo non ſervatum eſſe, nec etiam ei licere dicebant, ut ipſos in ſuo jure impediret. Qui pro Rege verba fecit, excuſabat factum, eumque dicebat non recte accepiſſe illorum poſtulata, neque velle jus ipſorum aut vectigalia deteriora facere. Novum itaque cum illis pactum fecit, de quo ſum dicturus, ubi de Petro Medices, & quid illi acciderit, primum expoſuero. Quod is tam multa Regi permiſiſſet, nonnulli eo levius tulerunt, quod abeuntem putarent redditurum eſſe, quæ bona fide accepiſſet. Et quanquam Piſæ maximi ſit momenti civitas, tamen ſi Rex ibi voluiſſet hyemare, opinor Florentinos non fuiſſe ei denegaturos. Ubi Florentiam ergo revertiſſet Petrus Medices, nemo vultum fingebat, ſed irati animi ſigna plærique omnes dabant, propterea quod per ipſum eſſent exuti facultatibus iis omnibus, quas annis prope centum maximo labore atque periculo ſibi comparaſſent ac videbatur illis prænunciare animus aliquid magni incommodi. His de cauſis, præſertim deſiderio libertatis, quam amiſſam eſſe judicabant, conſtituerunt illum extra Remp. ejicere, ab eoque conſilio non ſplendor hujus familiæ, non gratia, non recens Coſmi & Laurentii ornatiſſimorum hominum memoria eos revocabat. Et

cum

cum earum rerum inſcius ipſe, tametſi de infirmitate plebis nonnihil dubitaret, ad curiam veniſſet comitatus, ut ad Senatum referret, quid actum eſſet: non fuit intromiſſus, & ex Nerlis quidam, armatus, qui portam occupaverat, dicebat, non ei licere cum comitatu ingredi. Domum igitur reverſus cum ſic eſſet repudiatus, clientes ac famulos ſuos omneis juſſit arma capere, ſimul, quid fieri vellet, & quæ ſua eſſet fortuna, Paulum Urſinum admonuit, gentilem ac familiarem ſuum. Nam quod inter ipſos quædam eſſet neceſſitudo, familia Medicenſis, quæ potens erat & ampla. conſuevit inde a Laurentio dare illis annuum ſtipendium, Conſilium ejus hoc erat, ut factioni adverſariæ vi armorum reſiſteret: ſed ilico fuit conclamatum ad libertatem, & populus ad arma concurrit. Eo cognito, ſtatim profugit miſerabili certe fato. Nam quæ plurimis annis fuerat potentiſſima domus, & Principibus ſere comparanda, quicquid habuit dignitatis, atque ſplendoris, eo die amiſit. Eam rem omnem cognovi ab legato Florentino, qui tum erat Venetiis, & graviter tuli, quod non eſſet meum ſecutus conſilium. Quo enim tempore Venetias primum veni, datis ad eum literis, nunciabam, quibus rationibus pacificare poſſet. Hoc enim in mandatis mihi dederant Briſſonetus atque Verius, & Rex placari poterat; ſi iter ſolum dediſſent, aut ad ſummum ſi Liburnum ei permiſiſſent, verum ille meis acceptis literis, aliene reſpondit. Poſtero die legatus ille, quem dixi, recitavit Senatui Veneto ex literis, quamobrem profugiſſet: conatum eſſe Rempub. opprimere, & comparare ſibi dominatum auxiliis Arragoniorum, & Urſinorum. Idem legatus, pridie cum nihil adhuc eſſet allatum, valde amanter & officioſe multa mihi de illo confirmaverat non ſecus ac ſi ipſius eſſet cliens: nunc vero, commutata, fortuna, longe diverſum publice dicebat, ſecutus mandatum Senatus: Hic videlicet eſt rerum humanarum ſtatus, ut plærique omneis ad motum fortunæ ſe quoque moveant. Poſt hæc nunciatum ſuit, illum ſugientem adventare Venetias, & regem honorifice admiſſum eſſe Florentiam Legatus deinde, cum a

 ſuis

Digitized by Google

ſuis domum evocaretur, diſceſſit. Significaverant enim illi, quam eſſent nacti tempeſtatem, ea utendum eſſe. Biduo poſt, venit eo Petrus Medices, parum bene cultus. Veneti autem, quod verebantur, ne regem offenderent, cum non poſſent ei honeſte denegare hoſpitium, percunctando ſtudebant ex me cognoſcere, quæ Regis eſſet voluntas. Ego, qui cuperem ei gratificari, præſertim cum Rex nihil de illo ad me ſcripſiſſet odioſe, reſpondi exiſtimare me, fugiſſe illum propter mobilitatem vulgi potius, quam metu regis. Itaque fuit admiſſus, & liberaliter exceptus, eique & famulis permittebatur eſſe cum telo. Et quanquam Coſmus Medices olim impediverat eos, quo minus Mediolanum obtinerent, tamen ob ejus familiæ virtutem atque nobilitatem, in magno ipſum honore habebant. Poſtquam in collocutionem veni, prolixe de ſua calamitate mihi commemorabat, amiſſis rebus omnibus. Hoc etiam inter alia valde hominem angebat, quod ex ipſius procuratoribus quidam recuſaſſet ei ſubminiſtrare pannum, quo ſe, ſuosque veſtiret. Ego, quibus poteram rationibus eum confirmabam. Rex priusquam iret Florentiam, datis literis, eum accerſivit, ſed ille pridie ejus diei profugerat, cumque ex noſtris quidam, qui locum & hoſpitium Regi parabat in illius ædibus, de fuga cognoviſſet: cœpit ilico prædari & diripere, quicquid reperiſſet, illata cauſa, quod ipſius procuratores Lugduni magnam vim pecuniæ ſibi deberent. Is abſtulit inter alia cornu quoddam inſigne Monocerotis, pręcii ſeptem millium aureorum. Quicquid haberet opum præterea, deportari juſſerat in quasdam alias ædes. Id omne vulgo direptum fuit, ſed ornamenta quædam illius, & ad viginti aureorum millia, & pocula valde præcioſa, & ſigna quædam elegantiſſima, Senatus ſibi ſervavit. Summa omnium quæ amiſit eo die, fuerunt ad centum aureorum millia.

PHI-

PHILIPPI COMINÆI

Equitis, Commentariorum

LIBER SECUNDUS.

FLorentini poſtea novam fecerunt cum Rege pactionem, & mutuo dabant centum ac viginti aureorum millia, concedebant etiam quæ diximus, oppida; & quo magis ei gratificarentur, inſignia ſuæ urbis mutarunt, & Gallicis conſimilia ſumpſerunt. Ille invicem in ſuam tutelam atque fidem eos recepit, & ſanctiſſimo jurejurando pollicebatur redditurum ſe ipſis, quæ accepiſſet oppida, quarto menſe poſt, quam Neapolim veniſſet, aut eo citius, ſi forte ante id tempus in Galliam rediret. Commoratus apud eos paucis diebus, Senam, inde Viterbium petivit. Eo in oppido conſtituerant hoſtes morari, noſtrumque adventum expectare, & ſi res ita ferret, prælio nobiſcum decertare, quod & Alphonſi regis, & Alexandri Pontificis legati, Venetiis mihi dicebant. Ferdinandus enim Alphonſi filius, Romam ſe receperat, & ipſum Alphonſum, cui magnam plærique tribuebant fortitudinem, Viterbium uſque venturum eſſe cum exercitu putabam, filio relicto Neapoli præſidio. Locus enim ille viſus mihi fuit valde opportunus, ubi nos exciperet, eo quod haberet a tergo tum ſuum tum Pontificis & Urſinorum agrum omnem, in quem, ſi quid accidiſſet incommodi, abſque majori ullo periculo facilem habuiſſet receptum. Arcem Viterbii Rex occupavit per Cardinalem Oſtienſem, ejus loci præfectum, & mirabar cum ab eo mihi redderentur literæ ibi ſcriptæ, ac tunc primum cœpi cogitare, eſſe Deum, qui profectionem noſtram gubernaret, meque pœnitebat, quod paulo ante fueram hortatus Regem per literas, ut cum adverſariis, qui tum honeſtas deferebant conditiones, paciſceretur. Aquapendens oppidum & Mons

Mons Faliſcorum, & quicquid eſt in ea regione, in poteſtatem regis conceſſit prius quam Viterbium ille veniret. Hæc omnia cognoſcebam ex literis tum Regis, tum iis, quæ mittebantur ad Senatum. Venetum, Illinc Romam profectus venit in agrum Urſinorum, qui ſtatim in ipſius fidem ac poteſtatem ſe permiſit, authore Carolo Urſino, qui ejus rei mandatum habere ſe dicebat a ſuo parente, qui militabat Alphonſo. Nam Itali ſuo quodam more diligenter provident, ne infirmiores ſequantur partes, ideoque etiam belli tempore ſolent aliquando communicare ſua cum hoſtibus, & ſunt intenti ut cognoſcant in utram partem inclinet fortuna, Brachiani, quod eſt Urſinorum ditionis oppidum, locuples & copioſum, exercitus noſter commode ſeſe refecit. Inde Rex eum, quem ſupra diximus Cardinalem, miſit Oſtiam, oppidum maritimum, ut Romam; quæ eſt in propinquo, contineret in fide & amicitia. Tenebant illud oppidum Columnenſes, qui noſtrarum tunc erant partium, opera & interceſſione Cardinalis Aſcanii, qui frater erat Mediolani Ducis, eumque valde oderant Urſini. Nam hæ duæ familiæ, quam late Romanæ Eccleſiæ patet imperium, ſuos habent clientes atque devotos, perpetuæque ſunt inter ipſos turbæ & offenſiones. Quod niſi malum hoc interveniret iis locis, nullus Italiæ populus meliori conditione aut æquiori uteretur imperio, propterea quod nullum fere pendent tributum, & Remp. habent bene conſtitutam, quia Roma. Pontifices plærumque ſunt & ipſi docti, & homines præficiunt idoneos: ſed nemo credat, quantis malis occaſionem præbeant factiones illæ duæ. De Columnenſibus, & quemadmodum a nobis defecerint, poſtea ſum dicturus. Præter eum Cardinalem, rex Oſtiam quoque miſerat Peronem Baſſum, qui paucis ante diebus attulerat viginti aureorum millia, quæ Mediolani Dux paulo ante regi mutuatus erat. Attribuerat autem illis Rex ad quingentos equites, & duo Helvetiorum millia, quibus præerant Comes Liniacus, & Alegrius, & ipſorum

Digitized by Google

rum propoſiti erat, ut trajecto Tiberi, Ferdinandum, qui Romæ erat, commeatu intercluderent, auxilio Columnenſium, quibus ampliſſima Rex dabat ſtipendia. Sed hoc in loco varia concurrunt, de iiſque ſingulis aliquid nobis eſt dicendum. Rex antequam Viterbium venit, legatos Romam miſerat, & in his Tremolium, ad Pontificem, ut de pace agerent, quoniam ille jam initium aliquod ejus rei fecerat, ut Italorum fert conſuetudo. Sed interea Pontifex, nocturno tempore in urbem receperat Ferdinandum cum copiis, & noſtros legatos comprehenſos, eodem die dimiſit, Aſcanium vero Cardinalem, & Proſperum Columnam captivos detinuit, quod nonnulli ferebant ipſorum voluntate fieri. Eo toto itinere, non amplius biduo Rex uno aliquo in loco morabatur, & multo commodius eveniebant omnia, quam polliceri aut optare ſibi potuiſſet ipſe. Pontifex ubi vidit eum tanto ſucceſſu & celeritate progredi, permiſit, ut Romam veniret, quanquam ſane ut prohiberet, non jam in ipſius erat poteſtate. Ferdinandus autem noctu clam diſcedens, Neapolim revertit, deductus aliquouſque a Cardinalibus aliquot, Regi obviam proceſſerunt Cardinales ac Senatores magno numero, & hoſpitium fuit ei tributum in urbis ea parte, quam Columnenſes inhabitant. Pontifex in Adriani molem ſe recepit. Nonne autem mirum debet videri, & Regem Alphonſum, cujus tanta erat opinio virtutis atque ſcientiæ militaris, ejuſque filium & Urſinos, qui plurimum iis locis poterant, non fuiſſe auſos committere ſuam ſalutem urbi Romæ, preſertim cum ſatis perciperent & Mediolani Ducem & Venetos jam conari defectionem, & de fœdere conſultare? Nam ſi Viterbii aut etiam Romæ, ſaltem per aliquot dies nobis illi reſtitiſſent, ilico fuiſſet initum illud fœdus, at conſilium Dei cogitationes captumque noſtrum excedebat. Ante quam Romam Rex venit, concidit aliqua pars muri; & quum eo veniſſet, collapſus etiam fuit ille murus, quo cingitur Adriani moles, in quam Pontifex ſeſe abdiderat, quod præter alios duo

duo quidem Cardinales mihi recitarunt, qua quidem in re ſignificationem aliquam & omen ineſſe crediderim. Sed nunc mihi de Alphonso nonnulla ſunt explicanda. Ab ejus patre nobilitas prope omnis defecerat, ut initio libri diximus, qui cum externum auxilium diu fruſtra expectaſſent, in gratiam redierunt, & ex ipſis nonnulli, cum Neapolim revertiſſent, per fidem circumventi, capti fuerunt ab eo circiter viginti quatuor, quos ab ejus morte Alphonſus filius necavit omnes, ac ſupplicium quoque ſumpſit de Principe Rhoſanæ, & Duce Seſſæ fortiſſimo viro, quos pater aliquando ſimili fraude circumvenerat. Ille in matrimonio habebat Ferdinandi ſororem, & quanquam graviter eum offenderat: tamen, quod data fide ad ipſum veniſſet. Non erat æquum, ut vim ullam pateretur. Compræhenſus autem, in teterrimum carcerem abjectus fuit, poſt etiam ipſius filius. Adoleſcens valde formoſus, annorum circiter quindecim, cumque regni ſumma deferretur ad Alphonſum ille jam totos viginti quinque annus fuerat in vinculis, neque multo poſt, Alphonſus captivos in Iſchiam inſulam Neapoli vicinam deportare ac interfici juſſit omnes, præter unum & alterum. Crudelitatis & iracundiæ ipſius adminiſter fuerat, e Mauritania, quidam homo barbarus atque ferus, qui perpetrata cæde, domum rediit illius mandato, ut facinus illud maneret occultum. Erat Ferdinandus ingenio valde truculento & inconſtanti. Nam & inter epulas ac in conviviis cum leticiam ac hilaritatem præſeferret, jubebat homines compræhendi, & vitæ periculum illis creabat. Ad hunc modum cepit & poſtea necavit Jacobum Picininum, Franciſci Sfortiæ, Mediolani ducis, legatum. Tametſi rumor erat, Sfortiæ voluntate hoc eveniſſe, quod excellentem hominis virtutem, qui magnas haberet per Italiam clientelas, ambo metuerent. Breviter, nihil erat in eo humani, nihil commiſerationis, quod etiam ipſius propinqui & neceſſarii profitebantur. In populum vehementer fuit iniquus, & nullum mercaturæ genus non exercebat.,

adeo

Digitized by Google

adeo ſordidus & illiberalis, ut etiam porcos diſtribueret Saginandos, alieno ſumptu, quo eſſent vendibiliores, quos ſi contigiſſet perire, tum eos qui ſuſcepiſſent alendos, damnum ei præſtare oportebat. Per Apuliam, quanti vellet, emebat quicquid erat olei, & frumentum aliis in locis, antequam maturuiſſet, & quanti omnino poterat, divendebat. Quod ſi forte propter earum rerum copiam remitteretur precium, cogebantur tamen homines ad ipſius arbitrium atque præſcriptum emere, & quandiu ſuppeteret ipſi quod venum daret, non licebat aliis quicquam diſtrahere. Ex nobilitate qui rem familiarem curabant, & paulo erant lautiores, ab iis pecuniam & quicquid ejus animo adlubuiſſet, mutuabatur, aut etiam invitis eripiebat, & paſſim habebat equorum greges, quos alii cogebantur ei propagare & enutrire. Patris ingenium referebat Alphonſus, uterque crudelis & libidinoſus, & impius. Nam & fœminis compluribus vim fecerunt, & Eccleſiæ nullum deferebant honorem, imo præfecturas Eccleſiarum vendebant, & Ferdinandus Epiſcopatum Tarentinum Judæo cuidam vendidit, tredecim aureorum millibus, qui illum ſuo filio, quem noſtræ religionis eſſe diceret, comparabat. Abbatias autem, & id genus alia, ſervulis ſuis, & familiaribus, pro mercede dabat, nonnunquam etiam ſub conditione, ſcilicet ut accipitres ad certum tempus ſibi curarent, ac manſuefacerent, aut ſimile aliquid. Alphonſus, ſolenne illud & ab Eccleſia ſancitum, quadraginta dierum jejunium, contemptim habebat, neque peccatorum expiationem quærebat, neque cœnam Domini quicquam ad ſe pertinere putabat, & ut paucis omnia dicam, nihil erat illis impurum magis & ſceleratum. Putant nonnulli, quod ſi Alphonſi filio, Ferdinando, longior vita contigiſſet, ſuperaturum fuiſſe utriuſque nequitiam & improbitatem. Mihi quidem viſus fuit admodum demiſſus ac benignus, verum id fortaſſe rebus duris & aſperis potius, quam ipſius indoli tribuendum eſt. Dicat aliquis, odioſe hæc a me recitari: ſed

affirmare poſſum, & religioſe quidem, nullum hic intervenire affectum, & eo ſolum iſta commemoro, ut quam ſit potens & juſtus Deus, omnes intelligant: Nec enim ullum flagitium dimittit impunitum, & hic videmus quomodo Carolum Regem adoleſcentem, nec rebus, nec hominibus idoneis inſtructum, excitarit, ut eos Reges tam prudentes, tam locupletes, tam exercitatos militiæ, quibus ad gerendum bellum nihil etiam deeſſet, mulctaret. Qui tametſi multo ante præviderent eam imminere tempeſtatem, tamen inopes conſilii & velut attoniti, non potuerunt eam a ſe depellere. Sola enim arx Neapolis impetum noſtrorum aliquandiu ſuſtinuit. Non invenuſte igitur Alexander Pontifex, Gallos eo veniſſe dicebat, cum ligneis calcaribus, & cretam ſolum prætuliſſe manibus, ut inſcriptione facta, hoſpitiis idoneum locum ſibi deligerent. De calcaribus autem eo dicebat, quod dum noſtri homines, ocioſi per urbes obequitant, ſervuli ſoleant ipſorum calceis imponere cuſpidem aliquam ligneam, quæ ſit calcarium loco. Nec enim frequenter admodum in ea profectione noſtri geſtarunt arma, & ab Aſta Neapolim uſque, Rex quatuor ſolum menſes ac dies undeviginti conſumpſit. Quare non dubitem affirmare, & multos per Italiam novi honeſtiſſimos viros, qui idem judicant, hanc videlicet plagam illis inflictam fuiſſe a Deo, ut reliqui Principes omnes ipſum revereantur, & jus cuique ſuum reddant. Nam illi non modo Regnum ipſum, & quicquid haberent opum, ſed exrimationem etiam amiſerunt omnem, & ex ipſis uno anno tres e vita deceſſerunt. Ferdinandus enim, qui magni illius Alphonſi Regis, prudentiſſimi & optimi viri filius erat illegitimus, cum videret a nobis impendere ſibi diſcrimen, neque poſſet reſiſtere, magnopere angebant in animo, & eo vehementius, quo magis de ſua filiique ſui vitæ turpitudine cogitabat, & quo graviorem juſtioremque populi contra ſe offenſionem eſſe ſciebat. Nam etſi crudelis erat, tamen ingenio præſtabat, & ex ipſius familiaribus

bus nonnulli mihi confirmabant, cum ſacellum quoddam dirueret, repertum fuiſſe libellum, in quo perſcriptum eſſet, quicquid poſtea pertulit incommodorum, eumque ubi legiſſet, paucis quibusdam adhibitis, in ignem conjeciſſe. Ad eum dolorem hoc etiam acceſſit, quod ipſius filius Alphonſus, & ex eo nepos Ferdinandus, huic famæ de regis adventu, fidem non habebant: nam hi contemptim fere de re tota loquebantur, & graviter interminati, dicebant, ſe cum exercitu nobis obviam proceſſuros, ad Alpes uſque. Ipſe vero, qui periculi magnitudinem intelligeret, per legatum ſuum, Camillum Pandulphum, valde ſollicitabat Regem de pace, priuſquam Vienna diſcederet. Qua ut impetraret, pollicebatur de pendere vectigal annuum, ad quinquaginta aureorum millia, paratus etiam, fidem & jusjurandum præſtare, & regnum ei ferre acceptum, cunque videret ad pacem nullum aditum ſibi patere, morbo correptus interiit, expiatis antea peccatis; uti ſpero, & Deo reconciliatus. Alphonſus autem, qui tam fuerat immanis per omnem vitam, & qui adeo magnum habebat uſum armorum, ſua ſponte, prius quam Roma rex digrederetur, adminiſtrationem omnem depoſuit, & tantus ei timor inceſſit, ut noctu perpetuo exclamaret, audire ſe adventantes Gallos, & non homines tantum, ſed arbores etiam & ſaxa, nomen Gallicum ſonare. filium itaque ſuum, ubi Roma Neapolim rediiſſet, in regni poſſeſſionem miſit, & inauguratione facta, juſſit obequitare per urbem maximo cum comitatu. Quo facto, fugam in Siciliam adornavit, cum ſua ſocru, quæ ſoror erat Ferdinandi Caſtiliæ Siciliæque Regis. Et cum ejus rei fama ubique percrebuiſſet, in primis autem Venetiis, non idem erat hominum judicium, dicebant alii profectum ad Turcarum Cæſarem: alii decedere ex regno jactabant, in gratiam ſui filii, qui populo eſſet acceptus. Mea vero ſemper fuit ea ſententia, ut dicerem, pavore conſternatum profugiſſe. Nemo enim, qui ſit crudelis, vir fortis & animoſus eſſe poteſt, ut in Ne-

rone & id genus aliis Tyrannis videre licet. Tam autem erat exanimatus, ac fugæ cupiens, quod ex ipſius familiaribus cognovi, ut ſocrui ſuæ diceret, quod niſi e veſtigio diſcederet, ſe relicturum ipſam. Et cum illa ſolum tridui ſpacium atque moram peteret: hoc enim ſibi deeſſe ad explendum, annum, quem volebat videri fuiſſe totum in eo regno: ille reſpondit, niſi pateretur ſe diſcedere, ejecturum ſeſe per feneſtram, &, nonne auditis, inquit, omnes homines inclamantes nomen Gallicum? Sic igitur perterriti profugerunt. Præter vina quædam generoſa, quibus delectabatur, & varia genera ſeminum; ad rem hortenſem, & ornamenta quædam atque ſigna, & aliquam pecuniæ ſummam, nihil aſportavit: reliqua omnia in arce Neapolis reliquit. Cum in Siciliam veniſſet. Meſſanam profectus, & monachis aliquot ſecum deductis, votum faciebat, velle in poſterum abſtinere ab omni adminiſtratione, & ſuſcepto eo vitæ genere, magnam præ ſe ferebat ſanctimoniam, beneficus admodum erga pauperes. Erat ejus propoſiti, velle commigrare in Hiſpanias, & Valentiæ quoddam vitæ monaſticæ genus amplecti, eorumque more veſtiri, ſed calculo graviſſime adflictus, aliquanto poſt deceſſit, & quoniam ante actæ vitæ maximopere ipſum pœnituit, ut accepi, ſperare licet. Deum illi ſuam infinitam gratiam atque miſericordiam communicaſſe. Ejus filius Ferdinandus, ad quem nuper erat delata rerum ſumma, ut diximus, cum arbitraretur fuga ſui patris offenſiones omneis remiſſas, collegit quam potuit maximas equitum & peditum copias, & ad Sangermanum, quod eſt in aditu regni oppidum, conſedit, & quicquid omnino neceſſarium eſſet, procurabat. Eſt ibi Liris fluvius, qui pedibus nonnunquam tranſiri poteſt, deinde mons vicinus & ſuperimminens oppidum efficit munitum. Atque hic demum, qui familiæ Arragonicæ favebant, cœperunt rurſus in ſpem aliquam venire. Rex interim erat Romæ, commoratus ibi per dies viginti, in magna frequentia exterorum hominum & Cardinalium, in quibus erat

Aſca-

Aſcanius. Hi prope omnes valde Pontificem oderant, eumque cogitabant deturbare loco, & creare novum, eoque res proceſſit, quod ex fide dignis accepi, ut ſemel atque iterum juberent deduci tormenta & machinationes, quibus Adriani molem, in quam ille ſe receperat. Everterent, & niſi Regis interveniſſet authoritas atque gratia, perfeciſſent quod conſtituerant. Arx enim illa non poſſit vim ullam majorem diu ſuſtinere. Et quoniam muri aliqua pars nuper collapſa fuit, ut ante diximus, multo major alacritas ſtudiumque oppugnandi majus illis injectum eſt, & ſignificationem aliquam eſſe dicebant, quæ divinitus accidiſſet. Inter alia inſimulabant eum empti Pontificatus, & vere quidem iſtud: ſed Cardinalis Aſcanius autor fuerat ejus venditionis, & ampliſſima idcirco munera acceperat, quoniam & ipſe Pontificatum ambiverat. Et quanquam graviter inter ſe diffidebant, tamen uterque, meo judicio, de ſuo jure diſceſſurus erat, & permiſſurus alium quemvis eligi, fortaſſe aliquem etiam noſtræ gentis atque factionis. Et videri poſſit Rex minus bene ſibi conſuluiſſe, quod non eo rem deduceret, ſed quoniam adoleſcens erat; & hominibus idoneis carebat, quod paciſci maluit, prudenter ab eo factum eſſe judico. Fuiſſet quidem res inſignis & memorabilis ad poſteritatem, ſi ſtatum Eccleſiæ Romanæ, tunc in primis valde corruptum & impurum, emendaſſet. Nam neque facultas ei deerat, neque voluntas etiam, ſed opus in eo fuiſſet magna quadam dexteritate lectiſſimorum hominum, quibus ipſe deſtitutus erat, ut non ſemel antea demonſtravimus. Itaque tranſegit pactis aliquanto durioribus, quæ res & offenſionem excitavit, & fœderi, de quo poſtea dicemus, occaſionem præbuit. His autem conditionibus pactum fuit, ut Pontifex & Cardinales omnes pacem inter ſe colerent. Ut abſendes etiam Cardinales fructum & emolumentum ſui ordinis perciperent, ut Pontifex quatuor ejus regionis oppida in fidem Regi permitteret, ut Turcarum Cæſaris fratrem, quem maximis premiis cuſtodien-

dum

Digitized by Google

dum acceperat, regi traderet. Adjecta fuerunt etiam nonnulla, quæ proprie ad ſenatum Cardinalium pertinebant. Pro iis rebus omnibus obſidem dabat, filium ſuum, Valentiæ Cardinalem, ut cum Rege Neapolim iret legatus, eumque Rex in ſummo habebat honore. In gratiam autem Regis Pontifex duos creabat Cardinales, Briſſonetum & Epiſcopum Cenomanorum, familiæ Lucenburgicæ. His rebus confectis, Rex in viam ſe dabat, amiciſſime, ut quidem videbatur, a Pontifice dimiſſus. Verum Cardinales octo, qui compoſitionem hanc graviter ferebant, factionis Aſcanii omnes, Roma diſceſſerunt, tametſi nonnulli dicerent Aſcanium agere ſimulate, eique cum Pontifice non male convenire. Sed de eo nihil affirmare poſſum. Frater quidem ejus, Mediolani Dux, non dum offenſionis ullum ſignum nobis dederat. In itinere cum non longe noſtri proceſſiſſent, Valentiæ Cardinalis, obſes, profugit. Poſtero die Rex oppugnatione cepit Caſtelfortinum, interfectis omnibus, qui intus erant, propterea quod is, cujus erat oppidum, accepto a Rege ſtipendio, cum eſſet Urſinæ factionis, ad hoſtes defecerat. Inde progreſſus, arcem quandam Marchionis Piſcariæ, cum per octo circiter horas oppugnaſſet, vi cepit, & eos qui intus erant, in hoſtium numero habuit. Poſt, Sangermanum petebat, quod ſedecim ab eo loco milliaribus abeſt, quod ad oppidum Ferdinandus Rex omnem ſuum exercitum convenire juſſerat, poſitis ibi caſtris, ut ſupra diximus. Aut hic enim, aut nuſquam alibi reſiſtendum erat. Sed ille, tametſi præmiſerat, qui aditum quendam, ſex ab oppido miliaribus, a nobis defenderent, diſceſſit nullis ordinibus antequam Rex eo veniret. Primam aciem ducebat Guiſius, & cum noſtri aditum illum, qui eſt inter montes, nullo reſiſtente occupaſſent, Rex Sangermanum venit. Ferdinandus autem, ubi Capuam veniſſet, vix cum paucis quibusdam in urbem receptus fuit, neque diu moratus, abiit, cohortatus eos ad fidem atque conſtantiam, injecta ſpe ſui reditus in poſterum diem. Quod fore ſu-

ſuſpicatus erat, id accidit. Quos enim ibi in præſidio reliquerat, ii non expectato ipſius reditu, quod juſſerat, Nolam iverunt. In his erant Virgilius Urſinus, cum nepote ſuo, & Comes Petilianus, qui capti a noſtris, injuriam ſibi fieri, & per fidem, quam rex ipſis dediſſet, circumveniri ſe querebantur, & vere quidem, ſed literæ quibus cautum ipſis fuerat, nondum erant eis traditæ. Dimiſſi tandem absque mulcta, nonnihil ſuarum rerum, quas noſtri cepiſſent, deſiderarunt. Sangermano Rex Calenum petiit, duobus a Capua miliaribus. Eo venerunt Capuani, & facta compoſitione, Regem & exercitum ejus omnem in urbem receperunt. Poſtridie cum Averſam, medio itinere oppidum inter Capuam & Neapolim veniſſet, Neapolitani legatos de pace mittebant, & poſtquam idonee illis caviſſet, eosque ſuis legibus uſuros eſſe confirmaſſet, pacificarunt. Eo Rex præmiſit Mareſcallum Gium, Stephanum Verium, & Gannæum Jureconſultum, ut omnia procurarent. Ferdinandus, ubi nobilitatem omnem atque populum ſumptis armis a ſe deficere, & ad bonorum quoque direptionem properare cognovit, ingreſſus navim, in Siciliam contendit. Incredibile eſt, quanta lætitia & congratulatione regem exceperint Neapolitani. Obviam ei proceſſerunt etiam Arragonicæ domus beneficiarii, in primis autem ii, qui ſunt familiæ Caraffiçæ, qui cenſum annuum habebant ab his regibus, ad quadraginta aureorum millia. Reges enim iis locis non ſua tantum, ſed & aliena ſæpe largiuntur, & pauci ſunt, quorum poſſeſſiones non dependeant vel a regibus, vel aliunde. Maxima igitur erat, ut dixi, hominum lætitia, propter depulſam a ſe tyrannidem. Præter arcem Brunduſii, & Gallipolim, Apulia tota repente ad nos defecit, Calabria quoque, tribus exceptis oppidis, & arce Regii, verum id accidit noſtra culpa, quod nulli qui in fidem ipſos reciperent, mitterent. Tarentum, Hidruntum. Monopolis, & quæ ſunt iis locis alia oppida; tridui iter obviam nobis ibant, ac miſſis legatis, fidei noſtræ

ſtræ ac poteſtati ſeſe dabant. Idem faciebant ex principibus & nobilitate plærique omnes, ac frequentes Neapolim ad regem conveniebant, Salernitanus, qui tam ante noſter erat, item Biſignianus, Melſitanus, Soranus, Fundenſis, Atripaldinus, & complures alii. Solus Marchio Piſcariæ, qui ditionis eſt Pontificiæ, nec veni ipſe, nec legato etiam de pace miſit: duo quidam alii, quorum poſſeſſiones Rex largitus erat Albinio, in Siciliam profugerunt. Ferdinandus fugiens reliquerat in arce Neapolis Marchionem Piſcariæ, & Germanorum aliquot cohortes. In Siciliam autem profectus erat, ut Alphonſum parentem de auxiliis ſollicitaret. Ejus patruus Fridericus habebat claſſem mediocrem inſtructam, & interpoſita fide, bis cum rege collocutus, petebat, ut nepoti ſuo partem aliquam Regni, & nomen Regium concederet, item ut ſua ſuæque conjugis bona ſibi permitteret. Quod pro ſe poſtulabat, non erat magni momenti, quoniam hæreditatis paternæ deteriorem, & minimam partem acceperat. Rex tum ipſi, tum nepoti amplas deferebat in Gallia poſſeſſiones. Illi autem recuſabant, & Regi tamen non erat integrum amplius concedere. Nam ſi quod petebant, impetraſſent, ad primam quamque occaſionem novos excitaſſent motus. Arcem Neapolis defendebant Germani, nam Marchio Piſcariæ cum nollet obſidionem ferre diſceſſerat. Quod ſi noſtri in vicinam inſulam majoribus aliquot tormentis adductis aditus omnes atque loca defendiſſent, facile expugnaſſent, & reliqua deinde in ſuam poteſtatem ſine negocio redegiſſent, verum dabant ſe voluptatibus atque delitiis, tantosque ſibi ſpiritus & arrogantiam ſumpſerant, propter opinionem ſcientiæ bellicæ, ut Italos omnes valde præ ſe contemnerent. Rex etiam in tanto rerum ſucceſſu, nihil ſerium aut grave cogitabat, ſed intentus erat ludis atque locis, & ſubinde huc illuc animi recreandi cauſa, per urbem & foris obequitabat. Et quoniam de tributis atque vectigalibus multum remiſerat, valde erat acceptus multitudini, quæ, tametſi

Digitized by Google

metſi levis fere ſit & infirma, tamen propter ea beneficia credo fuiſſe in fide permanſuram. Sed in eo valde noſtri peccabant, quod nobilitatem indigne tractarent, eos præſertim qui partium fuerant Andegavenſium, a qua familia Rex omnem actionem atque jus belli acceperat. Interjectis aliquot diebus, dum hæc geruntur, Germani occulte a nobis ſollicitati, facta deditione arcem tradunt. Bellum iſtud Deus plane gubernabat, nam ſæpenumero & graviſſime quidem a noſtris erratum fuit, & quoniam plærique beneficium hoc Dei non agnoſcebant, maxima fuit ſecuta rerum commutatio, & ſubita quidem. Ac ſicut per æſtatem in iis locis, quæ ſunt ad ſeptentrionem, ſol, ubi occidit, minimo poſt intervallo, & ſpacio temporis oritur viciſſim ac denuo conſpicitur, ſic etiam illa, quæ nobis affulſit fortuna ſecunda, repente evanuit, & triſtem ſui memoriam reliquit, magno certe Reipublicæ detrimento. Niſi enim moribus, & ingratitudine noſtra Deus fuiſſet offenſus, Turcarum Cæſar non minus facile potuiſſet exturbari, quam Alphonſus. Erat enim ignavus, & ipſius fratrem hominem bellicoſum atque audacem, Rex in ſua tum poteſtate habebat, quem ille propter virtutem magnopere metuebat. Deinde qui ſunt ſub ipſius ditione, Chriſtianæ profeſſionis, ad defectionem plærique omnes ſpectabant, & ab Hidrunto, Apolloniam uſque, ſolum eſt intervallum ſexaginta milliarium, & inde Conſtantinopolim, iter ad ſummum, octodecim dierum, in eaque regione tota, præter unum & alterum oppidum nihil eſt firmi atque muniti, eamque incolunt Albani, Sclavoni, & Græci, valde frequentes. Qui de progreſſu Regis atque victoria certiores facti per ſuos amicos, Venetiis, & ex Apulia nunciabant, quo minus deficerent, nihil ſibi præter occaſionem deeſſe. Quod ubi Rex cognovit, legatum eo miſit Archiepiſcopum Dyrrachienſem. Is, incredibile eſt, quam multos ibi repererit cupidos rerum novarum, & in his, quam plurimos illuſtri loco natos, nepotes etiam & propinquos Conſtantini,

qui Monferratenſem agrum nunc adminiſtrat, & tunc occulte mecum erat aliquandiu Venetiis. Ad eum pertinebant Macedonia, & Theſſalia, & Apollonia, & Scodra, & Croia, quæ quidem oppida ipſius pater, niſi fallor, Venetis oppignoraverat, qui Croia deinde amiſſa, Scodram ex pacto Turcæ conceſſerunt, quod quidem oppidum Conſtantinus tunc facile recepiſſet auxilio ſuorum, niſi Dyrrachienſis impedimentum attuliſſet. Hunc in ipſis finibus expectabat Conſtantinus, & ego valde hominem urgebam, cum eſſet Venetiis, ut diſcederet, viſus enim eſt mihi parum taciturnus. Ipſe vero magna pollicitus, dicebat ſe facturum aliquid præclari. Sed in eo ipſo tempore mortuus eſt Turcarum Cæſaris frater, quem Romanus Pontifex Regi captivum dederat, uti dictum eſt. Quod ubi Veneti reſciverunt, cogitabant ſtatim enunciare in Turciam, & ne quis anteverteret, mandabant, ne qua navis ea nocte exiret inter duo illa caſtella, quæ ſunt in aditu maris atque ejus ſinus, qui ad ipſos pertinet. Excubitores etiam eo diſponebant, ne minora navigia, cujuſmodi plurima ſunt in propinquo, tranſirent. Nam eum nuncium ſciebant vehementer gratum eſſe futurum Turcarum Cæſari. Accidit autem, & importuniſſime quidem, ut ea nocte Dyrrachienſis illinc ſolveret, ut Conſtantino, qui præceſſerat, ſeſe conjungeret, inſtructus armis atque telis, quæ diſtribuerentur in eos, de quorum virtute atque fide compertum habebat. Sed cum ad eum locum, ubi illi excubabant, veniſſet, captus una cum famulis, cuſtodiæ mandatus fuit, & ademptis ei literis quas haberet, Veneti rem omnem ex iis cognoverunt, reliquis autem in ea navi permiſſum fuit, progredi. Retulit mihi deinde Conſtantinus, Venetos enunciaſſe omnia non ſolum Turcæ, verum etiam ejus præfectis, qui ſunt ad fines. Et niſi per quendam Albanum, ad quem ea navis pertinebat, qui ipſorum permiſſu, uti diximus, progreſſus erat, certior fuiſſet factus de eo quod accideret, in ſummo erat diſcrimine, ſed ubi cognovit, in

Apu-

Apuliam mari profugit. Nunc vero poſcit argumentum, ut de Venetis deque mea legatione aliquid referam. Miſſus eo fui, primum ut gratias agerem, quod tam liberaliter et amice reſpondiſſent illis, quos ante me rex miſerat, deinde, ut ſi omnino poſſem, in fide ipſos & amicitia continerem. Nam quod & opibus & induſtria, & adminiſtrandi peritia, plurimum poſſunt, facile ipſis erat inſtitutum Regis per Italiam evertere. Cum a rege diſcederem eo profecturus, quod fuit Aſtæ, aderat Sfortia, Mediolani Dux, & quo commendatior eſſem, literas ad ſuum legatum, qui Venetiis erat, mihi dabat, cum eoque multus mihi deinde fuit uſus. Huic dabant Veneti centum aureos menſtruos, & domicilium inſtructum, & treis naviculas, quibus animi cauſa uteretur: ipſorum etiam legatus tantundem habebat Mediolani, demptis navigiis. Iter mihi erat per ipſorum urbes, Brixiam, Veronam, Vicentiam, Patavium. Hi omnes ample & honorifice excipiebant, obviam, progreſſi & ubi in diverſorium deduxerunt, hoſpiti mandabant, ut ipſorum ſumptu copioſe & liberaliter omnia ſubminiſtraret. Egregia quidem & honeſta ratio: ſed qui ſupputet ea quæ in fidicines & id genus alios erogantur, parum reperiet emolumenti. Quo die Venetias veni, obviam ex ipſis multi prodierunt, ad quinque millia paſſuum. Hic eſt locus, ad quem Patavio venitur ſecundo flumine: ibi intermiſſo continente, mare incipit, & paratæ ſunt naviculæ valde commodæ, & ſtratæ intus tegumentis ſericis, ad conſidendum. Mare ibi valde eſt placidum, niſi cum gravior aliqua tempeſtas oritur, ideoque omnis generis piſces ibi maximo numero capiuntur. Valde mirabar cum ſitum urbis inſpicerem, tam multas templorum turres, ac tantam ædificiorum molem, in ipſo mari. Navigiis enim vulgo itur, eorumque eſt infinitus ibi numerus. Incredibile eſt, quam multa ſint circa urbem monachorum collegia, magnifice & ſumptuoſe ſtructa. In ipſa vero urbe, præter eos monachos, qui a mendicando nomen

men habent, & præter alia templa ſunt paræciæ ad LXXII. In eo quem dixi loco, qui ab urbe quinque milliaribus abeſt, excipiebant me vigintiquinque nobiles, elegantiſſime culti, & cum propius urbem deduxiſſent in templum quoddam divo Andreæ ſacrum, aderant totidem alii nobiles, cumque his legati, Mediolanenſis ac Ferrarienſis, & cum peramice ſalutaſſent, ſumpſimus alia paulo majora navigia, ſplendidiſſime exornata, in quibusque ſingulis conſidere poterant quadraginta, mihique locum tribuerunt medium inter eos duos legatos, quod honoris cauſa facere conſueverunt. Eo comitatu deducebant me per magnum rivum, qui mediam urbem dividit, ea latitudine, ut etiam triremes aliæque majores naves illac tranſeant, eoque nihil eſt elegantius. Quæ ſunt utrinque domus, valde ſunt amplæ & ſublimes, e ſaxo conſtructæ omnes atque depictæ: ſed quæ paulo ſunt vetuſtiores, ex candido marmore ſunt ædificatæ, quod ex Iſtria ad ipſos importatur. Dici vero non poteſt, quam habeant ſplendidam & magni præcii ſupellectilem. Ego ſane florentiorem Civitatem non vidi: legatis & exteris hominibus maximum deferunt honorem, & ſumma prudentia Rempub. adminiſtrant, & ſacra omnia religioſiſſime procurant, eoque potiſſimum mea quidem ſententia, Deum habent propitium. Hi, quos dixi, quinquaginta nobiles, perpetuo comitati, hoſpitium mihi præbuerunt in Abbatia divi Gregorii. Poſtridie cum accerſitus ab illis atque deductus in ſenatum veniſſem, quas a rege habebam literas, Duci Reipub. dabam. Is ſummus eſt ibi magiſtratus, & creatur perpetuus, eumque ut regem aliquem habent in honore, & tametſi per ſe parum ipſe poteſt, abſque communi ſenatus conſilio atque voluntate, tamen qui tunc præerat, valde magnam obtinebat authoritatem, ob ſingularem prudentiam, & rerum Italicarum peritiam, & ſummam ipſius humanitatem. Eo die nihil fuit actum præterea, & acceptis a me literis, per curiam circumducebant, ut ſtructuras & ædificia ſpectarem. Eſt ibi templum divo Marco con-

Digitized by Google

conſecratum, ipſi ſacellum vocant, longe pulcherrimum & ornatiſſimum. In eo eſt is, qui appellatur theſaurus, toto terrarum orbe celeberrimus. Ea ſunt ornamenta quædam ejus templi, & uniones, ad quatuordecim, omnium, quos ego viderim, longe maximi, non expoliti tamen, & coronæ duodecim aureæ, quibus ſolebant antiquitus exornari ad certos dies, totidem fœminæ, quæ circumvectæ more conſueto, cum per inſidias eſſent interceptæ a prædonibus, mariti non deſtiterunt illos perſequi, prius, qnam eas recepiſſent, & coronas illas deinde conſecrarunt divo Marco, & ſacellum ibi conſtruxerunt, in quod Senatus ingreditur quotannis, quo die facinus hoc fuit admiſſum. Nihil eſt ibi reconditæ pecuniæ, & Dux, præſente Senatu mihi dicebat, eſſe apud ipſos capitale, ſi quis referat de cogendo theſauro: quod prudenter & conſulto ab eis inſtitutum eſſe puto, vitandæ omnis contentionis atque ſimultatis cauſa. Poſtea deduxerunt ad navale & armamentarium, quo nihil eſſe poteſt inſtructum magis. Ibi videas nauticam omnem ſupellectilem, & quicquid ad apparatum maritimum eſt neceſſarium. Eſt omnino illis innata quædam induſtria & cupiditas proferendi fines, & amplificandi imperii, & niſi cohibeantur, erit tempus, quo vicini omnes conditionem ſuam nimis ſero deplorabunt. Cum rex in Italiam accederet, non habebant eum uſum militiæ, quem nunc habent, & ab eo primum tempore cœperunt multo melius intelligere rationes ſua defendendi, & nunc eo ſunt progreſſi, ut per Apuliam habeant oppignorata circiter octo oppida, quæ vix unquam reddituri ſunt, ut opinor, atque interim multa ſtruxerunt propugnacula, tum ipſi, tum alii per Italiam. Non ſunt autem ea virtute, ut tam ſubito, quam Romani, creſcant. Ex ipſis nemo bellum adminiſtrat in continente, ſed habent legatos, quos [illegible] lingua proviſores appellant, qui Imperatori exercitus adſunt, ut in commune conſulant & quæ ſunt neceſſaria, procurent. Maritimis autem bellis ipſimet præſunt, ex nobilitate delecti, &

Digitized by Google

& triremium præfecti. Quod autem terreſtri bello non præciuntur, eo fit, ne quis per eam occaſionem largiter poſſit, & regnum occupet, quod in repub. Romana non ſemel accidiſſe conſtat, quæ pacatis undique populis, aucta eorum privata cupiditate & gloria, qui rem bello præclare geſſerunt, civilibus tandem bellis oppreſſa, concidit. Illi autem magiſtratus omnes ita conſtitutos habent, ut factionibus atque diſſidiis non poſſit ullus eſſe locus, qua in re ſumma certe eſt prudentia. Plebs nullum pendit ibi tributum, nec etiam adminiſtrationi Reip. admovetur, & ſoli nobiles omnia munera publica obeunt, ſcribis tantum exceptis, qui ſunt plebei: Major etiam pars civium, & qui urbem incolunt, ſunt homines externi. Romani autem imperii rationem exactiſſime tenent, quomodo natum ſit, quomodo creverit quid recte, quid vitioſe in eo admiſſum, & non ſolum oſſa Titi Livii Patavini ſervant, verum ejus monumenta etiam & ſcripta diligentiſſime habent cognita atque meditata, his de cauſis videntur mihi, quod & ante dixi, ſummam aliquando potentiam ſibi comparaturi eſſe. Supra diximus, regem ante me alios eo miſiſſe legatos, & quoniam amice iis tunc reſponderant, hortati etiam, ut progrederetur, quod fuit antequam ille diſcederet Aſta: ego qui ejus rei mandatum haberem, quum eo veniſſem: gratias illis agebam, & cœpi commemorare, quam firma ſemper ac diuturna fuiſſet amicitia Galliæ regibus cum ipſorum Repub. cumque prolixe multa locutus eſſem in eam ſententiam, quæ ad majorem conciliationem pertinerent, deferebam eis Hidruntum atque Brunduſium, ea lege, quod ſi rex ampliora per Græciam ipſis daret, uti ea oppida nobis redderent. Illi, quod exiſtimarent regem, qui tum erat Aſtæ, non eſſe promoturum caſtra, valde reſpondebant amice, & ipſius inſtitutum magnopere prædicabant. Quantum ad oblatas conditiones attineret, nolle ſe committere, ut rex, cui gratificari ſtudeant, ipſorum pacem atque amicitiam redemiſſe videatur, eſſe quidem ipſis neque incommodum

dum neque difficile, inferre bellum, ſed eo ſe velle ſuperſedere. Sollicitabat eos vehementer eodem tempore de auxiliis, Alphonſi legatus, & ampliſſima promittebat, ac per eum Alphonſus profitebatur, habere quidem ipſos gravem ac juſtiſſimam contra ſe offenſionis cauſam, ſed orabat, uti & Reipub. injuriam, & dolorem ſuis precibus condonarent: Quod ſi Galli, ſe profligato, rerum potiantur, duriſſimum eſſe futurum Italiæ ſtatum, & ipſos pro ſua prudentia ſatis videre, quantum in eo ſit periculi, illos in his locis inveteraſcere. Sed & Turcarum Cæſar, miſſo legato, impulſu Romani Pontificis, niſi regem oppugnarent, hoſtium loco ſe habiturum ipſos, minabatur, eumque legatum non ſemel ipſe vidi. Illi placide ſingulis reſpondebant, & nos adeo non metuebant initio, ut etiam riderent. Nam Sfortia, nuper factus Mediolani Dux, per ſuum legatum confirmabat eos, ne eſſent ſolliciti tenere ſe rationem, quemadmodum regi perſuaderi poſſet, ut domum redeat: non eſſe quod vereantur, ne quid ille per Italiam occupet. In eandem quoque ſententiam nunciaverat Petro Medices, Rempub. adminiſtranti, quod mihi recitavit ipſe. Cum autem utriq. viderent aliquot Florentinorum oppida & arces, præcipue vero Piſas, in poteſtate regis, cœperunt trepidare, & communicatis inter ſe conſiliis, deliberabant, quomodo impedimentum inferrent. Sed quoniam ipſorum deliberationes fere ſunt prolixiores, noſtris erat non incommodum, quo vellent progredi. Hiſpaniarum quoque Rex Ferdinandus, propter Siciliam & Sardiniam, quas teneret, non parum ſibi metuebat: Maximilianus autem Cæſar indigne etiam ferebat, & in eo ſuo imperio minus honeſtum ſibi putabat, tantos eſſe noſtrorum hominum ſucceſſus per Italiam, eumque dolorem augebat, quod nonnulli dicerent, regem affectare imperium Romanum, & Pontificem, ut id ſibi pace ipſius liceret, interpellaſſe. Verum iſtud erat confictum & callide excogitatum. Itaque legationem ambo reges decreverunt ad Venetos. Ejus, quam Maximilianus mittebat

bat, Princeps erat Epiſcopus Tridentinus: cum eo veniebant ex nobilitate duo, & quidam jureconſultus. Hiſpaniæ Rex nobilem quendam miſit, egregium virum, amplo cum comitatu. Iis magnum deferebat honorem Senatus omnemque ſumptum ſubminiſtrabat. A mediolani Duce veniebant, Epiſcopus Comenſis, & Franciſcus Bernardinus, Vicecomes. Hi omnes nocturno tempore occulte conveniebant, & initio per ſcribas rem tractabant. Nam Veneti in primis & Mediolani Dux, cum de fœdere adhuc dubitarent, timidius agebant, & ne quid ad regem efferretur, valde erant ſolliciti. Qui Mediolano venerant, ſalutandi & officii cauſa me compellabant, allatis etiam literis Mediolani Ducis, ad me ſcriptis, eoque ſeveniſſe dicebant, quod Veneti, cum antea ſolummodo unum mittere conſueviſſent Mediolanum, nunc duos miſiſſent legatos. Hoc illi diſſimulanter ad me ne quid ſuſpicarer, & inter colloquendum, longius progreſſi oratione, quærebant ex me, quid eo veniſſent Maximiliani & Hiſpaniæ Regis legati; cupere ſe Principem ſuum de eo certiorem facere. Ego jam ante cognoveram, legatum Hiſpanum, mutata veſte, ne agnoſceretur, feciſſe iter per Mediolanum: ſed & illud, Neapolitanum legatum crebras ab Alphonſo literas accipere, quas cum Senatu Veneto reliquiſque legatis communicaret. Hæc ego reſciveram, ut dixi, cum ab aliis, tum ab ipſis legatorum famulis: nec enim ulli ſumptui aut labori in eo parcebam, & adeo nihil me latebat, ut etiam quid initio propoſitum, & quouſque jacta eſſet progreſſio, ſcirem. Accidit autem iſtud prius, quam Florentia Rex diſcederet. Cum ergo ſcirem jacta quædam eſſe fundamenta fœderis, non putabam eſſe diſſimulandum amplius, ideoque illis reſpondebam, quandoquidem adeo ſimulate mecum agerent, hæc eſſe quæ cum ipſis colloqui vellem, Primum, non ſtare per Regem, quo minus firma ſit ipſis nobiſcum amicitia, deinde, me paratum eſſe, cauſa regis, ſatisfacere deſiderio Ducis & reſpondere iis, quæ falſo ad ipſum & invidioſe delata ſint: mihi

videri

videri ex ipſius uſu ac dignitate fore, ſi in fide ac amicitia permaneat: extare quædam ejus erga regem officia atque merita, non debere committere, ut eorum memoria atque gratia depereat: Galliæ regum perpetuum eſſe morem, ut ne ſint ingrati: & regem agnoſcere, quibus ab eo ſit affectus beneficiis, & ſuo tempore parem eſſe relaturum gratiam: non oportere idcirco ab amicitia diſcedere, ſi quid forte minus prudenter a noſtris dictum ſit: eſſe animi generoſi, contemnere quæ vulgus hominum effutiat, & utriuſque ſalutis intereſſe, ut ne qua fiat animorum disjunctio. Poſt hæc rogabam, ut ſui doloris cauſam, & quid ipſis in rege diſpliceret, libere mihi dicerent, quo certiorem eum facerem. Hoc enim æquum eſſe magis, quam ſilentio tegere dolorem, & repudiata ſatisfactione, velle inimicitiam exercere. Ibi tum illi jurejurando mihi confirmabant, Principem ſuum nihil ejusmodi cogitare, & magnam præ ſe ferebant, quod ad eum modum eſſem locutus, admirationem. Poſtero die, cum in Senatum ejus rei cauſa veniſſem, reliquo ſermone confecto dicebam, per illud fœdus, quod & cum rege haberent, & quod cum ejus parente feciſſent, non licere ipſis quoquo modo noſtris adverſariis adeſſe, & regem ſimili conditione ipſis devinctum teneri, multo minus etiam licere ipſis inire fœdus hoc, de quo nunc frequens admodum rumor increbuiſſet: quod ſi faciant, diſcedere ipſos ab eo quod conveniſſet, & violare pacta. Cum ad hunc modum verba feciſſem, ex concilio dimittunt, paulo poſt revocant. Incipit dux. Non oportere iis quæ vulgo dicantur, habere fidem: eſſe civitatem liberam, neque loquendi modum apud ipſos cuiquam præſcribi: non eſſe ipſorum conſilii aut voluntatis, inire fœdus contra regem, nec ullam ejus rei mentionem hactenus audiſſe: ſed potius & cum ipſo, & cum Maximiliano Cæſare, & Hiſpaniarum Rege, & cum Italiæ Principibus omnibus, velle fœdus facere contra vim & tyrannidem Turcicam: ejus fœderis ſocios, pro ſuis quenque facultatibus, debe-

debere pecuniam contribuere: qui recuſet, eum & authoritate Regis, qui exercitum habeat paratum, & ab ipſis etiam, oportere ad æquitatem & officium adduci: habere ſe in animo, diſſidium iſtud & offenſionem omnem componere: ejus pacis has eſſe conditiones, ut rex accepta mediocri pecuniæ ſumma, diſcedat ab armis, neque bellum faciat Neapolitanis: eam pecuniam ſe prærogaturos, ea lege, ut quædam Apuliæ oppida & caſtella ipſis oppignorentur: ut Alphonſus permiſſu Romani Pontificis, acceptum regi ferat regnum Neapolitanum, & fidem, uti fieri ſoleat, præſtet, & ſtipendium annuum pendat, & ipſius poteſtati tria oppida permittat. Hæc illi tunc nobis deferebant, atque utinam Rex non fuiſſet aſpernatus. Ad ea paucis reſpondebam. Non eſſe mei officii nec authoritatis, ea quæ propoſuiſſent, acceptare: ſcripturum diligenter omnia regi: ſimul orabam, ut ne nimium in conſtituendo fœdere properarent, & ut dolorem ſuum mihi patefacerent, nec in eo quicquam, uti Mediolanenſes legati feciſſent, diſſimularent. Tum illi aperte, dolere ſibi dicebant, quod rex, cum antea ſemper præ ſe tuliſſet, moliri ſe bellum adverſus Neapolitanos tantum & Turcas, & quum ipſis quoque per literas & nuncios idem confirmaſſet, nunc & Romani Pontificis & Florentinorum oppida atque arces teneat, & in his quoque Piſas, & ad ſe rapiat quicquid ubique poſſit, & Turcam ſinat uti pace. Alterum, quod in eo reprehendant, eſſe, quod Aureliorum Dux, quæm Aſtæ rex reliquerit, ſuſpicandi & metuendi cauſas adferat Duci Mediolanenſi, atque eo magis quod ipſius milites ac familiares, emiſsis aliquot vocibus, non tenuem nec obſcuram alicujus facinoris, de quo cogitent, ſignificationem præbeant: Et licet vera ſint iſta, ſe tamen nihil eſſe moturos prius, quam à Rege mihi ſit allatum reſponſum. Quæ ab ipſis cognoviſſem, e veſtigio ad Regem enunciabam: ſed frigide & aliene mihi reſpondebatur. Ubi viderunt conſilia ſua eſſe patefacta, cœperunt agere diligentius, & quo-

quotidie conveniebant. Quod ſi hoſtes Viterbii reſtitiſſent, & regem intra fines ingredi prohibuiſſent, Veneti copias erant miſſuri Romam, ubi Ferdinandum regem putabant eſse permanſurum. Sed de illius abitu certiores facti, mutarunt propoſitum, atque interea Maximiliani & Hiſpaniæ regis legati, valde ipſos urgebant, ut fœdus decernerent: niſi faciant, profitebantur ſe, quod per menſes quatuor jam eſsent ibi morati, diſceſſuros. Illi cum per ſuos legatos, qui in noſtris erant caſtris, accepiſsent, regem ſine ullo impedimento progredi, etiam eſſe Neapoli, recitabant mihi quid haberent rei novæ, & hilaritatem aliquam ſimulabant, ſed arcem Neapolis nondum captam, & egregie munitam eſſe dicebant, idque ad eum modum, quaſi ſperarent eam poſſe tolerare obſidionem. Ideoque Neapolitano legato permittebant, ut intra urbem manus cogeret, eaſque Brunduſium mitteret. Sed quum ad exitum fere perducta eſſet ipſorum actio, certe fuerunt allatæ literæ de deditione arcis. Ibi denuo jubent me accerſiri, & in cubiculo Ducis, qui tum nonnihil ægrotabat, convenerant circiter ſexaginta. Dux initio ſuæ orationis commemorabat quod acciderat, arcem Neapolis jam eſſe in poteſtate Regis. Fingebat ille vultum, neque videbatur moleſte ferre, ſed reliqui vehementiſſimæ cujusdam triſtitiæ ſigna dabant omnes, & demiſſo capite terram intuebantur, & nullo ordine ſedebant in inferioribus ſubſelliis. Opinor equidem, quo tempore Romam nunciatum fuit de Hannibalis prope Cannas victoria, non fuiſſe majorem Senatus conſternationem, quam fuit iſtorum. Nam præter Ducem, ex ipſis nemo quiſquam mihi loquebatur, nemo reſpexit, quod maximopere mirabar. Ubi quod Neapoli geſtum erat, expoſuit, rogabat, an quæ ipſis per me Rex promiſiſſet, ſervaturus eſſet? Confirmabam illi, ne quid dubitarent, ſimul, quæ ad eam rem pertinere videbantur, explicabam, & ut ipſis amplius ſatisfacerem, omne ſtudium ac operam meam pollicebar, atque ita diſceſſi. Nondum illi perfece-

rant actionem, & Maximiliani Cæſaris legati, quod moram iſtam graviter ferrent, abitionem parabant. Mediolani Dux etiam, quum ex conditionibus unam diu recuſaſſet, permiſit tandem ſuis, ut aſſentirentur. Eo facto, decreta fuit confœderatio. Interim dum hæc geruntur, Regi nunciaveram, quicquid ad ipſum pertineret, & urgebam ut vel amice reſponderet ad ipſorum poſtulata, vel ut Neapoli maneret aliquandiu, atque ibi majores peditum copias conduceret, & de re nummaria provideret, & potiſſima ejus Regni loca præſidiis firmaret, eoque facto, ſtatim iter ingrederetur, domum rediturus, neque moram ullam interponeret, ne poſtea graviori bello ſit occurrendum, & cum omni multitudine hoſtium, qui nondum conveniſſent, dimicandum. Aureliorum etiam Duci, qui cum ſuis tantum comitibus ac familiaribus erat Aſtæ, nunciabam, ut oppidum præſidio muniret: nam fore, ut hoſtes ipſum adoriantur. Ad hæc, Borboniæ Ducem, quem Galliæ per ſuam abſentiam Rex præfecerat, cohortabar, ut magna celeritate copias mitteret Aſtam, qui ab hoſte illam defenderent: eo amiſſo oppido, non poſſe deinde Regi ſubveniri: ſed & Monferratenſem viduam, nobis valde amicam, & Sfortiæ multum infeſtam, miſſis literis orabam, ut Aureliorum Duci, cum opus illi eſſet, militem ſubminiſtraret, propterea quod Aſta deperdita, ipſius atque etiam Salaſſiorum ager omnis, maximam eſſet accepturus calamitatem.

PHILIPPI COMINÆI

Equitis, *Commentariorum*

LIBER TERTIUS.

PErfecto & decreto fœdere, quod fuit ſub noctem valde fero, poſtridie, paulo quam ſolebant citius, adeſſe me jubent. Cum aſſediſſem, Dux incipit, feciſſe ipſos cum Pon-

Pontifice Romano fœdus, & cum Maximiliano Cæſare, & cum Hiſpaniarum Rege, & Mediolani Duce, tribus potiſſimum de cauſis, ut Rempublicam Chriſtianam ab immanitate Turcica defendant, ut Italia pace utatur, & ut ſinguli privatim locum atque dignitatem ſuam tueri poſſint, ad eamque Rex auxilia invicem communicent. Monebant autem, ut ad Regem iſta perſcriberem, erantque valde frequentes, ad centum & eo amplius, non triſtes neque dejecti, ut nuper, cum de capta Neapolis arce mihi referrent, ſed alacres & erecti. Revocatos etiam ab ipſis, qui cum Rege eſſent, ſuæ Civitatis legatos, dicebat, iiſque mandatum eſſe, ut celeriter redeant. Iis rebus cognitis, valde angebar in animo, propter periculum regis, quod putarem eos jam paratas habere copias, præſertim Germanorum, quod ſi accidiſſet, regem prohibuiſſent reditu in Galliam. Erat mei propoſiti, non nimium progredi oratione: ſed quum illi me ſuis verbis extimularent, dicebam, pridie ejus diei atque etiam ſuperioribus aliquot diebus, ad regem omnia me ſcripſiſſe, qui reſponderit, ſe & ex urbe Roma & Mediolano de re tota jam ante cognoviſſe. Ibi cœperunt in me reſpicere omnes, ac vultu ſignificabant, mirari ſe, quod dicerem ad regem me ſcripſiſſe. Valde enim præ cæteris indulgent ſuſpitionibus, & ſummo ſilentio conſilia ſua tegunt, & per ſuſpitionem aliquando comprehendunt homines, eaque fuit cauſa, quamobrem iſtud dicerem. Hoc quoque addebam, enunciaſſe me Aureliorum & Borboniæ Duci, ut Aſtam rebus omnibus neceſſariis munirent. Exiſtimans hoc ipſum eſſe allaturum aliquam moram obſidioni. Nam ſi tam fuiſſent parati a rebus omnibus, quam jactabant, facile cepiſſent oppidum, quod neque tum erat, neque multis poſt menſibus fuit inſtructum. Ad hæc illi, ſe non oppugnandi regis, verum ſui defendendi cauſa fœdus hoc iniiſſe, & copias conducere dicebant: non ſe poſſe ferre illa verborum ludibria, finxiſſe Regem, quaſi præter Neapolitanum regnum nihil af-

fecta-

ſectaret, ut eo commodius deinde bellum inferret in Turciam: nunc autem quid ſit ipſius conſilii, ſatis apparere: hoc enim moliri, ut & Mediolani Ducem, & Florentinam Remp. opprimat, & Eccleſiæ Romanæ poſſeſſiones invadat. Tum ego, Galliarum reges ea ſemper fuiſſe religione, ut Eccleſiam non ſolum maximo ſuo labore atque periculo defenderint, verum etiam ampliſſimis facultatibus auxerint atque ornarint: hunc etiam adeo non degenerare a ſuis majoribus, ut Eccleſiæ ſit daturus aliquid potius, quam adempturus: non hanc eſſe veram doloris cauſam, ſed eo ſpectare ipſos, quemadmodum & Italiam omnem perturbent, & occaſione iſta ſuum imperium amplificent. Eum ſermonem graviter tulerunt, ut poſtea cognovi. Quam autem nihil finxerim, aut iracunde dixerim, vel ex eo ſatis videri poteſt, quod Ferdinando, Alphonſi filio, redimenda fuit ipſorum amicitia, oppignoratis aliquot Apuliæ oppidis, quæ ad hoc tempus tenent, ut ei contra nos auxilia ferrent. Cum locutus ad eum modum diſcederem, juſſus ab illis, iterum aſſedi, atque ibi Dux rogabat, num pacis rationem aliquam aperire vellem? Hoc eo quærebat, quod pridie aliquam ejus rei mentionem feceram. Verum id fuerat ſub conditione, ut differrent ſcilicet, neque de fœdere prius, quam a rege mihi reſponſum eſſet, aliquid decernerent. His inter nos commutatis, verbis, abi. Mox illi confœderatorum principum legatos adeſſe jubent. Egredienti occurrebat mihi Neapolitanus, maximam hilaritatem vultu præſeferens. A meridie, hi quos diximus, legati omnes, ingreſſi naviculas, animi voluptatiſque cauſa, vehebantur huc illuc per urbem, quod ibi fieri conſuevit ſumptu Reipublicæ. Erant autem ad quadraginta circiter navigia, nitide & eleganter inſtructa, ex quibus, eorum principum, cujus eſſet quiſque legatus, inſignia propendebant. Letitiæ plena erant omnia, quam & adjuncti fidicines magis excitabant. E diverſorii mei feneſtra ſpectabam præter navigantes, & ex Mediolanenſibus legatis alter, cum antea

tea valde mihi fuiſſet familiaris, ſimulabat tum non noviſſe. Triduo me continebam domi cum famulis, quanquam certe nihil interim vel in me vel in meos indigne fuit admiſſum. Sub noctem vero, publicam & ſolennem lætitiam ſignificabant tormentorum tonitru, & excitatis ignibus atque facibus accenſis in templorum turribus, & ædium faſtigiis. Atque ut hæc omnia melius ſpectarem, multa jam nocte navigabam propius ad illorum domicilia, ſed nemo credat, quantus ibi eſſet conviviorum apparatus Non fuit autem eo die divulgata confœderatio. Pontifex enim Romanus juſſerat differri ad diem uſque Dominicum, qui proxime Paſcha antecedit, quem ipſi Olivarum diem appellant. Eum conſtituit, quo & per Hiſpanias, & Germaniam, & Venetiis pronunciaretur fœdus, ac juſſit ut & principes ipſi confœderati atque eorum legati, ramum oleæ circumferrent ſinguli, quod pacis atque fœderis indicium eſſe conſuevit. Interim ſenatus viam juſſit extrui & materia muniri, inde a curia uſque ad extremum forum divi Marci, & conſtituto die, cum legatus Pontificis ſacrum feciſſet, iiſque omnibus, qui intereſſent, peccatorum expiationem communicaſſet, facta fuit ſenatus & legatorum omnium, ad templa deorum ſupplicatio, & legatis quidem ad eam rem ſplendidiſſimas veſtes præbuerat ſenatus. Exhibiti deinde fuerunt ludi quidam atque ſpectacula, & certo loco recitatum fœdus. Erat tum Venetiis Turcarum Cæſaris legatus, qui tametſi dimiſſus erat a ſenatu, volebat tamen occulte ejus rei ſpectator eſſe. Is noctu clam ad me venit, & per interpretem, hominem Grecum, diu multumque locutus, videbatur magnopere optare, firmam eſſe regi cum ſuo principe amicitiam. Invitaverat me ſenatus, ut ſupplicationi intereſſem: ego autem excuſabam, & totum menſem poſt illud tempus ibi commoratus, ubi rex me revocavit, diſceſſi, honorifice deductus ab illis Ferrariam uſque. Ejus Dux civitatis obviam mihi progreſſus, amanter excepit. Idem fecit Bononiæ, Joannæs Bentivola. Poſt

Poſt Florentiam ivi, accerſitus ab illis, atque ibi regis adventum expectabam, ad quem nunc eſt revocanda oratio. Is quandiu Neapoli fuit, præter delitias & locos nihil curabat, ut ſupra diximus, & qui gratia plurimum apud eum poterant, hoc ſolum ſpectabant, quemadmodum ibi ſuas facultates amplificarent. Ipſe quidem propter ætatem excuſari fortaſſe poſſit: illi vero minime, quorum ipſe fidei adminiſtrationem omnem commiſerat. Quod ſi arces aliquot iis locis muniiſſet, Neapolitanam in primis, non excidiſſet regno: ſed illorum erat hæc omnia prævidere & gubernare. Poſtea quam ergo de facto fœdere cognovit, delegit ad quingentos cataphractos equites, item Helvetiorum & peditum noſtrorum cohortes aliquot. His ad regni defenſionem relictis, ipſe cum reliquo exercitu conſtituit redire domum, eadem qua venerat, via, ſed confœderati jam cogebant manus, ut tranſitu ipſum prohiberent. Ante, quam Neapoli diſceſſit, Hiſpaniarum rex miſſis aliquot navibus in Siciliam, munierat Rhegium, quod eſt in extremis Calabriæ finibus oppidum, contra Siciliam. Ego Regem præmonui, fore, ut illic appellerent. Neapolitanus enim legatus, cum putaret eos jam appuliſſe, mihi prædixerat. Facile tum noſtris fuiſſet, arcem ejus loci occupare, præſertim cum oppidani eſſent a nobis non alieni: ſed quod nullas fere copias Rex iis locis haberet, adverſarii non Calabriam modo, ſed & Apuliam, adductis e Sicilia præſidiis, muniebant. Hidruntini etiam, ubi de fœdere facto reſciverunt, quod & Brunduſio & Gallipoli eſſent finitimi, neque copias ullas ad ſui defenſionem conducere poſſent, defecerunt a nobis, & Fridericus Alphonſi frater, qui tum erat Brunduſii, præſidium ipſis impoſuit. Breviter, omnium prope fuit immutata voluntas, & propter fœdus, & regis abitionem, & oppidorum, quæ noſtri tenerent, infirmitatem. Legatum ſuum rex ibi conſtituit Monpenſerium, ex familia Borboniorum, egregia quidem virtute, ſed parum diligentem. Calabriæ præfecit Albinium Scotum, fortiſſi-

fortiſſimum virum, eique Conneſtabulatum ejus regni, & quorundam nobilium, qui profugerant, facultates attribuit. Stephanum Verium præeſſe voluit Cajetæ & totius regni quæſtorem fecit, ac plus oneris impoſuit, quam ferre poſſet. Ad hunc modum paſſim conſtituit præfectos, e quibus plærique cupide & avare, nonnulli etiam parum bona fide rem adminiſtrabant. Tarentini erant nobis valde præ cæteris addicti, & in fide permanſerunt, donec omnium rerum inopia adducti deditionem facerent. Cum Salernitano & Biſigniano rex liberaliter egit, & ipſorum quidem merito. Nam uſus eſt bona & fideli ipſorum opera. Idem judicium fecerat de Columnenſibus, eorumque fidei atque cuſtodiæ plurima permiſerat oppida, quæ ſi defendiſſent, quod jurejurando promiſerant, fuiſſet maximo ipſorum emolumento & honore: ſed prius, quam rex illinc diſcederet, occulte ſua conſilia cum Mediolani Duce communicabant. Erant enim partium Gibellinorum. Cum vero tantis eſſent ornati beneficiis a rege, non debebant profecto a fide diſcedere. Nam & in ipſorum gratiam rex captivos ducebat Virgilium Urſinum & Comitem Petilianum, nulla quidem de cauſa, quanquam enim capti fuerant, ut ſupra diximus: rex tamen non ignorabat, interpoſita fide cautum eis fuiſſe, ideoque cogitabat Aſtam uſque ſolum deducere ipſos, & poſtea dimittere. Quod autem eouſque circumduceret, faciebat rogatus a Columnenſibus, qui tamen priusquam rex Aſtam veniret, ab eo defecerunt omnium primi, nec ullam, cur ita facerent, cauſam adferebant. Rex, procuratis rebus omnibus ad hunc modum, ingreſſus eſt iter cum exercitu. Hi erant circiter nongenti equites cataphracti, Helvetii ad duo millia & quingenti, & qui ſequebantur caſtra, circiter mille, & quingenti, ad pugnam utiles. Petilianus, qui diligentius quam ego, numeraverat, ſummam omnium eſſe dicebat ad novem millia. Fuit hoc a prælio, cum mihi diceret, de quo ſumus dicturi poſtea. Adventante rege, Pontifex decreverat proficiſci Patavium,

ac paratum fuit ei domicilium, ſed mutata voluntate, Orvietum, ac inde Peruſiam ſeſe recepit. Cardinales autem, qui regem exciperent, juſſit manere. Legatum rex ad eum præmiſerat, orans ut ſe expectaret, eratque dubio procul honorem illi ac benevolentiam omnem præſtiturus. Romæ non diu fuit moratus, ac ſine ullo maleficio tranſiit. Acceſſitus ab eo literis, in itinere ad ipſum veni. Ubi vidiſſet, ſubridens quærebat, an Veneti obviam ſibi mitterent, qui exciperent. Noſtri homines per ætatem & imperitiam non intelligebant periculi magnitudinem, & magnam ſibi authoritatem magnoſque ſpiritus in re militari ſumpſerant. Ego, quid mecum locutus eſſet Senatus Venetus, ei recitabam, hoc ſcilicet, fore, ut ipſi cum Mediolani Duce, exercitum educant ad quadraginta hominum millia, non quidem ipſius oppugnandi, verum ſui defendendi cauſa. Nam quo die Patavio diſceſſi, ex ipſorum legatis alter, ad bellum iſtud delectus, mihi dixerat, quod ſi a bello contra Mediolani Ducem rex abſtineret, ipſorum exercitum non eſſe tranſiturum Olium flumen, quod eſt in ipſorum finibus, non procul a Parma. Itaque rationem certam tunc inivimus, quemadmodum literæ & nuncii inter nos commearent, ſi res ita ferret, pacis tractandæ cauſa. Nam quod cogitarem, multa poſſe regi evenire incommoda, volebam occaſiones omnes pacificandi ſervare integras. Habebam deſcriptum illorum exercitum omnem tam equitum quam peditum, & Stratiotarum, ſed & nomina ducum. Ex iis autem qui regi familiares erant, vix pauci fidem habebant, cum iſta referrem. Ubi per biduum rex Senæ commoratus eſſet, reficiendi ſui cauſa, valde urgebam ut diſcederet. Nondum enim hoſtium copiæ omnes convenerant, & Germanorum adventum magnopere metuebam, tametſi Maximilianus Cæſar lente ac remiſſe adhuc ageret. Rex autem duo quædam in concilium adduxit, primum, an Florentinis redderet, quæ ab ipſis acceperat oppida & arces. Nam illi ut hoc impetrarent, parati erant mutuo dare

Digitized by Google

dare ad ſeptuaginta aureorum millia, & quo minus tranſitu prohiberi poſſet, ſubminiſtrare ac ſuo ſumptu alere ad trecentos equites cataphractos, & duo millia peditum, duce Franciſco Cicone, viro ſummæ virtutis, & cui rex plurimum tribueret. Qui cum ipſo eramus plærique, conditionem hanc accipiendam, & Liburnum ſolum retinendum eſſe dicebamus, quod & ita militi ſatisfacere poſſet; & habiturus eſſet præterea, quo placaret ex hoſtibus nonnullos, & ad ſuas partes traduceret. Sed conſilium hoc evertit Comes Liniacus, regis conſanguineus, adoleſcens, & ſui propoſiti nullam habebat firmam aut idoneam rationem, niſi quod Piſanorum injuriam atque caſum dolere ſibi diceret. Alterum deliberationis caput ad Liniacum proprie pertinebat. Multæ ſunt Senenſium factiones, quo fit ut valde inſcienter & tumultuoſe præ cæteris Rempub. adminiſtrent. Hi Liniacum poſcebant, eique rerum ſummam & ſuæ civitatis imperium deferebant. Re ad concilium introducta, quum primus eſſem rogatus ſententiam, reſpondi, non eſſe quod rex ad ejuſmodi conditiones oblatas animum adjiciat, in quibus nihil ſit firmi, & quæ ad leviſſimam quanque occaſionem poſſint everti: deinde, eſſe eam civitatem imperii Romani: ſi quid a nobis ibi tentetur, hoc eo pertinere, ut Imperii Principes, quod ipſos in ſuo jure interpellemus, gravem habeant, & juſtam contra nos offenſionis cauſam: prudenter itaque facturum, ſi iis omnibus repudiatis, magna diligentia progrediatur. Et quamvis ea ſententia vinceret, tamen aliter decretum fuit, & Senenſes Liniacum ſuæ civitati præfecerunt, & annuam pecuniam promittebant, & rex ea de cauſa commoratus ibi ad ſeptem dies, jucunde & ſuaviter vivens, quum diſcederet, ad trecentos milites ibi reliquit, & alieniſſimo tempore ſe ipſum infirmiorem effecit, inde Piſas contendit. Quos autem ibi reliquerat milites, ii menſem unum poſt, ejecti fuerunt omnes. Pene oblitus eram ejus, quod de Florentia dicere conſtitueram. Erat in ea urbe Dominicanus qui-

dam, Hieronymus, vir integerrimæ vitæ, ut plærique omnes predicabant. Is multo ante prædixerat, Galliæ regem eſſe venturum cum exercitu, & excitatum a Deo, ut Italiæ tyrannos mulctaret, ideoque fieri non poſſe, ut ei reſiſteretur. Piſas quoque venturum dixerat, & fore, ut Florentinæ Reipublicæ ſtatus immutaretur, quod accidit profligato Petro Medices, de cujus etiam patris Laurentii morte, locutus antea fuerat. Adhæc, divinitus ſibi patefactum eſſe dicebat, oportere ſtatum Eccleſiaſticum per vim armorum emendari. Nondum quidem iſtud accidit, ſed tunc temporis prope erat, ut fieret. Et quod ad eum modum loqueretur, plærique vituperabant, alii fidem habebant. Senatus autem plurimum ei tribuebat, & ipſius permoti concionibus, nihil ſibi contra regem ſuſcipiendum eſſe putabant. Atque ea fuit cauſa, cur ipſum inviſerem, dum eſſem Florentiæ, comitatus Joanne Franciſco, homine noſtrate, viro prudente & bono. Cum ad colloquium veniſſem, rogabam, an putaret regem poſſe incolumem tranſire, quandoquidem Veneti tam numeroſum & inſtructum haberent exercitum: Ille, & de Venetis, & inito fœdere, deque re tota multo plura, quam ego, qui recens illinc veneram, ſciebat, & regem quidem, uon abſque labore & difficultate, ſed tamen evaſurum eſſe dicebat, etiamſi minimum haberet comitatum: eſſe Deum qui illum duxerit ad hoc tempus, &. domum quoque ſit reducturus: ſed quod officium ſuum non feciſſet, quod Eccleſiæ ſtatum non emendaſſet, quod ſuos ab injuria & maleficio non prohibuiſſet, fore, & brevi quidem, ut incommodi aliquid accipiat: quod ſi autem ad ſanitatem redeat, & in ſuos pro magnitudine facinoris animadvertat, & miſerorum hominum ſalutem ac commoditates procuret, Deum miſericordia in ipſum eſſe uſurum. Monebat etiam, ut iſta regi dicerem, & cum in colloquium ipſe veniſſet, nihil horum ad eum diſſimulabat, & ut Florentinis, quæ bona fide ab ipſis accepiſſet oppida, reſtitueret, hortabatur. Hæc omnia eo pertinent, ut demon-

demonſtrem, profectionem hanc a Deo gubernatam fuiſſe, quod non ſemel antea diximus. Interim dum rex Piſis erat, oppidani flentes implorabant noſtros homines, quibus ſinguli præberent hoſpitium, ut apud regem intercederent ac efficerent, ne ſe in ſervitutem denuo Florentinis traderet. Erat certe juſta ipſorum querimonia, & plærique alii per Italiam populi ad eum modum tractantur ab iis, quorum ſunt ſub imperio. Fuit autem Piſanis cum Florentina Republica diſſidium per annos trecentos, ante quam ſubigerentur. His lachrymis atque precibus noſtri commoti, & obliti jurisjurandi, quo rex Florentinis erat devinctus, volebant illis omnino gratificari, ſic, ut etiam vulgus militum promiſcue, & Helvetii eam rem curæ haberent, & iis, qui pacta ſervanda eſſe dicebant, minarentur. In his erant Briſſonetus, nuper factus Cardinalis Maclodienſis, & Mareſcallus Gius, & Gannæus, qui vim & injuriam metuens, triduum totum latebat. Liniacus autem magnopere illis favebat, & quodam die, cives multis cum lachrymis ad regem venerunt ac ſupplices orabant, ut ipſorum miſereretur. Triſte quidem & lamentabile ſpectaculum, ſi modo abſque alterius injuria potuiſſent liberari. Sed noſtri adeo vehementer eorum ſaluti ac libertati ſtudebant, ut ex nobilitate circiter quinquaginta, regem, cum a prandio luderet alea, circumſiſterent armati, & nonnullos ex ipſius familiaribus, qui rem iſtam impedire dicebantur, valde incuſarent, illata etiam ſuſpitione proditionis. Rex autem idonee & maſcule illis reſpondit, & commoratus ibi ad dies ſeptem, novos milites præſidio reliquit, & Entragium quendam, ex domeſticis Aureliorum Ducis, hominem barbarum ac vitioſum, ei civitati & Petræſanctæ & Libræſactæ præfecit. Sarezanellam vero arcem alii cuidam tradidit, & præſidia ſingulis locis impoſuit, cum magnopere illi quibuſcunque opus eſſet auxiliis. Quas autem Florentini propoſuerant conditiones, eas repudiabat, & priusquam Sena diſcederet, certior factus erat, Aureliorum Ducem occupaſſe

paſſe Novariam, Mediolani Ducis oppidum. Quo minus ei dubitandum erat de Venetorum contra ſe bello. Nam illi per me nunciaverant, quod ſi Mediolani Duci bellum faceret, ſe non eſſe neglecturos ejus, qui ſocius eſſet ac confœderatus, injurias, & jam paratum habebant exercitum. Mediolani Dux, cum fœdus iniretur, venerat in ſpem capiendæ Aſtæ verum id fruſtra fuit. Nam & Borboniæ Dux admonitus meis literis, & Salaſſiorum Marchio, copias aliquot equitum & peditum celeriter mittebant, quæ impedimentum attulerunt hoſtibus, qui non longe aberant, quorum erat præfectus Galeacius Sanſeverinus. Acceſſerunt quoque poſtea tam noſtri equites cataphracti, quam pedites & Helvetii ad ſeptem hominum millia & quingenti, ſed hi diutius in itinere commorati prope nullius erant uſus. Cum enim ideo eſſent conducti, ut regi ſubſidio venirent, commutata fortuna, in eas devenerunt anguſtias, ut regem ipſis auxilium ferre oporteret. Nunciatum fuerat Aureliorum Duci, & reliquis militum præfectis, ne quid adverſus Mediolani Ducem experirentur, ſed ut oppida præſidio & rebus neceſſariis munirent, & obviam regi procederent, ad Ticinum uſque fluvium, qui ſolus impedimento erat. Ille autem eo neglecto mandato, Novariam cepit, quod Mediolano decem abeſt milliaribus. In ea autem re fidelem & egregiam operam ei navavit vidua Monferratenſis, ipſeque magna omnium congratulatione receptus fuit, tam a Guelphis, quam a Gibellinis, & triduo poſt, qui arcem tenebant, deditionem quoque fecerunt. Quod ſi capta Novaria ſtatim contendiſſet Mediolanum, aut ſuos eo miſiſſet, publica fuiſſet omnium admiſſus lætitia, quod ex præcipuis ejus loci poſtea cognovi. Tribus certe primis diebus, abſque periculo poterat: nam quarto demum die, poſt captam Novariam, hoſtes reverterunt Mediolanum. Sed fortaſſe iis, quæ ad ipſum deferebantur, non habebat fidem. Rex Piſis Lucam profectus, & biduo ibi commoratus, Petramſanctam ivit, nihil de hoſte ſollicitus,

citus, nec etiam ejus familiares. Inter ea oppida faciendum eſt iter per loca valde anguſta, quæ minimo negocio pauci admodum pedites defendant. Unum latus tengunt prææltæ rupes, ab altera parte ſunt ſtagna valde profunda, eaque eſt ejus natura loci, ut ſi carrum aliquis ibi transverſum objiciat, & unum atque alterum habeat tormentum, parva manu, quemvis numerum hoſtium tranſitu prohibere poſſit. Quo magis mirum eſt, eum aditum non fuiſſe ab hoſtibus præoccupatum: ſed cogitandum eſt, verum fuiſſe Hieronymi ſermonem, de quo ſupra diximus. Cum rex eas difficultates ſuperaſſet, Cardinalis Oſtienſis cœpit ſuadere, mittendas eſſe nonnullas cohortes, quæ Genuenſes ad rebellionem excitarent. Re deliberata in frequenti concilio, placuit nihil eſſe tentandum: propterea quod ſi rex prælio vinceret, Genuenſes ultro facturi eſſent deditionem: quod ſi vinceretur autem, non eſſe quod ibi quicquam experiant. Ac tunc primum audiebam, eſſe, qui crederent cum hoſte dimicandum. Rex tamen ea repudiata ſententia, Genuam miſit ad centum & viginti equites cataphractos & ſagittarios quingentos, qui navigio recens e Galliis advenerant. Valde mirabar, neminem eſſe omnium, qui illum ſui periculi commonefaceret, quod ad eum modum auxilia ſibi detraheret, ac infirmiorem ſe redigeret ipſe. Mihi quidem, ut id facerem, non deerat voluntas, ſed cum animadverterem, non haberi mihi per omnia fidem, cogebar multa deſſimulare. Ad hoc fere tempus, triremes aliquot noſtræ, circiter octo, Neapolim venerunt in oram Liguriæ, atque ibi depreſſæ fuerunt eodem in loco, quo noſtri copias Alphonſi nuper fuderant, & ab iis ipſis depreſſæ, qui noſtrarum tunc fuerant partium, Ludovico Fliſco, & Joanne Adurno. Qui a rege miſſi fuerunt Genuam, locum ſibi delegerant in ſuburbiis, ea ſpe & conſilio, ut qui nobis faverent, arma caperent: ſed Mediolani Dux multo ante huic rei præverterat, itaque noſtri in magno tum erant periculo, ne & ipſi, quemadmodum claſſis, profligarentur.

Adur-

Adurni, & qui erant ipſorum conjurationis, cogitabant quidem ejicere ſe in ſuburbium & impetum in illos facere, ſed verebantur, ne Fregoſi, quæ eſt altera factio, portas, interim occuparent, & ipſos reditu intercluderent eaque ſola res, magnum attulit noſtris ad ſalutem momentum, qui vix tandem elapſi, pervenerunt Aſtam. Sarezana rex Pontremulum contendit, quo in oppido erant circiter quadringenti pedites. Primam noſtram aciem ducebant Mareſcallus Gius & Jacobus Trivultius, vir excellenti virtute, & rei bellicæ peritiſſimus, quem ejectum a Sfortia, & relictum a Ferdinando, cum is Neapoli profugeret, in ſuam clientelam rex aſſumpſerat. Ejus opera & interceſſione, quod in ea regione natus, multos ibi haberet amicos, oppidum in poteſtatem regis ilico venit, nulla facta oppugnatio ne, ac iis qui intus erant, facta fuit abeundi poteſtas. Superiori libro diximus de contentione quæ tunc cum rex illac tranſiret, Neapolim profecturus, orta fuit inter oppidanos & noſtros Helvetios, ex quibus tum interfecti fuerunt ad quadraginta. Nunc igitur, cum eo revertiſſent, tametſi compoſita res erat, tamen ut injuriam ulciſcerentur, cives omnes interficiunt, & oppidum, ubi diripuiſſent, incendunt, & tantus fuit eorum furor, ut Mareſcallus cohibere non poſſet, deinde arcem obſederunt, ut eos qui intus eſſent, caperent. Hi autem erant quos præſidio recens ibi collocaverat Trivultius, cum reliqui deditione facta diſcederent. Neque vero prius deſtiterunt, quam regis interveniſſet authoritas. Cum oppidum incenderent, ex ipſis interierunt decem, qui flammis implicati fuerunt ebrii, neque ſe poterant expedire. Duplex in ea re fuit peccatum, & quod iis, qui ſua ſponte deditionem feciſſent, non fuit ſervata fides, & quod magna vis commeatus atque frumenti eo incendio fuit abſumpta, cum nos interim in magna eſſemus rerum neceſſariarum difficultate. Noſtri homines, quacunque tranſirent, multa proterve & intemperanter faciebant, & licet ſuis moribus populum valde offenderent, tamen

men

Digitized by Google

men ſi rex conſilium Trivultii ſecutus fuiſſet, ex nobilitate complures & alii magno numero ad ipſum defeciſſent. Joannes Galeacius Mediolani Dux, moriens reliquerat filiolum, quem Sfortia in ſua poteſtate habebat. Erat ergo conſilium Trivultii, ut per Inſubriam & omnem agrum ditionis Mediolanenſis, rex proponeret vexillum & inſignia ejus pueri; quo facto maximam hominum partem ad ſe traduxiſſet. Verum in gratiam ſui cognati, Aureliorum Ducis, qui Mediolanum & Inſubriam ad ſe pertinere diceret, noluit aſſentiri, & Pontremulo diſcedens, contulit ſe in convallem quandam exiguam, ubi vix decem erant ædificia, & ibi per dies quinque, nulla de cauſa morabatur, cum interim exercitus vix haberet, quo famem toleraret. Præmiſerat autem primam aciem, quæ circiter triginta millibus paſſuum a nobis aberat: Aureliæ Dux, capta Novaria, & diebus aliquot ibi ſine fructu conſumptis, Vigeſium, quod eſt ad Ticinum flumen oppidulum, proficiſcitur. Ibi cum eſſet, bis fuit ſollicitatus a Papienſibus, qui ſe in ejus fidem permittebant: ipſe vero maluit oppidum illud obſidere, ubi exercitum ſuum habebat omnem Dux Mediolani, cui fratres illi Sanſeverini præerant. In eo flumine pontem illi ex navibus effecerant, & caſtellum ibi conſtituerant, ut noſtros tranſitu prohiberent. Verum ſi paululum modo noſtri fuiſſent progreſſi, trans flumen illi ſe recepiſſent. Sed Aureliorum Dux, quod eos natura loci confidere putaret, ſatis etiam & ad laudem & ad utilitatem perfectum arbitratus, Trecium ſe recepit, quo in loco venerunt ad ipſum legati Reipublicæ Mediolanenſis, qui dicerent, cives omnes potentiores velle ipſum urbe recipere, cæteriſque rebus juvare, & liberos dare obſides. Facile illi quod cogitabant, perfeciſſent. Nam ex nobilitate plærique omnes, atque etiam vulgo graviſſime oderant familiam Sfortiarum, & occupata urbe, Mediolani Dux, tempore excluſus, non potuiſſet conducere copias ad tolerandam obſidionem arcis. Verum ab eo conſilio Dux Aureliorum deſtitit; & quod

tuto non poſſet fidere iis quæ proponerentur, & quod hominibus idoneis careret, & quod belli duces non idem ſentirent omnes. Hoc mihi deinde retulit ipſe. Ad eas hoſtium copias interim venerunt Germani pedites, ad duo millia, & equites circiter mille, quos Maximilianus Cæſar auxilio mittebat, eiſque Fridericum Capelarium præfecerat. Eorum adventu ſtudium pugnandi hoſtibus acceſſit, qui Trecium profecti, & inſtructa acie, noſtris, ſi prælio vellent contendere, poteſtatem fecerunt. Sed licet numero noſtri ſuperarent: tamen prælio ſuperſedendum eſſe putabant, hanc rationem ſecuti, quod ſi quid gravius accidiſſet, & iis amiſſis copiis, in ſummum diſcrimen regem eſſent adducturi, de quo nullum haberent certum nuncium, obſeſſis omnibus viis. Relinquebatur ergo, ut Novariam ſe reciperent, quo cum veniſſent, de frumento reliquoque commeatu parum diligenter providerunt. Tunc enim ſine ullo ſumptu facile poterant importare quicquid vellent. Hoſtes inſecuti illos aliquanto poſt, non procul ab oppido caſtra poſuerunt. Ab ea valle, in qua rex aliquot dies permanſit, ut ſupra ſcripſimus, aſcenſus erat maxime arduus ad culmen Apennini montis. Helvetii autem, qui facinore illo nuper admiſſo Pontremuli, regem valde offenderant, nunciabant ei, quod ſi ipſis ignoſceret, velle ſe tormenta omnia in ſuperiorem locum perducere, quæ erant circiter quatuordecim, maximi ponderis. Ubi rex liberaliter reſpondit, illi funibus colligati, bini ſimul, & circiter ducenti, eodem tempore & commeatu, cum aliquouſque eſſent progreſſi, defatigatis alii ſuccedebant integris viribus. Adjumento quidem illis erant equi, ad eam rem deſtinati, ſed præcipua fuit ipſorum opera, quæ niſi interveniſſet, deſperatiſſimæ erant res noſtræ. Turpitudinem ergo illius facinoris nova virtute delebant: ſed in deſcenſu non minus erat difficultatis atque moleſtiæ, propter aſperitatem viæ, & ad leviſſimum quenque impulſum, cum aut ruptum aut luxatum aut diſtortum eſſet aliquid, conſiſtendum erat, &

ad-

Digitized by Google

adhibendi artifices, qui reficerent, ideoque plærique ſuadebant comminuenda eſſe majora tormenta: Rex autem, ne id fieret, interdixit. Mareſcallus Gius, qui primam aciem ducebat, & triginta millibus paſſuum aberat, crebro nunciabat regi, ut properaret. Hoſtes enim non procul ab eo conſederant in magna planicie, & ſi fuiſſent adorti, facile expugnaſſent. Ille etiam progreſſus, ad Forum novum, qui eſt vicus ad radices Apennini, caſtra poſuit, ut ne in montibus impetum illi in nos facerent: verum ipſi, quo major & certior eſſet victoria, & ne quis omnium poſſet elabi, adventum noſtrum in ea planicie expectabant. Quod ſi in montibus adorirentur, metuebant, ne plærique in fugam conjecti, Piſas, aut in Florentinum agrum, qui tunc noſter erat, ſeſe reciperent. In eo autem valde errabant: Nam longiſſimum erat intervallum, & ipſis, qui vias omnes atque aditus noviſſent, facile erat nos in fuga perſequi & opprimere. Sed totum hoc Dei beneficio tribuendum eſt, qui ejus conſilii author ipſis fuit. Gius deinde regem certiorem fecit, ſe ſuperatis montibus traduxiſſe copias, & equites aliquot emiſiſſe, ſpeculandi cauſa, qui de hoſte aliquid cognoſcerent: Eos autem exceperunt Stratiotæ, & cum ex ipſis nobilem quendam interfeciſſent, præſciderunt ei caput, & affixum haſtæ deportarunt ad legatum Venetum. Hi ſunt milites, cujuſmodi ſunt in Turcia, quos Janizaros appellant, veſtiti more Turcico, niſi quod linteum illud faſtigiatum capite non ferunt; homines laboris patientiſſimi, & exercitatiſſimi in armis. Erant hi omnes Græci, ex iis locis, quæ per Græciam Veneti poſſident, & ex Peloponneſo, & Albania & Dyrrachio evocati. Eorum opera frequenter utuntur Veneti, multumque eis tribuunt. Equos habent Turcicos & valde præſtantes. Eram Venetiis, cum illuc appellerent, circiter mille & quingenti, & ſpectabam cum ipſorum haberetur delectus. Equeſtribus præliis plurimum valent, & hoſtem ſuis incurſionibus valde defatigant. Hi quum noſtris equitibus ſpecula-

culatoribus occurriſſent, facto impetu in fugam conjecerunt, & ad caſtra uſque perſecuti, Cermanos aliquot noſtros, qui pro caſtris in ſtatione erant, interficiunt, eorumque capita ſuo more ad legatum deferebant. Quo enim tempore Turcarum Cæſar, Mahometus, qui Conſtantinopolim cepit, bellum faciebat Venetis, mandaverat ſuis, ne quem omnino caperent, & ſtudii excitandi cauſa, in ſingula capita, quæ quiſque referret, dabat aureum. Idem tunc faciebant Veneti; eumque morem in hoc etiam bello ſervabant, ut terrorem nobis inferrent. Cum ad noſtra illi caſtra propius adequitaſſent, exterriti tormentis, quod inſolens ipſis erat, fugæ ſeſe mandarunt, & in itinere, ex noſtris Helvetiis quendam, qui conſcenderat equum, ut de ipſorum abitu cognoſceret, graviter vulneratum ceperunt, & ad Marchionem Mantuæ, Venetorum exercitus Imperatorem pertranxerunt. Nondum tunc convenerant omnes hoſtium copiæ, & niſi rex in itinere paſſim moratus fuiſſet, ut ſupra diximus, habebat temporis & ocii ſatis, redeundi domum, abſque periculo. Mareſcallus Gius, cum aliquandiu fuiſſet in infima valle, & oppugnationem vereretur, in ſuperiora loca ſeſe recepit. Copiæ illius erant, circiter centum & ſexaginta equites cataphracti, & Helvetii octingenti. Ut autem nos illi ſubſidio eſſemus, fieri non poterat, propterea quod impediti tormentis, biduo poſt, primum advenimus atque interimilli cum in monte conſediſſent, & nos cupidiſſime expectarent, in magnis erant anguſtiis, verum beneficio Dei res bene ceſſit. Gajazius enim, qui Helvetium illum captivum noverat, quærebat ex eo, quantæ eſſent copiæ primi agminis: Is conſulto reſpondit, eſſe ad trecentos equites cataphractos, item mille & quingentos Helvetios. Tum ille, mendacii eum inſimulans, dicebat non eſſe credibile, cum in toto noſtro exercitu ſolum eſſent tria Helvetiorum millia, dimidiam partem attributam eſſe primæ aciei. Nam quod noſtrarum partium antea fuerat, quæ noſtræ eſſent vires atque rationes, non mi-

Digitized by Google

minus quam nos ipſi compertum habebat. Re inter ipſos communicata, plerique ſuadebant impetum eſſe faciendum. Sed Marchio Mantuæ, cum fidem haberet captivo, noluit periclitari fortunam, illata cauſa, quod & peditatus genere a nobis vinceretur, & quod ſocii nondum conveniſſent omnes, quibus injuriam fieri dicebat, ſi ipſis inexpectatis, prælium committeretur. Quod ſi etiam adverſi aliquid accideret, ſenatum Venetum graviter eſſe laturum: tutius atque utilius ſibi videri, ut caſtris ſeſe contineant, & hoſtem ibi expectent, qui iter habeat nullum aliud. Eam ſententiam legati ambo Veneti comprobabant: alii vero minime differendum eſſe contendebant, eo quod prima acie profligata, regem eſſent habituri in ſua poteſtate. Poſt multam diſputationem vicit altera ſententia, & placuit non eſſe promovenda caſtra. Quicquid eſt ejus rei, cognovi poſtea ex iis ipſis, quos dixi, qui ad eum modum Gio & mihi, quando pacis tractandæ cauſa convenimus, recitarunt. Interim & nos progrediebamur, & reliquæ ſociorum copiæ in caſtra venerunt, & cum jam ex Apennino deſcenderemus, erat nobis in conſpectu Inſubria, omnium regionum longe pulcherrima & fructuoſiſſima, & quod toto itinere, inde a Luca uſque ad eum locum, in maxima eramus verſati commeatus inopia, gratiſſimum nobis erat, agrum illum tam amœnum & frumentarium aſpicere. Sed tormenta, cum jam per loca declivia & abrupta & ſalebroſa deducerentur, valde nos impediebant, eamque moleſtiam augebat etiam, quod hoſtes jam haberemus in conſpectu, quorum multitudinem caſtra atque tabernacula ſignificabant. Erant autem equites cataphracti ad duo millia & ſexcenti, totidem equites ſagittarii, item ſtratiotæ & levis armaturæ equites, circiter millia quinque, reliqui omnes pedites, & caſtris idoneum locum delegerant, eumque opere & tormentis munierant. Multus jam erat dies, cum in vallem rex deſcenderet, & Foronovi hoſpitio ſibi locum delegit, ad

ad quintum diem Julii. Erat in eo vico, farinæ & pabuli & vini ſatis: ſed cum orta quædam eſſet veneni ſuſpitio, noſtri initio ſibi temperabant. Suſpicandi cauſa fuit, quod Helvetii duo, cum ex itinere defatigati & fervidi adhuc, immoderate putaſſent in cella vinaria, refrigerandi ſui cauſa, extincti eſſent. Ante mediam noctem periculum fuit factum in equis, cumque nihil deprehenderetur, vulgo ſeſe reficiebant. Maxima certe fuit Italorum fides in eo toto itinere. Nihil enim veneno tentarunt; quod facile tamen ipſis erat. A meridie ſtatim in nos excurſiones fecerunt Stratiotæ, magno excitato tumultu; quoniam noſtris hominibus infrequens erat ipſorum militiæ genus. Hoſtes deinde triplici acie inſtructa; ſuas copias omnes e caſtris produxerunt, modico interjecto intervallo, ut invicem auxilio ſibi eſſent, cumque ad eum modum aliquandiu conſtitiſſent, in munitiones ſuas iterum ſeſe receperunt. Inter utraque caſtra exiguum erat ſpatium, quo facilius erat illis perturbare noſtros, immiſſis aliquot Stratiotis, qui quod locus erat ſylveſtris, occulte poterant & de improviſo ad nos pervenire. Ab utroque latere ejus vallis, ubi caſtra poſuimus, erant colles, perque mediam vallem decurrit flumen, Tarum appellant, quod pedibus tranſiri poteſt, niſi dum creſcit, quod iis in locis repente fieri conſuevit. Ea tota vallis erat ſalebroſa, & equitibus valde incommoda, latitudine non magna. Dextrum collem inſederant hoſtes, nec aliud erat nobis iter, quam ut præter ipſorum caſtra tranſiremus, interlabente flumine. Ad ſiniſtram quidem licebat nobis deflectere, verum ea fugæ conſimilis viſa fuiſſet profectio. Ex noſtris qui prudentiores erant, tunc demum cœperunt trepidare & concurſare, mihique negocium dabant, ut cum hoſtibus in colloquium venirem, & aliquem, qui de ipſorum numero ac rationibus cognoſceret, mecum deducerem. Hoc autem quoniam niſi interpoſita fide, mihi non erat integrum: reſpondi, quum Patavio diſcederem, mihi cum legatis Venetis ita conveniſſe, ut exiſtimem illos,

quo

quo minus ad medium aliquem locum veniant, non eſſe recuſaturos: quod ſi prior ad ipſos tranſeam, fore, ut illis major quædam accedat alacritas, & nimis jam ſero ejus rei mentionem inferri. Miſſis igitur literis, legatos orabam, ut ex ipſis alter ad colloquium veniret, quoniam prius inter nos ita conveniſſet. Illi excuſare quidem initio, propter bellum motum Duci Mediolani, ſed tamen alter venturum ſe promittebat ad locum medium inter utraque caſtra. De quibus illorum literis atque reſponſo, quum ad concilium retuliſſem, ex noſtris plærique deſpiciebant. Itaque tametſi valde ſollicitus eram de periculo regis, tamen actionem tunc intermiſi. Veritus, ne ſi nimium urgerem, ignaulæ alicui atque timori tribueretur. Circa mediam noctem Cardinalis Maclodienſis, juxta quem meum tabernaculum erat, cum a rege jam primum veniſſet, dicebat mihi, illum conſtituiſſe prima luce diſcedere, & præter oſtium caſtra copias traducere, & tormentis in ipſos emiſſis, belli ſignum dare, ac deinde nulla interpoſita mora progredi. Conſilium hoc ipſius fuiſſe puto, propter inſcientiam rei militaris, ſed certe præſentis periculi magnitudo poſcebat, ut rex cum belli ducibus & hominibus idoneis re communicata, de ſua & exercitus ſalute aliquid decerneret. Ad eum ſermonem reſpondi, quod ſi in hunc caſum res deduceretur, fore, ut illi aciem inſtruant, & initio quidem levioribus præliis, mox vero ſummis copiis nobiſcum decertent: multo aliter etiam mihi cum legatis Venetis conveniſſe. Dolebat mihi ſane vehementer ipſius rei indignitas, verum ita fatum meum erat, hoc rege, ut timidius & remiſſius agendum mihi eſſet, ne illos, qui familiariter ipſo utebantur, offenderem, eo quod nimiam illis authoritatem tribueret. Stratiotæ ea nocte bis per intervallum maximos excitarunt nobis tumultus, ejuſque rei cauſa fuit, quod noſtri non ſe communiiſſent idonee, ſicut fieri conſuevit adverſus levis armaturæ equites. Nam cataphracti noſtrates perpauci, comitati ſuis equitibus

tibus ſagittariis, maximas illorum manus atque cohortes facile perturbent atque disjiciant. Erant autem ea nocte ejusmodi tempeſtates ac imbres, tantaque tonitrua & fulgura, ut cœlum terræ, & ſumma profundis viderentur commiſceri. Quod etſi in eo anni tempore naturalem habebat cauſam: tamen, quod tam pauci eramus præ numero & multitudine illorum, & quod in una virtute ſpes omnis ſalutis conſiſteret, terrificum erat & pavoris plenum. Poſtridie mane accerſitus a rege, cum veniſſem, reperi inſidentem equo lectiſſimo, mediocri ſtatura, quem Sabaudiæ Dux Carolus, dono dederat. Armatus erat toto corpore, & miram quandam dignitatem in omni ſermone atque geſtu præ ſe ferebat, ac plane videbatur eſſe alius, ideoque tunc ejus, quod Hieronymus Florentiæ dixerat, in mentem mihi veniebat. Ipſe non longiore oratione uſus eſt, quam ſi placeret noſtris cum hoſte colloqui, ut iis me conjungerem. Reſpondi, libenter quidem facturum, ſed vix unquam vidiſſe duos exercitus, qui in ea propinquitate non conſererent manus. Hoſtes iterum productis copiis, triplicique acie inſtructa, nos expectabant. Ibi Maclodienſis & ego collocuti, literas miſimus ad legatos Venetos: ille, quod ſui eſſet officii ac profeſſionis, tractare conſilia pacis: ego, quod nuper ab ipſis rediiſſem legatus: Regi eſſe in animo, iter illac facere, ſuaſque copias abſque ullo maleficio & injuria traducere: quod ſi velint in collocutionem venire, uti pridie dictum ſit, nos ei negocio non eſſe defuturos. Sed jam omnibus in locis cœptum erat levioribus præliis contendi, cumque noſtræ copiæ præter ipſorum caſtra tranſirent, ac flumen ſolum intercederet, illi partem aliquam Stratiotarum, & ſagittarios equites cum nonnullis cataphractis emittebant, qui tecte & occulte ad eum vicum, unde nos eramus digreſſi, venerunt, ibique flumen tranſierunt, ut in impedimenta noſtra, quæ plurima erant, impetum facerent. Ad ſiniſtram, Marchio Mantuæ, cum patruo ſuo Rodolpho, & circiter ſexcentis cataphractis, lectiſſima juvenum

venum manu, & cum levis armaturæ equitibus, a tergo nos adoriebatur. A fronte erat Gajazius, cum quadringentis cataphractis & ampliſſimo peditatu, adverſus primam noſtram aciem, & habebant utrerque præterea cohortes aliquot equitum auxiliares, ſed parum exercitatas in armis. Veneti enim, quod omnia ſimul periclitari nollent, partem aliquam exercitus in caſtris continebant, ut ex ipſis poſtero die cognovi. Quod tametſi ratione non carebat, tamen, quoniam eouſque jam proceſſerant, longe præſtitiſſet omnibus copiis & ſummis viribus dimicare. Interim dum legati Veneti eas literas, de quibus dixi, legerent, noſtri cœperunt ejaculari tormenta in ipſorum caſtra, quod ante id tempus nondum fecerant. Illi remiſſo præcone, nunciabant cupere ſe quidem colloqui, modo per tormenta liceret. Fuit igitur imperatum utrinque, ut ceſſaretur. Sed paulo poſt, denuo cœptum eſt, ac vehementius quam antea, cunque duo noſtri præcones in ipſorum caſtra interim veniſſent; capti fuerunt, & ad Marchionem deducti. Ibi Gajazius cœpit cohortari ſuos ad prælium: non eſſe jam quæſtionis aut colloquendi tempus, ac minimo negocio poſſe nos expugnari. Eam ſententiam ex legatis alter probabat, & idem erat Marchionis indicium: ſed ejus patruus Rodolphus, vir prudens & noſtri valde ſtudioſus, magna contentione reſiſtebat. Omnem ſpem ſalutis rex habebat in prima acie. Hi erant trecenti & quinquaginta equites cataphracti, Helvetiorum ad tria millia, quibus adjunxit trecentos & eo plures ſagittarios, quos cuſtodiæ ſuæ cauſa habere conſuevit, eiſque detraxit equos, & pedites pugnare juſſit. Summa, quicquid erat peditum, ad eam aciem reſcripſit. In eo peditatu erant Engelibertus frater Ducis Clivenſis, & prætor Divionenſis, Helvetiorum præfectus. Eos proxime antecedebant tormenta. Hic certe, quos Rex in Florentinorum agro reliquerat, & Genuam miſerat contra plurimorum ſententiam, ii nobis potuiſſent in eo rerum ſtatu bonam operam navare. Prima noſtra acies jam per-

pervenerat ad illorum fere caſtra, ſic, ut initium pugnæ futurum ab iis putaretur. Reliquæ autem duæ acies aliquanto longius inter ſe diſtabant, neque tam idonee, quam pridie, fuerunt inſtructæ, ut ſibi auxilio invicem eſſent. Marchio Mantuæ cum iis, quas ſupra dixi, copiis flumen tranſiit, & minimo intervallo poſtremum noſtrum agmen placide ſequebatur. Itaque rex, qui medium agmen gubernabat, neceſſe habuit ad primam noſtram aciem obvertere tergum, & hoſtem adverſum ſpectare, ac noviſſimo agmini ſeſe conjungere. Et hactenus quidem Cardinalis & ego, cum a legatis reſponſum expectaremus, extra ordines morati fuimus: verum ubi rem eo deductam eſſe vidi, regem petebam. In itinere treis famulos, qui interjecto aliquo ſpacio me ſequebantur, amiſi, & vix centum paſſus proceſſeram, cum in eo loco, unde veniebam, ingens clamor & ſtrepitus exaudiretur. Hi erant Stratiotæ, qui in calones ac impedimenta noſtra impetu facto, multisque interfectis ac vulneratis, carros & quicquid erat ejus generis valde perturbarunt. Cum ad regem veniſſem, reperi occupatum creandis Equitibus, quod in ejusmodi periculis & anguſtiis fieri conſuevit, excitandi ſtudii & virtutis cauſa. Verum quod hoſtes jam erant in propinquo, revocatus fuit ab eo negocio, & a quibusdam ſuis familiaribus, quibus multum fideret, attributus fuit ei locus ante ſigniferum, ita quidem, ut ex noſtris, præter unum & alterum, nemo propius hoſtem, quam ipſe, conſiſteret. Noviſſimum enim agmen noſtrum, cui ſubſidio ipſe veniebat, aberat paulo longius ad dextrum latus. Iis cataphractis qui cum rege erant, conjunxerunt ſe Scoti ſagittarii equites. Impetu igitur facto concurritur utrinque magna vi. Stratiotæ vero, qui illos proxime ſequebantur, quum impedimenta noſtra perturbata, nullis ordinibus deferri, & ad primam noſtram aciem contendere, & ſui ordinis homines, quos ſupra diximus ob eam rem emiſſos, prædam ſectari conſpicerent, relicto equitatu, cui ſubſidio eſſe debebant,

ad

Digitized by Google

ad prædam evolarunt. Ea res maximum nobis ad ſalutem attulit momentum. Nam ſi ſuis illi gladiis, quos habent præſtantiſſimos, nos ad orti fuiſſet, plane de nobis, propter paucitatem noſtrorum, actum erat. Equites ergo ſtatim a primo concurſu terga verterunt, & pedites etiam ad alterum latus elapſi, fuga ſalutem ſibi petebant. Eodem fere temporis puncto, Gajazius a fronte inſtabat, & primam noſtram aciem invaſit, ſed non tam cominus neque tam acriter pugnatum fuit, quam a nobis. Nam illi ſub tempus prælii, & priusquam concurreretur, perterriti, in fugam ſe conjecerunt. Quo minus autem noſtri perſequerentur fugientes, in cauſa fuit, quod Gius magnas hoſtium copias non procul a ſe animadvertit, ideoque ſuos continuit. Sed qui cum Rege fuerant, magno ſtudio conſectabantur fugientem hoſtem. Noſtri etiam calones atque ſervuli maximam illorum partem conciderunt, armati ſecuribus, quas circumferebant ad cædendum materiam, conſtruendis caſis atque tabernaculis. Nam illi cum eſſent gravis armaturæ, vix magno negocio poterant interfici, ideoque plures paucos circumſiſtebant, & magna vi perfractis galeis, expugnabant, ad eamque rem adjumento etiam erant prælongi noſtrorum ſagittariorum gladii. Interim dum noſtri his rebus occupantur, rex cum paucis quibusdam in eo loco, ubi commiſſum fuit prælium, remanſerat, neque ſe ad primam noſtram aciem recipere volebat, ne fugæ conſimilis ea profectio videretur. Ibi ex hoſtibus nonnulli, qui diverſi diſſipatique in omnes partes fugiebant, cum eo forte eſſent delati, & a defenſoribus vacuum eum locum viderent, impetum fecerunt in regem, uno tantum famulo tunc comitatum. Ipſe, quod equo utebatur longe præſtantiſſimo, fortiter ſeſe defendebat, donec reliqui comites, qui nonnihil diverterant, ſubſidio venirent. Eorum adventu perterriti hoſtes, fugæ ſeſe mandarunt. Rex eo periculo commotus, ad primam aciem contendit. Ea non ſe commoverat loco, quod regi per opportune accidit: quanquam ſi

paululum modo fuiſſent progreſſi, nemo omnium reſtitiſſet, eaque de re magna fuerat inter noſtros contentio. Quæ ſua fuiſſet ejus diei fortuna, cum ſub veſperum in munitiones reverti ſſet, mihi recitabat, iis quos ſecum eſſe voluit, præſentibus: Initio pugnæ, nondum disjecto hoſtium equitatu, viginti circiter paſſibus ab eo, captus fuit quidam militum præfectus, quo magis videre licet, in quanto ipſe fuerit diſcrimine ſalutis. Ex hoſtibus omnium primus occubuit Rodolphus, ex Mantuanorum familia. Equitatus noſter fugientes illos conſectabatur, prope ad extrema uſque ipſorum caſtra; quæ ad Forum novum ſpectabant. Ibi tandem, cum ex ducibus quidam magna voce dixiſſet, ad regem eſſe revertendum, omnes conſtiterunt, ut equos, qui curſu & labore erant exanimati, reficerent. Dum ibi moramur, præter nos fugiebant ex hoſtibus circiter triginta equites. In eos autem conſulto non fuit factus impetus. Recreatis aliquantulum equis a labore, ad regem contendimus, de quo nihil initio nobis conſtabat: progreſſi aliquo uſque procul tandem animadvertimus ubi eſſet. Jacebant humi plurimæ illorum haſtæ, pictæ quidem & elegantes, ſed infirmæ atque leves, eas juſſimus a famulis tolli & aſportari. Inter eundum occurrebant nobis aliquot illorum cohortes pedeſtres. In eos facto impetu, & compluribus interfectis, reliqui per flumen fuga evaſerunt. Dum a conflictu hoſtem inſequimur, ex noſtris aliqui monebant, ne cupidius progrederemur, verbulo uno mentione facta cujusdam prælii, inter Ludovicum undecimum & Maximilianum Cæſarem, qui victoria tunc potitus erat, quod noſtri prædæ ſtuderent. Inſtrumentum omne militare, & quicquid erat impedimentorum regis & ipſius familiarium, a Stratiotis direptum fuit. Sed & noſtri partem aliquam fraudarunt. Multi enim ad pugnam inutiles & impuri homines caſtra ſequebantur. Paucos in eo prælio deſideravimus. Ex ipſis interfecti fuerunt trecenti & quinquaginta equites cataphracti, & quod raro ſolet in præliis evenire, nemo fuit

ſuit captus. Stratiotæ, quod ad prædam decurriſſent, pauci interierunt. Summa omnium interfectorum fuerunt ad tria millia & quingenti, quod ex ipſis nonnulli mihi recitarunt, & vidi deſcripta nomina, in quibus erant circiter quinque, ex familia Gonzagica, propinqui & neceſſarii Marchionis Mantuæ, qui ex ſua etiam nobilitate amiſit ad ſexaginta, & in occiſorum numero, nullus fuit repertus pedes, & quod mirum eſt, omnes manu & cominus pugnando fuerunt occiſi. Tormentis enim vix decem opinor utrinque ſublatos fuiſſe, & minimum temporis ſpatium duraverat prælium. Statim enim a primo concurſu, illi cum aut perfregiſſent, aut projeciſſent haſtas, fugam petebant, & in perſequendo vix horam conſumpſimus. Itali autem longe alia ratione ac nos præliantur. Singulæ enim cohortes cum ſingulis contendunt, alii poſt alios, eoque fit, ut totum aliquando diem æqua victoria decertent. Magna fuit ipſorum trepidatio: nam & cataphracti circiter trecenti & plærique omnes Stratiotæ in fugam conjecti alii Rhegium Lepidi, Parmam alii petebant, octo circiter milliaribus ab eo loco.

PHILIPPI COMINÆI

Equitis, commentariorum

LIBER QUARTUS.

SUpra diximus de Petiliano Comite & Virgilio Urſino, quos rex captivos ducebat. Ii profugerunt ambo poſt inceptum prælium, & Petilianus, qui Florentinis ac Ferdinando Regi militaverat, & in hoſtium exercitu erat non ignotus; recta contendit ad illos longiſſime jam fugientes, cumque propius veniſſet, edito ſuo nomine, cœpit acclamare & hortari, ut fuga deſiſterent: ipſorum eſſe victoriam, & cum nonnihil confirmaſſet, majorem partem reduxit. Quod niſi hic caſus interveniſſet, omnes fuga ſibi ſalu-

ſalutem petiiſſent, tametſi profecto parum erat in ea re ſolatii atque preſidii; quod ab illo qui in noſtris fuiſſet caſtris, revocarentur ad prælium. Erat ejus conſilium, nocte illa faciendum eſſe in nos impetum, ſed reliqui non probabant, ut ex ipſo deinde & ex Marchione Mantuæ cognovi; Quod niſi ad virtutem ipſe unus fuiſſet eos cohortatus, omnes ea nocte profugiſſent. Poſtquam ad regem convenimus omnes, apparebant nobis aliquot hoſtium cohortes, pro caſtris, magno numero & inſtructa acie, ac ſolo capite atque haſtis extabant. Hi non commoverant ſe loco, neque prælio interfuerant. Erat autem opinione longius intervallum, & tranſeundum erat flumen, quod jam paulatim augeſcebat ſuperioris noctis atque etiam ejus diei tempeſtate & imbribus. Rex ad concilium detulit, impetum ne fieri placeret, an minus. Erant cum eo tres magnæ virtutis Itali, Jacobus Trivultius, Franciſcus Cæcus, annorum circiter ſeptuaginta duorum, & Camillus Vitellius, cum tribus fratribus. Hi ſuadebant adoriendos eſſe. Noſtri vero, quod magna pars diei conſumpta erat, conſilium hoc improbabant, & ſatis eo diei perfectum, & caſtris deligendum eſſe locum dicebant. Illi contra magis inſtabant, & Franciſcus imprimis, qui etiam manu commonſtrans illos, fugientes Parmam, in quod oppidum proximum habebant receptum, valde ſollicitabat prælium. Quod ſi ejus valuiſſet ſententia, fugæ ſeſe mandaſſent omnes, quod præcipui ipſorum duces poſtea ad me non diſſimularunt. Inſignis fuiſſet ea maximique momenti victoria. Nam ejus nomine atque opinione, res omnes erant nobis futuræ ſecundiores. Mediolani Ducem valde oderat populus, neque difficile fuiſſet, ad nos inclinante fortuna, finibus illum expellere. In eadem cauſa fuiſſent etiam Veneti, propterea quod niſi intra ſuos fines atque ditionem, quam habent in continente, nullam habuiſſent facultatem conducendi novas manus, quo minus etiam de Neapoli nobis timendum fuiſſet. Verum accidit quod Hieronymus mihi

Digitized by Google

hi prædixerat, fore, ut ejus belli gloria penes nos conſiſteret, nulla noſtra virtute aut merito. Tum quidem adeo nihil erat apud nos rationis aut conſilii, ut victoria, ſi qua contigiſſet, non potuiſſemus uti. Dum ad eum modum, ut jam dixi, deliberamus, interventu noctis, illi ſe in ſuas munitiones recipiunt, nos etiam non procul illinc, ubi prælium commiſſum erat; locum nobis delegimus, non quidem certa ratione vel ordine, uti fieri conſuevit, ſed quam quiſque in partem primum veniſſet, eam occupabat. Quibus erat quod ederent, ii ſeſe nonnihil reficiebant. Cubabam ea nocte humi in vinea quadam, valde anguſte, ſine ſtratis atque pallio. Rex enim utebatur meo, qui in prædium quoddam vicinum, incommode ædificatum, diverterat. Multum jam noſtri homines de ſua ferocia remiſerant, neque tantos ſpiritus ſibi ſumebant, ut ſuperioribus diebus. Ex ipſis qui ſaucii erant, nonnulli curabantur in cubiculo regis. Helvetii noſtri diligenter ea nocte excubabant. eiſque dono rex dabat aureos trecentos. Interim vero de ſalute regis valde eram ſollicitus, & ut tuto progrederetur, conſtitui intermiſſam pacis actionem renovare. Sed vix ægre licebat internuncium aliquem reperire, qui ad ipſorum caſtra proficiſcetur. Nam in ipſo prælio novem illorum præcones, cum non agnoſcerentur, fuerant interfecti, & illi ex noſtris quendam in vincula conjecerant, alium etiam, qui a rege miſſus fuerat ante prælium, occiderant. Ubi tandem eſſet inventus qui iret, miſſæ fuerunt ultro citroque literæ, quibus idonee cavebatur venturis ad colloquium, quod illi æquo ſpacio ab utriſque caſtris haberi poſtulabant. Et quanquam difficultatem in eo ineſſe videbam: nolui tamen interpoſita cauſa colloquium tolli. Rex ad eam rem delegit Gardinalem, Gium, Piennium & me: illi vero Marchionem Mantuæ, Gajazium, & legatos Venetos. Ubi ad flumen venimus, miſſo ad ipſos qui longius aberant, caduceatore, ut progrederentur, hortabamur. Illi, quod fore ſuſpicatus eram, reſpondebant,

dictum

dictum eſſe, ut loco medio conveniretur: ſe jam longius quam oporteat proceſſiſſe: adeſſe primos totius exercitus, neque velle tantum in ſe periculum recipere. Eadem fere noſtri dicebant, & adductis rationibus, cur non progrederentur, cœperunt hortari me ut tranſirem, neque tamen quid ipſorum eſſet conſilii, aut quid vellent proponi, monebant. Reſpondi, velle me teſtem habere ejus quod agerem, neque ſolum eſſe iturum. Comitatus igitur Roberteto ſcriba, cui rex plurimum tribuebat, & caduceatore, & famulo, flumen, quod jam creverat, tranſmiſi, vel eo ſolum, ut, ipſis, qui meo rogatu & impulſu illuc veniſſent, ſatisfacerem. Ad primum congreſſum, ubi ſalutaſſem, incuſabam, quod non ſatis eſſent progreſſi, & hortabar, ut ſaltem ad ripam uſque fluminis procederent. Nam ſi eouſque pervenirent, ſperabam non niſi colloquio habito diſceſſuros. Verum illi excuſabant, latum eſſe flumen & rapidum, neque fieri poſſe, ut ſi utrinque in ripa conſiſteremus, alii alios intelligant, ſonitu enim fluminis atque curſu ſermonem impediri: petebant ergo, ut conditionem aliquam pacis oſtenderem. Ad ea paucis reſpondi, me, qui ſolus eſſem, nihil amplius dicturum, neque ullum ejus rei mandatum habere: Quod ſi rationem aliquam compoſitionis ipſi proferant, ad regem eſſe relaturum. Dum ita colloquimur, ex caduceatoribus noſtris quidam equo admiſſo celeriter accurrit, mihique nunciat, allegas nolle diutius morari: ſi quid omnino velim agere, ut id ſtatim perficiam. Id vero minime committendum eſſe mihi putavi; tum, quod illi, quæ regis mens eſſet atque voluntas, non paulo melius quam ego, ſcirent, eo quod eſſent familiares, tum, quod ex ipſis nonnulli, eodem die, mane, cum haberetur concilium, occulte fuerant cum rege locuti. Marchio Mantuæ, cum in pugnæ mentionem incidiſſet, quod ſi captus fuiſſet in eo prælio, an capite rex ipſum mulctaſſet, quærebat. Reſpondi, minime facturum fuiſſe: nam quod eum eſſet adortus, magnam ipſi conciliaſſe gloriam.

riam. Pro captivis poſtea deprecabatur, qui tamen nulli erant, ut ſupra diximus, in primis autem pro ſuo patruo Rodolpho, quem adhuc ſupereſse putabat, & ut ipſius haberetur exquiſita cura, petebat, & cum ex noſtris illi nonnullos commendaſſem, conſtitui me rediturum ante noctem, & ad illud tempus pactæ fuerunt induciæ. Reverſus ad noſtros, ubi quid actum eſſet, commemoravi: rex indicto concilio cœpit deliberare, ſed alii in alios reſpiciebant, ut fieri ſolet, rebus in ſummam difficultatem adductis. Et cum in aurem aliquid rex immurmuraſset Cardinali, juſſit ut ad hoſtem reverterer, & quid ipſorum eſset voluntatis, cognoſcerem, Cardinalis etiam, ne quid omnino decernerem, mandabat. Erat ſane utriuſque mandatum valde alienum ac præter rem. Nam quod ejus colloquii authoreram, dubitari non poterat, quin illi ſermonis initium a me fieri vellent: deinde, ne quid decernerem, metui non oportebat, eo quod rem nullam, de qua verba facerem, mihi præceperant. Sed occaſionem nullam paciſcendi prætermittere volebam, ac certo ſciebam, etiamſi nihil efficerem, cauſam tamen noſtram me non eſse facturum deteriorem. Acceſſit, quod quo eſsent hoſtes animo, cognoſcere me poſse ſperabam. Erant enim non minus, quam nos, perterriti. Cogitabam etiam inter colloquendum fieri poſse, ut aliquid illis excideret, quod noſtris rationibus eſset non incommodum. Jam nox ſuberat, cum ad flumen venirem, eoque ſtatim accurrit quidam citato equo, miſsus ab illis quatuor, quos ſupra dixi, qui nunciaret, ne longius, imminente jam nocte, procederem: Stratiotas enim excubare, qui nullum hominem norint, & promiſcue in omnes impetum faciant. Volebat ille quidem officii cauſa me comitari: ſed ne quid ea nocte ſpeculando de rebus noſtris cognoſceret, tum etiam quod de ſententia regis nihil habebam comperti, propter eas, de quibus diximus, occultas ſuſurrationes, remittebam ad ſuos, & in poſterum diem ad horam octavam juſſi ut ad flumen me expe-

expectaret, eo me venturum, aut ſi qua res nova intercederet, renunciaturum per caduceatorem. Reverſus igitur ad noſtros, quid accidiſſet, expoſui. Id erat ſub cœnæ tempus, deinde quieti ſeſe dabant omnes. Poſt mediam noctem revertor ad regem, ejus cubicularii jam erant parati ad iter, mihique dicebant, eum conſtituiſſe celeriter proficiſci Aſtam, & in agrum Monſerratenſem, ſimul hortari me cœperunt, ut manerem, colloquendi cum hoſtibus cauſa. Verum excuſans dicebam non me futurum in poſtremis, neque vitæ periculum velle me ipſum creare mihi. Non multo poſt, expergefactus rex, peracto ſacro, conſcendit equum horam unam ante quam illuceſceret. Tuba ſignum fuit datum excubitoribus, ut ſuum facerent officium, nec aliud fuit in caſtris enunciatum, quod ſane ad terrorem militum pertinebat, in ea propinquitate hoſtis, & quod iter nobis faciendum erat per loca ſylveſtria & impedita. Nam & a via aberravimus, & audivi, cum e ſigniferis quæreretur, ubi eſſent itineris duces? Quod niſi Deus rem omnem gubernaſſet, quomodo ſit credibile, regem adeo potentem, abſque commonſtratore viæ, nocturno tempore profecturum fuiſſe? Verum in eo maxime fuit illuſtre Dei beneficium, quod hoſtes profectionem noſtram tunc primum ſenſerunt, cnm multus jam eſſet dies, arbitrati venturos ad colloquium, ut pridie conſtitutum fuerat. Flumen etiam, quod inter nos erat medium, adeo creverat, ut ante veſperum nemo auderet tranſire, ac tunc primum Gajazius cum ducentis circiter equitibus levis armaturæ tranſiit, non ſine periculo, propter aquæ vim & rapiditatem, atque e ſuis unum & alterum amiſit. Confecta ſex milliarium via, per loca impedita & anguſta, ubi ſingularibus progrediendum erat, devenimus in planiciem & amœniſſimos campos, ubi prima noſtra acies cum impedimentis omnibus nos expectabat. Erat in eo agmine Jacobus Trivultius, & quoniam ejus inſignia erant prope conſimilia iis, quibus Marchio Mantuæ utebatur, noſtri,

cum

cum vidiſſent, vehementer perterriti fuerunt, ac hoſtium copias ibi conſediſſe putabant: ſed & illi viciſſim, quum non recto itinere, ſed per loca devia nos adventare conſpicerent in conſimili erant metu, & inſtructa utrinque acie, cum equites huc illuc excurrerent ac ſe invicem agnoviſſent, detectus fuit error. Progreſſi aliquantulum, receimus nos quodam in oppidulo, ubi de induſtria fuit conclamatum ad arma, ut a direptione avocarentur Helvetiorum animi. Poſtero die, non procul a Placentia, Trebiam flumen tranſivimus, relictis ab altera fluminis parte ducentis equitibus cataphractis, item Helvetiis atque tormentis prope omnibus. Quod militum cauſa rex faciebat, ut eo ſeſe commodius & laxius reficerent. Flumen illud, maximam temporis partem, æſtate præſertim, eſt exiguum, ſed ad decimam horam noctis adeo crevit, ut ne equites quidem auderent tranſire, quod in ea propinquitate hoſtis erat periculoſiſſimum, ac multæ fuerunt ea nocte rationes initæ, ut illos, qui trans flumen erant, trajiceremus, ſed fruſtra ſumptus fuit omnis labor, & expectandum erat, donec decreſceret, quod fuit mane ſub horam quintam. Tunc in utramque ripam tenſi fuerunt funes, quibus adjuti pedites tranſierunt, ac ſolo pectore ex aqua extabant. Poſt eos tranſiit equitatus cum tormentis. Mediolani Dux magnum habebat præſidium Placentiæ, & Gajazius recens eo pervenerat. Quo majus erat periculum noſtrum, quibus a tergo imminebat hoſtis, Placentini autem eo ſpectabant, ut regem urbe reciperent, atque illud fieri volebant nomine & cauſa ejus pueri, quem Joannes Mediolani Dux hæredem reliquerat, ut ſupra diximus. Eo ſi rex voluiſſet animum adjicere, multi alii per Inſubriam defeciſſent, impulſu & opera Trivultii, qui & ortum ex iis locis habebat, & valde erat acceptus multitudini: ſed rex in gratiam ſui patruelis, Aureliorum Ducis, recuſabat, tametſi hujus facultates nollet nimium amplificari, ideoque litem illam de Inſubria non magnopere etiam curabat, de ſolo

 tranſi-

tranſitu ſollicitus. Continuata profectione, quinto die Dertonam pervenimus. Qui erat ejus oppidi præfectus, cum ex noſtris qui præceſſerant, audiſſet, regi eſſe in animo iter illac facere ſine maleficio, frumentum & quicquid eſſet neceſſarium ſubministrari juſſit, & obviam progreſſus purgabat ſe regi, quod oppido non reciperet. Is erat ex familia Sanſeverina, frater Comitis Gajazii, & cum Neapolim rex iret, nobis militaverat. Dertona rex Niſſam pervenit, quod eſt ad Tanarum flumen, ditionis Monferratenſis oppidum, & quod in amicorum jam eſſemus agro atque finibus, magna fuit militum lætitia. Gajazius enim continenter nobis inſtabat a tergo, & primis aliquot diebus magna nos affecit moleſtia. Ex noſtis equitibus pauci volebant in poſtremo agmine verſari, & quo propius ad Galliam acceſſimus, eo minor erat illorum virtus. Itaque recte illi, qui Gallorum animos ad ſuſcipienda bella promptos eſſe & alacres, verum rem olleſcere paulatim, & ad perferendas calamitates minime reſiſtere dixerunt. Helvetii autem, qui poſtremum agmen clauderent, circiter trecenti, minoribus ſuis tormentis, quæ circumferebant, impetum illorum tardabant, & Stratiotas, qui reliquis equitibus erant permixti, facile rejiciebant. Hoſtium reliquus exercitus, qui nobiſcum dimicaverat, magno quidem ſtudio nos perſequebatur: ſed quod iter diei præceſſimus, & quod ipſi gravioribus equis impedirentur, non poterant, quantum cupiebant, progredi, & re deſperata, Novariam contendebant, ubi Mediolani Dux aliquot habebat copias, ut antea diximus. Quod ſi nos conſequi potuiſſent, credibile eſt, felicius multo quam prius, rem geſturos fuiſſe: at bellum hoc Deus adminiſtrabat. Nam eo toto itinere vagabamur abſque ordine fere, & quem quiſque poterat, hoſpitii locum ſibi capiebat, & in magna eramus inopia commeatus, & per facile fuiſſet Italis, veneno corrumpere quicquid erat cibariorum, puteos etiam & omnem aquam. Tantus enim erat æſtus ſolis, ut noſtri milites, quocumque veniſ-

Digitized by Google

veniſſent, paſſim in ſtagnis & oppidulorum foſſis, magno concurſu & aviditate ſitim reſtinguerent, exanimati labore itineris. Nam ante lucem ortam rex dabat ſe in viam, & in multum uſque diem progreſſus, nonnihil ſe reficiebat, & pabulum equorum deportandum nobis erat magno labore, quod & ipſe feci non ſemel, & biduum fui, cum præter atrum & male coctum panem nihil eſſet quod ederem. His autem difficultatibus una res erat ſubſidio, militum virtus & laborum tolerantia. Nam æquiſſimis animis hæc omnia ferebant, & dici non poſſit, quam fuerit omnis generis moleſtiæ plena profectio. Multa quidem tuli ſub Carolo Burgundiæ Duce, verum nihil ad iſta. Lente nobis progrediendum erat, & non longius, quam majora tormenta deducerentur, ubi ſubinde conſiſtendum erat atque morandum, cum aliquid eſſet perfractum aut luxatum. Quod autem dixi, noſtros perturbate nulloque ordine atque conſilio plæraque adminiſtraſſe, non eo pertinet, quaſi nulli eſſent in caſtris egregia virtute & conſilio viri. Erant quidem certe, ſed eorum hoc erat fatum, ut exiguam haberent authoritatem apud regem adoleſcentem. Septimo die poſt commiſſum prælium, non procul ab Alexandria conſedimus, ibique diligenter diſpoſitis excubiis, poſtero die de nocte profecti Aſtam pervenimus. Rex cum ſuis familiaribus oppidum ingreſſus, reliquis copiis mandabat, ut in vicino agro ſeſe reficerent. Magna fuit in eo oppido reperta copia commeatus. Quod noſtris valde opportune accidit, qui fame & ſiti & æſtu & vigiliis erant vehementer afflicti, detritis etiam & laceratis veſtibus. Obſidebatur tum Novariæ Dux Aureliorum, ſed non tam anguſte quin exitus illi pateret. Ad ipſum igitur eodem die quo pervenimus Aſtam, miſi Philippum Coldræum, nobili genere natum, qui nunciaret; inter regem & Mediolani Ducem agi de compoſitione, meque ipſum ad eam rem adhibitum a rege, uti opera & interceſſione Ferrariæ Ducis; ideoque meum eſſe conſilium, ut confirmatis eorum animis, quos ibi

ibi præſidio collocaſſet, qui erant ſupra ſeptem millia lectiſſimorum militum, veniret ad regem, ac ſpem illis faceret ſui reditus, aut ſolvendæ obſidionis. Poſtridie ejus diei quam rex eo venit, inter alios nunciabat ei Dux Aureliorum, ambos exercitus hoſtium circumſidere Novariam, & quia non multum ſupererat, quo famem intus tolerarent, orabat ut auxilio ſibi veniret. Supra diximus, quomodo parum diligenter illi de commeatu providerant. Nam ſi frumentum & alia mature comportaſſent in oppidum, facile illud ab hoſte defendiſſent. Aſtæ rex commoratus aliquot dies, Peronem Baſſum ablegavit, qui claſſem pararet, & copias conduceret, quæ noſtris hominibus per regnum Neapolitanum eſſent ſubſidio. Ille re omni procurata, claſſi præfecit Arbanum, qui profectus ad oram uſque Neapolis, cum non procul eſſet ab hoſtibus, tempeſtate prohibitus non potuit propius conſiſtere, & Liburnum rediit, ubi major pars militum egreſſi in continentem, profugerunt, deſertis navibus. Hoſtium vero claſſis in portum quendam, non procul a Plumbino, appulit, ibique per menſes duos morabatur, atque interim noſtris fuiſſet non difficile progredi, & ſubvenire Neapolitanis, propterea quod ejus portus, quem hoſtes tenebant, ea eſt natura, ut niſi uno ſolum vento, qui tempore hyberno valde eſt infrequens, non poſſit inde ſolvi. Erat quidem Arbanus egregia virtute, ſed parum peritus rei maritimæ. Aſta profectus Taurinum rex venit. Hic multa fuit actio pacis, & vidua quoque Sabaudiæ domina, eam rem curæ habebat. Sed & ipſe diligenter ſollicitabam de compoſitione, quod valde cupiebant primi nominis hoſtes, ii, quos non ſemel antea diximus, eoque miſſis literis, idonee mihi cavebant. Sed, quæ in magnorum principum familiis regnare ſolet, invidia, Cardinalis actionem meam evertit, ut illud, quod Sabaudiæ vidua inſtituerat, perficeretur. Hoc autem tribuebat ſuo hoſpiti; quo Taurini utebatur, homini prudenti, & ejus regionis quæſtori. Cunque longior quædam mora huic actioni

ni interveniret, prætor Divionenſis ad Helvetios fuit miſſus a rege, ut copias conduceret ad quinque circiter millia. Paulo ante dixi, quemadmodum claſſis noſtra tempeſtatibus detenta nihil potuit efficere. Ea re nunciata, Monpenſerius, item princeps Tarentinus, Stephanus Verius & multi alii, relictis præſidiis, pro numero & exiguitate commeatus, Neapoli diſceſſerunt, quod graviter tulit rex Ferdinandus, & pactum eos violaſſe, ac poteſtatem habere ſe dicebat interficiendi, quos dediſſent obſides, in quibus erat Comes Marchianus, Arduennæ ſylvæ incola. Nam treis circiter menſes ante hoc tempus, rex Ferdinandus, partim favore ſuorum, partim in diligentia noſtrorum, Neapolim ingreſſus erat. Quod tametſi occulte ageretur: noſtri tamen priuſquam accideret, præſenſerant. Multa ſunt quæ de eo dicam, ſed quæ coram ipſe non vidi, ea non ſoleo prolixe commemorare. Interim dum eſset in urbe, allatum fuit de morte regis, & Mediolani Dux, ſcriptis literis confirmabat, eum in prælio ad Forum novum, occubuiſſe. Huic famæ noſtri fidem habebant, & Columnenſes etiam, qui alioquin eo ſpectabant, ut potentioribus ſeſe conjungerent ideoque ſtatim a nobis defecerunt, tametſi plurimis eſsent a rege & ampliſſimis ornati beneficiis. Noſtri ergo cum in magna eſsent commeatus difficultate, rebus omnibus amiſſis, quas in urbe haberent, obſeſſi jam in quartum fere menſem, pacti fuerunt cum hoſte, ſexta die Octobris: quod niſi rex intra certum tempus ſubſidia mitteret, redituros in Galliam, neque bellum deinceps ullum vel terra vel mari facturos Neapolitano regno, ejuſque rei cauſa dabant obſides. Et quoniam ante præfinitum diem diſceſserant, Ferdinandus contendebat, fidem ab ipſis non ſervatam eſse. Illi vero contra, nihil a ſe factum eſſe præter officium, dicebant, ſed obſides interim in maximo erant vitæ diſcrimine. Prudenter illi quidem & caute, quod ei pactioni parum fiderent: ſed honeſtius multo fuiſſet, ad conſtitutum diem reddere illi, quas tenebant arces,

Digitized by Google

ces, & liberare obſides, præſertim cum paucis poſt diebus, qui præſidio relicti erant, deſperata ſalute, & inedia coacti, deditionem facerent. Dum rex Taurini & infinitimis oppidis Helvetiorum adventum expectaret, tentabat quo modo poſset cum Mediolani Duce paciſci; & de Aureliano parum erat ſollicitus, tametſi crebro ſollicitaretur ab eo de auxiliis. Vix enim jam tolerabant famem qui intus erant, & hoſtes arctius obſidebant oppidum, & aucti erant novo equitatu, circiter mille armatorum, quibus præerat Fridericus Capelarius Firtenſis, vir ſummæ virtutis atque conſilii, & præter Venetorum copias, erant ad undecim millia Germanorum, in finibus & agro Maximiliani Cæſaris conducti. Augeſcente ergo hoſtium numero, & cum nulla poſset honeſta conditio impetrari, perſuaſum regi fuit, ut Vercellas ſeſe reciperet, & occaſionem aliquam expectaret eripiendi ſuum patruelem, & eos qui obſidebantur. Hortatus fui ducem, ut antea dixi, veniret ad regem, & qui ad defenſionem eſſent inutiles, eos ut dimitteret. Quod ſi feciſſet, non fuiſsent in eas redactæ anguſtias ipſius copiæ. Nam præſens ipſe communicaſſet nobiſcum conſilia, & ſi non qualem optabat, ſaltem tolerabilem aliquam pacem impetraſset. Verum Archiepiſcopus Rotomagenſis, qui cum ipſo Novariæ ſemper fuerat, & legatus ab eo venerat ad regem, hortabatur eum ad virtutem atque conſtantiam; & ſpem faciebat auxiliorum, confiſus oratione & pollicitationibus Cardinalis, qui unus omnia imperia adminiſtrabat. Et quanquam prolixe admodum ille pollicebatur, non me tamen latebat, fruſtra ſperari. Niſi enim prælio rex intereſset ipſe, non erat omnium quiſquam pugnaturus, & lis tantum erat de Novaria, quam Aurelianus retinere, & Mediolani Dux reſtitui ſibi volebat. Ut autem uni omnia cederent, oportebat. Sunt enim in Ducatu Mediolanenſi, non magno interjecto ſpacio, circiter decem urbes. Quod ſi Novariam redderet, & Genuæ poſseſſionem ſibi rex permitteret, omnia

nia ſe facturum in ejus gratiam Dux pollicebatur. Farinam ſubinde noſtri homines deportabant ad oppidum, ſed ejus magna portio in via peribat: nonnunquam etiam ii, qui ferrent, deprehendebantur, tantaque jam erat omnium rerum inopia ut aut fame morerentur, aut graviſſime ægrotarent, eamque ſuam miſeriam occultis literis atque notulis, quæ ſummo periculo perferebantur, nobis ſignificabant. Noſtri vero ſpe ſemper illos alebant, in eoque certe valde peccabant. Cauſa, cur ſpem illis facerent, erat, ut interpoſita mora, paratum rex haberet exercitum ad pugnam. Hoc quidem erat eorum, quibus authoritatem rex tribuebat, conſilium, ſed interim non videbant, neminem eſſe omnium, qui ſententiam eorum probaret. Nam præcipui belli duces, & in his, Auraicæ princeps, qui recens advenerat, cuique magnam rex habebat fidem in re militari, cupiebant honeſte paciſci, his potiſſimum de cauſis, quod & hyems ſuberat, & pecunia nulla ſuppeteret, & ex noſtris plærique aut decumberent ægroti, aut diſcederent; alii ſponte, alii impetrata dimiſſione. Sed iis rebus nihil iſti permoti, nolebant deſiſtere negotio, & Aurelianum hortabantur, ne diſcederet. Nam qui ad Helvetios erat miſſus, prætor Divionenſis, magnam ſpem injecerat de copiis, quas eſſet adducturus. Ea re confiſi, magis urgebant ſuum inſtitutum, & prætori, ut quantas omnino poſſet copias adduceret, mandabant. Breviter, omnia tumultuoſe, nulloque ordine aut conſilio fiebant. Qui compoſitionem oderant, hanc etiam ſui propoſiti rationem adducebant, non eſſe dignitatis ipſius regis, ut pacis initium faceret, expectandum eſſe, donec hoſtes ultro inciperent. Sed ab illis eadem dicebantur, atque interim magis atque magis augeſcebat eorum, qui Novariæ obſidebantur, miſeria, eouſque ut ipſorum jam literæ, nonniſi deſperatiſſima nunciarent. Dum hæc geruntur, moritur vidua Monferratenſis. Ea res aliquam excitavit ſimultatem, & de adminiſtratione contendebant Salaſſiorum Marchio, & Con-

ſtantinus, de quo ſupra dictum eſt, ejus fœminæ patruus, homo Græcus, expulſus finibus, & fortunis omnibus diſpoliatus a Turca. Is & arcem Caſalis tenebat, & filios duos nepotes ſuos, e quibus natu major erat annorum circiter novem, in poteſtate ſua habebat. Rex igitur, ne per eam occaſionem, altera factio Mediolani Ducem accerſeret, eique ſummam rei committeret, mihi negocium dedit, ut eo profectus, conſtituerem quod & ad liberorum ſalutem eſſet idoneum, & quod major hominum pars approbaret. Nam ager ille omnis, propter vicinitatem, valde eſt opportunus Galliæ. Sed vehementer angebat me caſus eorum, qui Novariæ obſidebantur, & jam inſtabat hyems, & verebar, ne Cardinalis & Rotomagenſis Epiſcopus regem denuo excitarent ad prælium, & niſi Helvetiorum novæ copiæ accederent, videbam non eſſe tutum ei dimicare cum hoſte: quod ſi etiam magno numero venirent, ut noſtri homines jactabant, metuebam ne periculoſum eſſet, eorum ſaluti ſeſe committere: deinde, maxima erat hoſtium multitudo, & caſtris idoneum locum delegerant, eumque manu & opere communierant. His rationibus commotus, regem, antequam diſceſſi, compellabam. Videri mihi, ipſum nulla fere de cauſa velle ſe conjicere in ſummum diſcrimen. Meminiſſe velit, in quanto fuerit periculo ad Forum novum: ibi neceſſitate adductum decertaſſe prælio, hic autem nullam rem talem intervenire: non eſſe pacem aliquam honeſtam repudiandam, neque debere ipſum eo moveri, quod nonnulli dicant, ab hoſtibus oportere pacis initium fieri: quod ſi velit, effecturum me, ut ad colloquium illi veniant, & utrique parti ſua conſtet dignitas. His auditis, ut Cardinalem de eo convenirem, juſſit. Qui ſimulatque rationes & conſilium meum accepit, valde reſpondit aliene, & ad pugnam omnino ſpectabat, & quaſi certa jam atque explorata victoria, confidenter admodum loquebatur: Rumor erat, Aureliæ Ducem, ſi Mediolanum occuparet, promiſiſſe cuidam ejus filio, decem

cem aureorum millia annua. Poſtridie, dum eo ſalutaturus regem, ante abitum, occurrit mihi Tremolius. Huic, quod regi erat familiaris, rem omnem expono, ſimul rogo, an ipſum denuo ſollicitandum eſſe putet: Ubi confirmaſſet, revertor ad regem, & præſente Cardinali, priorem orationem repeto, cohortatus eum ad compoſitionem. Ibi Cardinalis, eam rem ad ſe, quod eſſet ordinis Eccleſiaſtici, pertinere dicebat. Tum ego, niſi ipſe ageret, me profitebar eſſe acturum, atque hoc eo dicebam confidentius, quod & regi & ipſius propinquis non ingratum eſſe ſciebam. Cunque deinde Auraicæ principi, qui totius exercitus erat Imperator, rem omnem communicaſſem, ita mihi cum illo convenit, ut ſi quid de pace agerem, ad ipſum diligenter omnia perſcriberem. His conſtituti rebus, Caſale, quod iter bidui fere divat Vercellis, proficiſcor. Ejus familiæ clientes prope omnes, Conſtantino ſeſe addixerant. Nam ut is adminiſtrationi præeſſet, plærique omnes judicabant tutiſſimum eſſe liberis, propterea quod Salaſſiorum Marchio ſuccedendi jus in eo agro habebat. Quo majus erat periculum, ſi rerum procuratio fuiſſet ad ipſum delata. Ubi eo veniſſent nobilitatis & ordinis Eccleſiaſtici & civitatum primi, a me convocati, quæ regis eſſet mens atque voluntas, demonſtrabam, hoc ſcilicet, quam nunc Conſtantinus haberet adminiſtrationem Reipublicæ, in ea uti permaneat. Illi, quod & natura ſtudent Galliæ, & quod rex ibi cum exercitu aderat, facile aſſenſerunt. Triduo poſt me venit eo quidam a Marchione Mantuæ, deploratum mortem ejus fœminæ, quæ principum eſt conſuetudo. Cum eo cœpi conferre ſermonem de componendo bello, ſine majori tumultu. Jam enim ſua ſponte res huc inclinabant, exercitumque rex traduxerat Vercellas, ut antea diximus, & ipſe quidem in oppidum ſe recepit, Auraicæ vero princeps, & Comes Foſſenſis, & Vindicienſis, & Gius, & reliqui omnes militum præfecti in caſtris permanſerant. Spes tota exercitus & præcipuum robur erant Helvetii, qui Neapoli

 cum

cum rege ſuerant. Noſtrates enim milites, propter oppidi propinquitatem vix poterant contineri, complures etiam ex iis ægrotabant, & multi quotidie commigrabant ex caſtris. Legatum illum, de quo diximus, cœpi monere, quamobrem Marchio pacis conſilia ſequi deberet ſcire: ipſum, quanto in periculo fuerit, ſuperiori prælio. Quod etiam iis militet, qui ipſius virtuti ac meritis non referant parem gratiam, multos valde mirari: hortabar itaque ut pacis rationem haberet, atque idem facturum eſſe me profitebar. Ille, Marchionem ab eo conſilio non quidem alienum eſſe dicebat, ſed oportere, quod alias quoque dictum ſit, ut a nobis fiat initium, eo quòd Romanus Pontifex, & Cæſar Maximilianus, & Hiſpaniarum Rex, & Mediolani Dux, confœderati, authoritate ad potentia Regem antecedant. Ad ea reſpondi, ineptum eſſe, tantulis rebus impediri: quod ſi antiquiſſimum quodque tempus atque morem ſpectari oporteat, ab ipſis debere potius, quam a nobis initium fieri; propter regis præſentiam: quos autem nominaſſet, ii ſolum per legatos agerent: Quod ſi ipſi ita videatur, nos ut intercesſores utrinque facturos initium, modo ut in ſententia Mantuæ princeps permaneat, & conſtanter agat. Ad eum modum collocuti, placuit, ut poſtridie literas darem ad legatos Venetos. Iis literis, quid inter ipſum & me conveniſſet, recitabam, occaſione ſumpta ab eo, quod Patavii mecum illi conſtituerant, ut non ſemel dixi. Nam & rex operam meam probabat, & rerum noſtrarum conditio pacem aliquam flagitabat. Facile quidem reperiuntur, qui rem aliquam perturbent, & diſſidiis materiam ſubminiſtrent: qui vero dexteritatem illam habeant, & voluntatem etiam, conciliandi animos & componendi ſimultates, vix paucos invenire liceat. Nec enim eſt omnium, ea quæ in ejuſmodi actionibus dici conſueverunt & objici, patienter ferre. Acceptis meis literis, legati magna fuerunt affecti lætitia, ſimul nunciabant, ſe brevi reſcripturos, & cum ad ſenatum Venetum retuliſſent, paolo poſt reſponſum tulerunt. Ad

exer-

exercitum noſtrum deinde venit e Ferrarienſi familia quidam, & cauſam aditus habebat per Jacobum Trivultium: Is, cum principe Auraicæ velle ſe colloqui, dicebat, quod inter legatum Marchionis & me convenerat, eoque ſe miſſum eſſe profitebatur, ut idonee caveretur Marchioni, & iis quos ille ſecum eſſet adducturus, colloquendi cauſa cum iis, quos regi placeret ad eam rem conſtituere. Hæc cum palam dixiſſet, privatim cœpit adhortari regem, ne pacificaret, & timorem hoſtium propoſuit, ac brevi moturos hinc caſtra, domumque reverſuros eſſe dicebat. Ei ſermoni intererat Jacobus Trivultius, qui Mediolani Ducem graviſſime oderat, ideoque bellum potius quam pacem ſuadebat. Sed & Ferrariæ Dux, odio Venetorum, qui fertiliſſimam agri partem illi ademerant, ut ſupra diximus, bellum ipſis inferri cupiebat. Audita ejus oratione, rex me jubet accerſiri, & ad concilium defert, an iis qui ad colloquium venturi dicebantur, caveri oporteret? Ibi præter Jacobum Trivultium, alii etiam, quos ſæpe dixi, gratificantes, ut ipſi quidem putabant, Aureliorum Duci, prælium poſcebant, & quibus eſſent in anguſtiis ac rerum omnium inopia hoſtes, multa locuti, confirmabant, eos paucis poſt diebus migraturos. Atque hæc eo confidentius dicebant, quod reliquis omnibus ad pugnam excitatis, longe ipſi poſt principia ſibi caviſſent. Altera erat eorum ſententia, in quibus & ego fui, qui dicerent, nobis metuendum eſſe potius ab inopia commeatus, quam illis, qui ſuo in agro & ditione caſtra feciſſent, & firmiorem eſſe ipſorum exercitum, quam ut vel a nobis expugnentur, vel rebus deſperatis fugiant: qui ejusmodi illorum difficultates proponant, eos velle regem ſuas fortunas omnes in periculum devocare. Quæ ſententia cum in concilio viciſſet, cautum illis fuit per literas, & nunciatum; Auraicæ principem, Gium, Piennium, & me, poſtero die venturos ad locum medium inter utraque caſtra, colloquii cauſa. Poſtquam eo devenimus, magno cum equitatu, aderat Marchio Mantuæ, &

Ve-

Venetus quidam, Stratiotarum præfectus; cumque peramice ſalutatum eſſet utrinque, placuit, quo commodius & expeditius agi poſſet, ut ex ipſis nonnulli poſtridie ad nos tranſirent, atque idem a nobis invicem fieri oportere. Ad conſtitutum tempus, venit a Mediolani Duce, Franciſcus Bernardinus Vicecomes, & cum eo quidam Marchionis Mantuæ ſcriba. Cardinalem rex nobis adjunxerat, & ubi ventum eſt ad colloquium, Novariam, in qua tenebatur obſeſſus Aureliorum Dux, & Genuam, quæ pertineret ad ditionem Galliæ, poſtulavimus. Ad hæc illi, nihil ſe contra regem, niſi defendendi ſui cauſa, feciſſe: Aurelianum eripuiſſe Novariam Mediolani Duci, & noſtris auxiliis belli feciſſe initium: poſtulata noſtra recipi non poſſe, quantum ipſi quidem exiſtiment: in cæteris rebus omnibus cupere ſe regi gratificari. Biduo apud nos commorati, reverterunt ad ſuos, & nos deinde ad ipſos profecti, ut conſtitutum erat, de Novaria diligenter ſollicitavimus, & ſaltem eo rem deduci optabamus, ut Maximiliani Cæſaris fidei permitteretur, eo quod Inſubria, cujus eſt oppidum Novaria, Romani eſt Imperii provincia. Hæc enim ſola ratio nobis viſa fuit tum idonea tum honeſta. Interim dum ſic utrinque commeant internuncii atque legati, rex voluit ut in ipſorum caſtris manerem, ac tandem collegas etiam eo redire juſſit, & Ambianorum prætorem atque Gannæum jureconſultum adjunxit, ut is latine verba faceret. Nam eouſque locutus eram utcunque Italice. Fuit autem ad hunc modum actio inſtituta. Simul ad Mediolani Ducis domicilium pervenimus, ipſe cum uxore nobis obviam progreſſus, excepit. In ejus cubiculo erant duo ſedilium ordines. In eorum altero ſedebant Maximiliani Cæſaris & Hiſpaniarum regis legati, & Marchio Mantuæ, & legati Veneti, poſtea Dux ipſe cum uxore, ac deinde Ferrariæ Ducis legatus. Contra ipſos, ab altera parte, nos conſedimus. Pro iis Dux tantum verba fecit, & ipſorum eſt conſuetudinis, ut placide & diſtincte loquantur: nos autem tumultuoſius

tuoſius fere, & nonnunquam bini aut terni ſimul, ideoque Dux aliquando interpellans monebat, ut ſinguli cum ſingulis ordine loquerentur. Quicquid inter nos conveniſſet, ſtatim fuit exceptum & literis mandatum a ſcribis, qui, priuſquam dimitteretur concilium, recitabant quod ita ſcripſiſſent, Italice unus, alter vero Gallice, atque eadem in proximo conventu relegebant, ut eo certius atque facilius omnia perficerentur. Eſt autem ea ratio valde idonea, cum magni aliquid tractatur. Quindecim dies in ea re conſumpſimus, ac primo ſtatim die pactum fuit, ut Aureliorum Duci liceret ex oppido prodire, ideoque inducias fecimus in eum diem, quæ paulatim deinde productæ fuerunt uſque ad pacificationem. Et ne per fidem Aureliorum Dux circumveniretur, obſidem ſeſe conſtituit Marchio Mantuæ, magis ut nobis gratificaretur, quam ullius cauſa metus. In primis autem jurejurando nos adegerunt, ut profiteremur, nihil a nobis callide vel inſidioſe fieri, neque compoſitionem nos eo facere, ut illum ab obſidionis periculo liberemus, verum agere liberaliter, & quicquid pepegiſſemus, velle ſervare. Quo facto, Mareſcallus Gius, & cum eo quidam miſſi a Mediolani Duce, Novariam profecti, Aurelianum evocarunt, qui parve cum comitatu egreſſus, magnam teſtabatur lætitiam. Sed qui intus erant, adeo vehementer jam affligebantur morbis & inedia, ut Gius nepotem ſuum cogeretur illis dare obſidem, pollicitus fore, ut proximo triduo omnes illinc diſcederent. Supra diximus de prætore Divionenſi, qui ad omnes Helvetiorum pagos miſſus erat, uti copias conduceret, ad quinque millia. Is nondum reverſus erat, cum Aurelianus oppido excederet: alioquin dimicatum prælio fuiſſet, ut mea fert opinio. Et quanquam certo nobis conſtabat, multo plures, quam juſſi erant, venturos: tamen propter incredibilem miſeriam eorum, qui obſidebantur, non potuit ulla mora interponi. Mortui enim ſunt in ea obſidione, partim inedia, partim ægritudine & morbis, ad duo circiter millia, reli-

reliqui vero tam erant exhauſti viribus atque deformes, ut non vivi, ſed mortui potius viderentur. Et præter Hieroſolymæ obſidionem, opinor nullos unquam homines in tanta fuiſſe rerum neceſſariarum inopia. Quod tamen ipſorum in diligentiæ tribuendum eſt, ut non ſemel antea diximus. Triduo poſt quam Aurelianus prodiiſſet, pactum fuit, ut iis etiam qui præſidio intus erant, egredi liceret. Marchioni autem Mantuæ ac Galeacio Sanſeverino datum fuit negocium, ut illos ab injuria defenderent, ac in locum tutum deducerentur. Oppidum in fide ac cuſtodia civium permanſit, interpoſita fide, ne cui traderent prius, quam de rebus omnibus conveniſſet. Ad arcis defenſionem relicti fuerunt circiter triginta milites, quibus Mediolani Dux annonam permittebat, quantum in dies ſingulos ſatis eſſe videbatur. Erat miſerabile ſpectare illos, qui oppido exirent. Nam ſic erant afflicti & exinaniti, ut cum circiter millia quinque prodirent, vix ſexcenti eſſent ad pugnam atque defenſionem utiles. Equos prope omnes in illis anguſtiis devoraverant, & ubi jam prodiſſent, in itinere, multi paſſim, exanimati languore, cum progredi non poſſent, moribundi procumbebant, ſic ut etiam hoſtes miſericordia in illos uterentur. Novaria petebant Vercellas, ubi rex erat cum exercitu, ut antea diximus. Interveni, cum ex noſtris nonnulli reficerent circiter quinquaginta, decumbentes quodam in horto, qui omnes modico pane, quem juſſeram illis emi, recreati fuerunt. Ubi Vercellas venerunt, rex aliquam pecuniæ ſummam dono dedit, & ſtipendia omnibus perſolvi juſſit, etiam iis qui deceſſerant. Helvetiis quoque ſatisfieri mandavit, ex quibus perierant circiter quadringenti. Sed quantumvis amice illis adminiſtraretur, extincti tamen ſunt Vercellis circiter trecenti, partim aviditate nimia cibi, partim aliis incommodis, ac paſſim in oppidi ſterquiliniis multi vitam finierunt. Ad hoc fere tempus adventarunt Helvetii nuper conducti, ad decem fere millia, & jam erant in exercitu duo millia, qui

qui cum Rege Neapoli fuerant, præter eos, qui Novariæ toleraverant obſidionem. Conſultum ergo regi fuit, ut eas manus diſtineret, neque ſineret conjungi. Vix enim unquam eo numero ſuis finibus exceſſerant, neque cohiberi poterant, quo minus venirent, & niſi in Taurinis aditu fuiſſent prohibiti, quod facile eſt in illis montibus, opinor cum uxoribus atque liberis eo fuiſſe commigraturos. Ludovicus rex, Caroli pater, multis eos ornaverat beneficiis & occaſionem ipſis præbuit comparandi nominis atque gloriæ, eamque nonnulli cauſam eſſe putabant, cur tanto ſtudio & alacritate nobis venirent auxilio. Verum quidem eſt, advenisse tunc nonnullos veteranos ac militum præfectos, annorum circiter LXXII, qui Ludovico regi contra Carolum Burgundiæ Ducem militaverant: ſed lucri ſpes atque prædæ, quia rem familiarem habent plærique omnes exiguam, incitaverat eos, ut laborem & operam quotidianam militia commutarent. Erant autem lectiſſimi viri, quos nemo facile, meo quidem judicio, niſi per inediam aut conſimilem aliquam neceſſitatem expugnaſſet. Aurelianus, ubi ſe per aliquot dies refecit, & animadvertit, nonnullos mirari, quod, cum tantas haberet copias Novariæ, de commeatu non ſatis diligenter providiſſet: cœpit mentionem facere committendi prælii, atque ejus adjuvabant ſententiam Comes Liniacus & Archiepiſcopus Rothomagenſis, quo valde utebatur familiariter, & cum his alii quidam humilis conditionis homines. Hi ſummittebant quoſdam Helvetios, qui dicerent, velle ſe confligere cum hoſte, neque tamen ſui propoſiti rationem ullam adferebant. Regi enim licebat uti pace, nec opus erat ei prælio decertare, niſi ut ipſum obſidione liberaret. Hoſtes vero non ſolum multitudine & numero ſuperabant, præſertim equitatu, verum etiam ita ſe communiverant foſſis atque vallo; ut noceri ipſis nequaquam poſſet, & ſoluta jam obſidione, non erat quod eruptionem ullam ex oppido metuerent, & nobiſcum illis tantum res erat. Aurelianus autem,

& quibus ipſe perſuaſerat, videbantur eo ſpectare, ut in ipſis caſtris atque munitionibus hoſtem adoriremur: ſed incidit gravior quædam deliberatio, ne videlicet Helvetii, conjunctis omnibus copiis, regem, qui præ ipſis erat infirmior, & primos exercitus comprehenderent ac captivos abducerent. Neque temere fuit ea ſuſpitio, ut poſtea ſum dicturus. His rebus inter nos diſceptatis, non abſque magna contentione, & eouſque, ut Aureliorum Dux Auraicæ principi convicium faceret, ac mendacium exprobraret: Gius, Piennius, Gannæus, Morvillerius, Ambianorum prætor, Carnutum præfectus & ego, reverſi ad hoſtium caſtra, pacem fecimus omnino talem, ut facile viderem non eſſe futuram firmam. Sed noſtrarum rerum ſtatus & anni tempus propemodum eo cogebant, ut ſcilicet honeſta aliqua ratione illinc diſcederemus, impetrata pace, quæ literis mandata, poſſet in omnes partes dimitti. Ad eum finem rex inprimis reſpiciebat, & in frequenti concilio, præſente Aureliano, quid ſuæ eſſet voluntatis, oſtenderat. Ejus pacis hæ erant conditiones: Ut Mediolani Dux Genuæ poſſeſſionem retineat, ſed ex ea urbe, cujus maxima ſit opportunitas, regi ſubſidium & auxilia quæcunque præſtet: ut ſuo ſumtu naves duas longas inſtruat, quæ Neapolis arci, quam tunc noſtri adhuc tenebant, ſubſidio proficiſcantur, ut anno poſt, tres ejuſdem generis naves habeat inſtructas, & ſi regem contingat Neapolim redire, belli gerendi cauſa, ut tum ipſe comitetur, & noſtris copiis det iter per ſuum agrum atque ditionem: Quod ſi Veneti eam pacem intra duos menſes non recipiant, & familiam Arragonicam propugnare velint, ut adverſum eos regi ferat auxilium, ea tamen lege, ut quicquid ipſis bello fuerit ademptum, ei cedat, deinde: quoniam regi ad eam profectionem mutuo dederat centum & viginti quatuor aureorum millia, remiſit ejus ſummæ ad octoginta millia. Cautum etiam fuit, ut cives Genuenſes duos, & Mediolanenſes totidem, regi daret obſides: Arx Genuæ, Ferra-

riæ

riæ Ducis, qui neutrius erat factionis, fidei commiſſa fuit in annos duos, & ſumptus, qui cuſtodiæ cauſa fierent, æquis portionibus ambo ſuſtinebant. Quod ſi quid ex ea urbe Mediolani Dux contra regem moliretur, jam illi licebat eam arcem in regis poteſtatem tradere. Quos promiſerat Mediolanenſes obſides, eos dedit; Genuenſes quoque daturus, ni properanter rex abiiſſet. Quod ubi vidit, intulit aliquid ad excuſationem. Poſtquam hæc omnia jurejurando confirmavit, rex quoque fidem interpoſuit, & conſtituit poſtero die commigrare. Sed ea nocte Helvetii, qui in noſtris erant caſtris, frequentes ad concilium convenerunt, ſub ſuo quiſque vexillo, ut ipſorum fert conſuetudo. Suadebant nonnulli, regem, & qui cum ipſo erant, potentiores omnes debere comprehendi. Alii vero trimeſtre ſtipendium ab eo poſtulandum eſſe contendebant, quod pater ejus pactus eſſet dare, quoties domo cum ſignis exiſſent. Erant ſententiæ, quæ dicerent, non ipſum quidem, ſed ejus familiares oportere capi: & jam cogitabant, quod decreviſſent, perficere; ſed priusquam inter ipſos convenit, rex cognito eorum conſilio, ingreſſus iter, Taurinum contendit. Erat in ipſorum caſtris Lornæus, qui multa jam conſuetudine linguam eorum ſciebat, & copiis aliquot erat præfectus. Is regem de eo certiorem fecit, & mihi deinde rem omnem expoſuit. Iniquum erat quod poſtulabant. Nam & in menſem unum duntaxat fuit eis promiſſum ſtipendium, & antequam is exiret, domum reverterunt. Qui cum rege fuerant Neapoli, comprehenderunt prætorem Divionenſem & Lornæum, ac ſatisfieri ſibi poſtulabant in dies quindecim, domum redeundi cauſa. Reliquis omnibus promiſſum fuit ſtipendium trimeſtre, & cum obſides atque fidejuſſores accepiſſent, nihil amplius moverunt. Ut autem turbam hanc excitarent, noſtri homines, qui factam compoſitionem graviter ferebant, illis perſuaſerant, & ex ipſorum præfectis, quidam Auraicæ Principem de eo commonuit, atque is deinde regem. Ubi Taurinum

rex venit, Gium, Gannæum & me ad Mediolani Ducem miſit, oratum, ut ad ſe colloquendi cauſa veniret. Et cum multæ eſſent a nobis adductæ rationes, in eam ſententiam, ut diceremus, nihil ab eo fieri poſſe utilius ad confirmandam pacem: ille, quamobrem id ſibi non eſſet integrum, plurima reſpondit, & hoc in primis, quod cum Papiæ rex eſſet, inita fuiſſent conſilia de ſe capiendo: Comitem Liniacum & Cardinalem Maclodienſem non hoc modo, ſed & alia quædam ejus generis non obſcure dixiſſe. Multa quidem tunc fuerunt a noſtris dicta parum prudenter, ſed a quibus, me latet: in hoc autem tempore, graviter & ſerio rex cupiebat ejus pacem atque amicitiam. Ille quidem non recuſabat venire ad colloquium, ſed interpoſito ſepimento & flumine ejus loci: quod ubi rex cognovit, ilico diſceſſit, mihique negocium dabat, ut Venetias redirem, alios vero Genuam mittebat, ut navibus illis, quas Mediolani Dux daturus erat, copias imponerent. Verum ille, cum noſtri maximos ſumptus feciſſent, non ſolum remoratus eſt eos, verum etiam naves duas Neapolim miſit, quæ noſtros oppugnarent. Cauſa, cur ad Venetos remitterer, hæc erat, ut cognoſcerem an ratam vellent habere nuper factam pacem, & iis quæ rex poſtularet, ſatisfacere, quorum primum erat, ut Monopolim, Apuliæ oppidum, quod nobis ademerant, redderent: alterum, ut Marchionem Mantuæ & reliquas copias, Ferdinando Regi ſubſidio miſſas, revocarent: poſtremum, ut profiterentur, Ferdinandum non eſſe ejus fœderis, quod nuper cum Pontifice Romano cæteriſque feciſſent. Cum eo veniſſem, exceperunt amanter, ſed non æque ac ſuperioribus menſibus, cujus hæc erat cauſa, quod nobis jam cum ipſis bellum intercederet. Ubi de iis mandatis Reipublicæ Dux cognovit, dicebat ſe communicata re cum ſenatu, brevi reſponſurum. Mox decreta fuit trium dierum ſupplicatio, & in pauperes diſtributæ facultates, & habitæ conciones

ciones ad populum, & ad Deum effuſæ preces, ut quod commodum ſit atque fœlix Reipublicæ, conſilium ſuggerat. Percunctando cognovi, hanc eſſe ipſorum conſuetudinem, quoties de re gravi deliberatur. Religionem enim admodum diligenter procurant, & templa ſumptuoſe exornant; in eoque pares ipſos cum Romanis, & ſanctimoniæ illi tribuendum eſſe puto, quod Remp. habent adeo florentem & amplam. Digni certe tanta proſperitate. Ubi per dies quindecim eſſem commoratus, reſponderunt, ſe nihil eorum, quæ peterem, poſſe præſtare, neque ullum ipſis eſſe bellum cum rege, & quicquid feciſſent, hoc totum pertinere ad defenſionem Mediolani Ducis, ſocii & confœderati, quem Rex profligare velit. Cum ea publice Dux pronunciaſſet, juſſus a ſenatu, ſolus mecum ac ſeparatim in colloquium venit, ac ejusmodi conditiones deferebat. Ut Ferdinandus, præſtita fide ac jurejurando, regnum Neapolitanum regi acceptum ferat; & aureorum millia quinquaginta annua, & jam ſtatim mediocrem aliquam pecuniæ ſummam dependat, & oppida quædam aut partem aliquam Apuliæ, Regi permittat, qui Tarentum alioqui poſſideat: ſe curaturos ut in ea regni parte unum & alterum oppidum illi præterea detur: id nobis ad bellum Turcicum valde fore opportunum. Nam quo tempore primum in Italiam rex venit, multam ejus rei mentionem fecerat, ideoque bellum hoc Neapolitanum a ſe ſuſceptum eſſe dicebat. Id erat autem ſimulatum, ac merito noſtros homines ejus figmenti pudere debeat. Eſt enim Deus, qui cogitationes omneis novit, nec illi quicquam eſſe poteſt occultum. Hoc præterea addebat, quod ſi bellum rex adverſus Turcam ſuſcipiat, illam Apuliæ partem ſatis ei futuram: deinde, Italiam omnem in ejus belli ſocietatem eſſe venturam, & Maximilianum quoque Cæſarem, ipſoſque & regem authoritate ſua facile poſſe omnibus per Italiam perſuadere. Quantum ad ipſos pertineat, velle ſe regi ſubminiſtrare in eo bello, centum naves inſtructas rebus omnibus, ſuoque ſumptu alere equitum

tum millia quinque: Pecuniam vero, quam ſit daturus Ferdinandus, eam ſe mutuo illi daturos: quod eo faciebant, ut Brunduſium, Hydruntum & alia quædam Apuliæ loca, in ſuam poteſtatem redigerent. Eo accepto reſponſo, dicebam me relaturum ad regem. Poſtea revertor ad Mediolani Ducem, qui tum erat Vigeſii, in venationibus occupatus. Orabam, ut privatim mihi cum ipſo colloqui liceret. Gravate quidem ille primo, ſed tamen conceſſit. Ibi tum cœpi urgere ac ſollicitare, ut quas nuper eſſet pollicitus naves, dimitteret. Arx enim Neapolis nondum deditionem fecerat. Erat Genuæ Pero Baſſus, miſſus a rege, ut idem negocium procuraret. Qui ubi de reditu meo cognovit, miſſis ad me literis, graviter de Mediolani Duce quæſtus, inſidioſe illum & perfide agere dicebat, eo quod interim dum ſimulet velle ſubminiſtrare naves, miſerit duas hoſtibus auxilio. Nam Genuæ præfectus, cum ab eo de navibus interpellaretur, reſpondit, nolle ſe illas armari milite Gallico, neque plures quam viginti quinque ex noſtris velle imponere, & multa id genus alia, quæ ad excuſationem pertinerent, dicebat, temporis extrahendi cauſa, ut interim noſtri, difficultate & inopia adducti, arcis Neapolitanæ deditionem facerent. Sciebat enim Mediolani Dux, illos non amplius menſem unum poſſe tolerare obſidionem, & quas per provinciam rex conduci juſſerat copias, eæ non poterant idonee ſubvenire noſtris, niſi adjunctas ſibi haberent duas illas naves, propterea quod hoſtes maxima claſſe & exercitu arcem obſiderent, adjuti a Venetis & Hiſpaniarum rege. Triduum fui cum Duce, atque interim re ſemel ad concilium introducta, cœpit ſtomachari, quod, quantum ad naves pertinebat, non probarem ejus reſponſum ac dicebat pollicitum ſe quidem, ut regi ſubminiſtraret naves, non autem, ut militem ullum Gallicum iis imponi pateretur. Ad ea reſpondi, excuſationem hanc valde eſſe infirmam. Quod ſi mulam aliquam præſtantem commodato mihi daret, ut Alpes tranſirem, atque interim juberet,

beret,

Digitized by Google

beret, ut pedes illam deducerem, neque uſum ejus mihi concederet, an exiſtimet ullum ſe mihi beneficium præſtitiſſe? Poſt multam diſceptationem abduxit me in diverticulum. Ibi cœpi commemorare, quanta ſollicitudo, quantuſque labor meus & aliorum interveniſſet, ut pax conſtitueretur: docebam, in quantum periculum regis fortunas devocaret, quod a pactis diſcederet, & arces illas nobis eripi pateretur, ad eamque rem auxilia ſummitteret hoſtibus: iis amiſſis arcibus, totum regnum a nobis defecturum eſſe: cogitare ſecum velit, quantum ex ea re ſit oriturum diſſidium inter ipſum atque regem: ejus injuriæ perpetuam & immortalem futuram eſſe memoriam. Quod ſi pacta ſervet, Tarentini agri poſſeſſionem omnem pollicebar: ſimul demonſtrabam, quantum periculum & ſibi & Italiæ toti conciliaret, quod mallet illa Apuliæ oppida eſſe imperii ac ditionis Venetorum. Ille, quæ dicerem, vera quidem eſſe omnia profitebatur, atque inprimis illud de Venetis, verum exitus ejus orationis erat, ut diceret, nullam ſibi poſſe cum rege firmam aut tutam eſſe amicitiam.

PHILIPPI COMINÆI

Equitis, *commentariorum*

LIBER QUINTUS.

OMni ſpe impetrandi adempta, cœpi diſcedere domum, deductus ab eo circiter milliare unum. Inter eundum aliquid excogitabat, ut me, quem triſtem eſſe videbat, placaret. Et ut ſolent ii qui ſubito ſententiam mutant, dicebat velle ſe mihi ſingulare quoddam beneficium præſtare, ut tanto gratior eſſem regi: poſtridie ſe miſſurum eſſe Galeacium (is erat ſummo apud eum loco) ut naves Genua dimittat, & reliquis noſtris copiis conjungat: velle ſe regi ſervare Neapolis arcem, quod ea defenſa, regnum totum

totum in fide permanſurum eſſe cognoſcat, & ſtatim ubi naves e portu ſolverint, ſe ipſum mihi ſcripturum, ut per me omnium primo rex certior ea de re fiat, & intelligat hanc tam egregiam atque fidelem operam me ipſi navaſſe; & antequam Lugdunum perveniam, adfuturum mihi itinere nuncium, qui eas literas perferat. Ea ſpe recreatus ab illo diſceſſi, & ingreſſus iter, quicunque poſt me veniret celeribus equis & incitato curſu, hunc arbitrabar eſſe, quem ille pollicitus erat. Tametſi, quod hominis ingenium noveram, in dubio verſabar. Progreſſus Cameriacum, ubi amanter fui exceptus a Sabaudiæ Duce, poſt, Lugdunum perveni menſe Decembri, cum rex ante bimeſtre eo veniſſet. Qui moleſte ferebant pacem nuper factam, ii cum verba nobis eſſe data viderent, magna fuerunt affecti lætitia, & ſibilis atque geſticulationibus me deridebant, ut in ejuſmodi rebus fieri conſuevit. Quid egiſſem, ordine regi commemorabam, & quas Veneti propoſuerant pacis conditiones, eas exhibui deſcriptas. Verum ipſe & Cardinalis pro nihilo ducebant, Interjectis autem aliquot diebus, denuo interpellabam. Utilius enim mihi videbatur, illa, quæ deferebantur, recipere, quam totum amittere. Nam quibus omnem adminiſtrationem permittebat, ii non ſolum non erant tantis rebus gerendis idonei, verum etiam homines peritiores ad ſua conſilia vix unquam admittebant. Quod tametſi rex non probaret, tamen eo fuit ingenio, ut quibus fidem atque authoritatem tribueret, eos non auderet offendere. Huc igitur tanquam in ſpeculum reſpiciant principes, & aſſueſcant ſua ipſi tractare negocia, & aliorum quoque ſententias audiant, ſuoſque familiares, quorum utuntur conſiliis, in pari propemodum habeant honore. Nam ſi quis ſingularis tantam habeat fidem apud principem, ut reliqui eum metuere cogantur & obſervare: is revera dominatur & regnum obtinet, ſuiſque rebus tantum ac facultatibus conſulit, ac publicas commoditates negligit, quod regi ſcimus eveniſſe. Quod ſupra dictum eſt,

non-

Digitized by Google

nondum deditionem fecerant arces Neapolitanæ, & quos ibi rex conſtituerat, paſſim erant in præſidiis, Monpenſerius, Salernitanus, Albinius in Calabria, & alii aliis in locis, verum adeo deſtituti a nobis, ut vix unquam aliquis ad eos nuncius aut literæ perferrentur. Et ſi quid forte nunciaretur, id totum erat confictum, & alebantur vana ſpe ac pollicitationibus. Rex enim nihil adminiſtrabat ipſe. Quod ſi mature fuiſſet eis proviſum de re pecuniaria, defendiſſent regnum ab hoſte: ſed interpoſita mora, longe majores deinde ſumptus fruſtra fecimus, ac tandem rebus omnibus deperditis, allata fuerunt illis ad quadraginta aureorum millia, quæ quidem pecuniæ ſumma, menſem unum citius deportata reſtauraſset omnia, & ignominiam illam, quæ amiſso regno ſecuta fuit, a nobis depuliſset. Ejus rei cauſa fuit, quod rex nihil ipſe procurarat, nec eos, qui de ſuorum ſtatu docere ipſum poterant, audiebat, & quod ejus familiares erant homines imperiti & ignavi, & quod ex ipſis nonnulli, ut opinor, conſilia ſua cum Pontifice communicabant. Ubi per menſem unum & alterum, rex Lugduni fuit, nunciatum eſt ei de infirma valetudine ſui filii, quem habebat unicum, ac triduo poſt allatum fuit de ejus morte. Deploravit quidem ille caſum, ſed leviter: uxor autem Anna, Britanniæ Ducis filia, graviſſime tulit, & ſupra quam dici poteſt, fuit afflicta, & videbatur ei mens aliquid ſiniſtri prænunciare in poſterum, Rex vero, ut eam recrearet, nobiles aliquot ſummiſit, qui coram ea ſaltarent, quod noſtro more fieri conſuevit, excitandæ lætitiæ & depellendi mœroris cauſa. In his fuit Dux Aurelianus, annorum circiter triginta quatuor. Et quoniam a morte regis, ad ipſum, qui genere proximus erat, deferebatur regni ſucceſſio & ſumma imperii, regina factum hoc ſic accipiebat, quaſi filii ſui morte lætitia eſset affectus, ideoque cœpit odiſse, & multo poſt tempore ab ejus abſtinuit colloquio. Erat puer ille annorum trium, admodum formoſus, & in loquendo au-

dax, neque timebat ea, quæ reliqui pueri ſolent. Rex igitur, qui corpore erat exiguo, & ingenio parum excitato, ſed alioqui placidiſſimis moribus, eo levius mortem ejus ferebat, quod metueret, ne grandior ille factus, gratiam & authoritatem ſibi inter ſuos minueret. Hic autem mihi vide magnorum regum atque principum miſeriam, qui a ſuis ipſi liberis ſibi metuunt. Ludovicus undecimus, cum eſset annorum tredecim, facta conjuratione nobilitatis, arma ſumpſit adverſus parentem ſuum, Carolum ſeptimum; & cum excreviſset, adeo cœpit vehementer ab eo diffidere, ut relicto Delphinatu, provincia ſua, reciperet ſe ad Philippum Burgundiæ Ducem; Et cum deinde gravi valetudine adflictaretur, ne filio quidem ſuo, qui tunc erat annorum circiter quatuordecim, fidebat, ut in ſuperioribus commentariis demonſtravimus. Ita videlicet comparatum eſt in rebus humanis, ut omnes pariter aliquo adficiantur dolore. A condito enim mundo, rerum omnium fabricator Deus, hoc ita conſtituit. Neque licet cuiquam illius evitare decretum. Sed differunt inter ſe cruciatus. Nam qui ſunt animi, gravius urgent, quam corporis. & quibus obnoxii ſunt prudentes, ii multo ſunt tolerabiliores, quam inſipientum, etſi diverſum nonnulli ſentiant. Hi enim quo ſe conſolentur atque ſuſtentent, nihil habent. Quod ſi principes ac potentiores, qui in maxima rerum omnium copia vitam agunt, nullas acerbitates experirentur, eſſet profecto deſperatiſſima miſerorum hominum conditio, qui labore quotidiano maximiſque vigiliis & ærumnis, uxorem, liberos atque familiam alunt, & magiſtratui tributum pendunt. Sed longe ſecus quam vulgo putatur, res habet. Nam ſi recenſere velim, quam multos noverim Principes viros atque fœminas, annis ab hinc triginta, qui in ſummis angoribus atque triſtitia vixerunt, non mediocrem ſim conſcripturus librum. Atque hi tamen, quum rebus omnibus affluerent, iis, qui non noverant familiarius, videbantur eſſe omnium hominum beatiſſimi. Neque dici poteſt,

Digitized by Google

quam tenues ac infirmas plærunque ſui mœroris cauſas haberent. Magna enim ex parte nitebantur ſuſpitionibus & calumniis. Atque hic eſt morbus occultus, qui in familiis Principum regnat, & plurimis incommodis materiam ſubminiſtrat, in Gallia quidem adeo frequens, ut a Carolo magno vix pauci Galliæ Reges annum ætatis ſexageſimum exceſſerint, collecta ſæpe ægritudine ex ſuſpitionibus & iis quæ clanculum ac falſo eſſent delata. Ludovicus undecimus, paulo antequam decederet, cum ſuſpitionibus nimium indulgeret, nulli prorſus homini fidebat, & omnes inſidiari ſibi putabat. Ejus pater, cum decumberet ægrotus, perſuaſum habebat, paratum ſibi eſſe venenum, ideoque ab omni cibo abſtinuit. Caroli ſexti eo fuit deterior conditio, quod deliraret ac mente captus eſſet, dum iis quæ deferebantur, plus quam oportebat, crederet. Prudenter ergo facturi ſint Principes, cum aliquid ad ipſos occulte defertur, ſi delatorem ſiſtant, & fidem ſibi fieri jubeant ejus quod ſit delatum. Hac enim ratione multo vivent tranquillius, quando nullus eo ſit progreſſurus amentiæ, ut quod probare non poſſit, de eo ſit alicui facturus calumniam. Sed ſunt ex ipſis nonnulli adeo ſtolidi & ignavi, ut etiam jurejurando promittant, ſe nihil enuntiaturos, atque interim anguntur in animis, & ab impuris ſæpe hominibus perſuaſi incipiunt illos odiſſe, quos pro ipſorum virtute ac merito debebant amore ac benevolentia ſumma complecti. Mortuo regis filio, paulo poſt fuit allatum, quos Monpenſerius præſidio reliquerat in arce Neapolitana, eos deditionem feciſſe, ut obſides redderentur, de quibus antea dictum eſt. Aliud etiam accidit, quod ad regis infamiam atque dedecus pertinebat. Cum in Italiam veniſſet, Florentini non ſolum maximam pecuniæ vim ei donaverant, verum etiam in ipſius fidem permiſerant Piſas, Sarezanam, Sarezanellam, Petramſanctam & Libramfactam, ut ſupra diximus, atque ille duplici jurejurando promiſerat, ſe redditurum omnia. Primo, cum Neapolim iret, ac deinde con-

confecto bello, cum domum rediret, Aſtæ, quo etiam tempore mutuo ei dabant triginta aureorum millia, ea lege, quod ſi Piſas redderet, ut ejus debiti nihil per ſolveret, atque ipſi quæ accepiſſent ab eo pignora, reſtituerent. Tunc & illud pactum fuit, ut ſexaginta aureorum millia regi mutuo darent, eamque pecuniam diſtribuerent in noſtras copias, per regnum Neapolitanum, ad ejuſque defenſionem, trecentos equites cataphractos nobis alerent. Sed is de quo ſupra dictum eſt, Entragius, homo avarus & infidus, quem iis locis rex præfecerat, Piſanis reddidit arcem, accepta pecunia, Sarezanam oppidum & arcem ibi poſitam vendidit Genuenſibus, Petramſanctam Lucenſibus, & Libramfactam Venetis, qua quidem in re ſumme peccavit, & Gallico nomini inſignem maculam inuſſit, propter interpoſitum jusjurandum, & hoc effecit, ut regnum Neapolitanum a nobis totum deficeret. Florentini enim, cognita ea perfidia, nihil eorum de quibus convenerat, præſtiterunt, & quam mutuo dederant pecuniam, eam a nobis repetebant. Harum rerum omnium cauſa fuit, quod rex nihil ipſe præciperet, & ſuſurrationibus illis occultis nimium tribueret. Nam ex ipſius familiaribus nonnulli, fuerant authores Entragio, ut ad eum modum ageret. Monpenſerius ergo & Virgilius Urſinus, & Camillus Vitellius, & alii noſtri duces, re deſperata, collectis, quas habebant paſſim copiis, oppidula quædam occupabant: ſed iis occurrit cum exercitu rex Ferdinandus & Marchio Mantuæ, quem Veneti nuper eo miſerant. Nam ipſi ea pecunia, quam Ferdinando mutuaverant, & ſumptu belli æſtimato uſque ad CCL. aureorum millia, ſex Apuliæ oppida tenebant oppignorata, in quibus ſunt Brunduſium, Gallipolis, Hidruntum, & Monopolis. Ei ſummæ volunt etiam adjici, quicquid ea oppida ſervandi ac defendendi cauſa impendunt, neque ipſorum propoſiti eſſe puto, ut unquam reddant. Nec enim ſolent, cum aliquid ſemel occuparint, quod ipſorum finibus commodum ſit & opportunum, ut

ſunt

ſunt ea loca quæ diximus, poſita in illa ora maris Adriatici. Habet quidem Pontifex Romanus aliquot oppida interjecta, ſed quicumque mare illud navigant, hi Venetis ſunt vectigales. Neque omnes intelligunt, quanti ſit momenti, quod eam oram maritimam ſuæ ditioni conjunxerint. Nam præter alias commoditates redit ad eos quotannis maxima copia frumenti & olei. Ii quos diximus, Ferdinandus & Marchio Mantuæ, cum noſtros haberent in conſpectu, cœperunt communire caſtra, veriti, ne prælio dimicandum eſſet, quod hactenus infœliciter ipſis accidit. Sed inter noſtros orta fuit ſimultas, propter inopiam commeatus & pecuniarum. Nam & equitatui, & Helvetiis & Germanis, multis jam menſibus nihil erat depenſum, atque hi direptis aliquot oppidulis, ſe ſuſtentaverant. Quod ſi quadraginta illa aureorum millia, quæ rex promiſerat, mature fuiſſent perlata, nihil accidiſſet incommodi, & prælio noſtri decertaſſent: quod etiam ſi feciſſent adverſum, non tamen adeo multos e ſuis deſideraſſent: quam poſtea, quando tam ignominioſas conditiones acceperunt. Monpenſerius quidem & Virgilius Urſinus omnino ſuadebant pugnam, ſed alii quidam eis renunciabant, cum ſigna ferri juſſiſſent, non ſe fore dicto audientes. Erant in caſtris, Germani circiter octingenti, qui nuper eo venerant. Hi cum periculum ſuum viderent, non præſtiterunt nobis eam fidem atque amorem, quem Helvetii, & ad Ferdinandum defecerunt. Et quoniam belli duces inter ſe diffidebant, ut dictum eſt, turpiter cum hoſte pactum fuit, his conditionibus: ut poteſtati Ferdinandi ſeſe permitterent, ut tormenta omnia darent, & quicquid occupaſſent, reſtituerent. Ille viciſſim promittebat ſe curaturum, ut mari tranſportarentur in Taurinos, rebus omnibus ſalvis. Eo facto juſſit omnes Neapolim deduci. An ulli unquam homines turpius pacti ſint, ignoro, neque ſimile exemplum legiſſe me puto, niſi quod Livius recitat de conſulibus Romanis, qui prope Furcas Caudinas, adeo viles ac indignas pacis leges rece-

receperant, ut ſenatus eas repudiaret, & ambos, qui pacti fuerant conſules, ad hoſtem remitterent. Neapoli fuerunt impoſiti navibus noſtri milites, & in vicinam inſulam deportati, ubi cum diutius hærerent, morbis affecti, magno numero moriebantur, & in his Monpenſerius, quem alii veneno, alii febre extinctum eſſe dicebant, quod & ego puto. Breviter, ex omni eo numero, qui erant aliquot millia, vix mille & quingenti ſuperfuerunt, & Helvetii circiter trecenti & quinquaginta, quorum ſane laudanda eſt virtus atque conſtantia, quod extrema omnia pati, quam a nobis ad Ferdinandum deficere, maluerunt, qui longo tempore eos in Inſula detinuit in maxima cibariorum inopia. Qui ex his in Galliam redibant, eos vidi cum appellerent. Erant omnes afflicta valetudine, & ex macei corporis atque deformitate, quam eſſent multa perpeſſi, facile potuit cognoſci, & e navibus egreſſi, non poterant firmiter inſiſtere. Virgilio Urſino & ipſius filio, reliquiſque Italis, qui regi militaverant, licebat ex pacto redire domum. Non multo poſt eam pacificationem, Ferdinandus, qui nuper uxorem duxerat, amitam ſuam, circiter quatuordecim annorum puellam, febri divexatus, e vita diſceſſit. Horreſcit animus, dum cogito: nec ipſe tantum, ſed & ipſius aliquot majores, multa contraxerunt ejus generis matrimonia. Ab ejus morte, ſumma rerum delata fuit ad patruum Fridericum. Videre hic licet magnam rerum humanarum incertitudinem ac mobilitatem fortunæ. Biennio enim quinque fuerunt reges Neapolis, Ferdinandus, Alphonſus, Ferdinandus, Carolus Galliæ rex, & Fridericus. Quod noſtri milites diutius quam pactum erat, detinebantur, atque etiam durius habebantur, Ferdinandus, & poſt eum Fridericus excuſabant, eoque fieri dicebant, quod Monpenſerius non juſſerat ipſis omnia reſtitui. Cajetam enim & alia quædam noſtri adhuc tenebant: verum ille culpa vacabat. Nam etſi regis erat legatus, tamen ipſius non erat, iis, quorum fidei rex commi-

miſerat arces & oppida, in eo præſcribere aut imperare. Quanquam ſi & ipſi deditionem feciſſent, nullo magno incommodo rex fuiſſet affectus. Nam miſſi fuerunt aliquoties e Gallia, qui ſubſidio ipſis venirent, & commeatum importarent Cajetam, ejuſque rei ſumptus fuit æſtimatus ad centum & quinquaginta aureorum millia, neque tamen quicquam eo profecimus. Rex diu commoratus Lugduni, & totus occupatus ludis atque ſpectaculis, ut antea dictum eſt, optabat quidem retinere Cajetam, & quod reliquum adhuc erat, in ſua poteſtate, nec ulli in ea re ſumptui parcebat, ſed erat fugiens laboris, neque ſtudebat ipſe de ſuis rebus aliquid cognoſcere aut providere. Plærique enim per Italiam cœperunt cum eo ſua communicare conſilia, & conditiones proponebant, Galliæ futuras non inutiles, quæ cum ſit locuples atque copioſa, ſumptus facile tolerare poteſt, quod in Italia fieri neceſſe eſt. Sic enim ferunt Italorum rationes, ut qui ipſorum opera velit uti, hunc oporteat largitionibus aditum ſibi facere, & liberaliter dependere militum præfectis atque ducibus, quorum authoritas & gratia ſtatim minuitur, ſi nihil habeant quod in alios diſtribuant. Biennio poſt, quam rex domum rediit, cum noſtra eſſet adhuc Cajeta, & Mediolani Dux, eorum, quæ pactus erat, nihil ſervaret: quod non tam fraude atque malitia, quam timore faciebat, veritus ne rebus per Italiam ſecundis, profligaretur a rege, quem ſibi minime fidelem fore putabat: conſtitutum fuit ut Dux Aureliorum magnis cum copiis Aſtam proficiſceretur. De Ferrariæ Ducis amicitia certo nobis conſtabat, qui tametſi Mediolani Ducis erat ſocer, tamen ut ſuis fortunis conſuleret, paratus erat ſubminiſtrare nobis equites quingentos, & duo millia peditum. Venetos enim habebat graves adverſarios, ab iiſque ſpoliatus erat quadam agri ſui parte: & quanquam ſui generi Mediolani Ducis amicitiam, ſibi ſuiſque liberis atque populo judicabat eſſe magis opportunam: tamen verebatur etiam, ut exiſtimo, ne ille temporum ac for-

fortunæ iniquitate coactus, cum rege paciſceretur. Marchio Mantuæ, qui alteram Ferrariæ Ducis filiam in matrimonio habebat, cum & de ipſo Veneti neſcio quid ſuſpicarentur, & ipſe de illis invicem quereretur, erat tunc temporis cum ſuo ſocero, comitatus trecentis equitibus cataphractis, atque is facile ei perſuaſiſſet, & ad noſtras traduxiſſet partes. Joannes Bentivola, qui Bononiæ rerum ſummam adminiſtrabat, auxilio nobis erat miſſurus ad centum & quinquaginta equites, ac duo illius filii tum equitum tum peditum aliquot cohortes adduxiſſent, & fuiſſet ager ille omnis valde opportunus ad perturbandam Inſubriam. Florentini, ne Piſas & alia quædam oppida, de quibus dictum eſt, prorſus amitterent, parati erant ſuo ſumptu nobis alere equites circiter octingentos & peditum millia quinque, deque re pecuniaria providerant in ſextum uſque menſem. Urſini & Romæ præfectus, fratrer Cardinalis Oſtienſis, quoniam a rege ſtipendium habebant annuum, conduxiſſent ad mille equites cataphractos. Quorum non eſt eadem apud illos ratio, quæ in Galliis. Nam ibi, ſingulis in annuum datur ſtipendium aureorum centum: apud nos autem ea ſumma duplicatur, propter equites ſagittarios, qui ſingulis cataphractis attribuuntur. Iis, quos jam diximus, dependenda fuiſſent ſtipendia, Florentinis autem minime. Ferrarienſis & Mantuanus & Bentivola, nihil magnopere a nobis exigebant, propterea quod per Inſubriam magna ſibi pollicebant emolumenta. His viribus impetu in illum facto, credibile eſt, fœliciter rem adminiſtrari potuiſſe, eoque confecto bello, Neapolitanum regnum facili momento in noſtram fuiſſet redactum poteſtatem. Erant jam Aſtæ miſſi a rege circiter octingenti equites cataphracti noſtrates, & peditum ad ſex millia, atque in his Helvetii quadringenti. Sed Dux Aureliorum, quem toti bello imperioque rex præfecerat, quique impedimenta ſua omnemque familiam & comitatum præmiſerat, mutata voluntate, regem orabat, ut ad concilium denuo referret, an eam profectionem ſibi

Digitized by Google

ſibi ſuſcipiendam eſſe putarent. Re ſemel atque iterum deliberata, cui concilio & ipſe intereram, omnium fuit ea ſententia, ut dicerent, omnino ei proficiſcendum eſſe, propterea, quod multi per Italiam principes ac amici noſtri; quibus jam eſſet perſuaſum, magnos in ejus belli apparatum, ſumptus feciſſent, & omnibus rebus eſſent inſtructi, ac ipſius modo adventum expectarent. Ille vero, quod regem tenuiori valetudine videret, cui ſi quid accideret humani, ipſe eſſet futurus ſucceſſor: tum ſua ſponte, tum admonitus & impulſus a quibusdam, reſpondit, non ſe profecturum eo, ſui privati doloris ulciſcendi aut juris repetendi cauſa, verum ut pro legato regis eo contendat, non recuſare. Poſtridie ejus diei, cum hæc eſſent acta, Florentini & alii quidam legati valde regem ſollicitabant, ut illum dimitteret. Rex ad ea reſpondit, nolle ſe invitum ad gerendum bellum extrudere. Ad hunc modum intermiſſa fuit ea expeditio, quod ipſum rex valde graviter tulit, qui & ſumptus maximos in eam rem fecerat, & in ſummam ſpem venerat ulciſcendi injuriam a Mediolani Duce acceptam. Nam & Jacobus Trivultius, & Aureliorum Dux, procreatus e familia Mediolanenſi, favore atque gratia plurimum iis locis perfeciſſent. In hoc etiam tempore alia res nova fuit oblata. Genuenſes mobilitate quadam animi fere ſtudent rebus novis. In ea Republica ſunt aliquot familiæ præſtantes. Ex iis Aurii & Spinulæ ſunt genere nobiles, Campofulgoſi vero & Adurni, plebei. Solet autem ea civitas adminiſtrari a Duce, quem ſibi deligit & conſtituit ipſa. Is eſt magiſtratus plebejus, neque nobilibus communicatur, etſi creandi ducis poteſtatem iſti habent. Eum magiſtratum geſſerat ſuperioribus aliquot annis, Baptiſta Campofulgoſus, in iiſque factionibus multum poterat, & magnas habebat clientelas, verum deceptus a ſuo patruo Cardinale Genuenſi, qui Rempub. prodidit Mediolani Duci, proſcriptus fuit. Is igitur in ſpem venerat, perſuadendi

Digitized by Google

ſuis, ut arma caperent. Quod ſi fieret, non dubitabat, quin inimicis exturbatis, rerum ſumma deferretur ad regem cujus ipſe eſſet ibi futurus legatus. Eſt etiam iis locis oppidum & portus valde opportunus, Savona. Hi cum eſſent in poteſtate Genuenſium, & ſervitutis conditionem odiſſent, ac libertatem recuperare ſe poſſe ſperarent, nunciabant Cardinali Oſtienſi, qui noſtrarum erat partium, tenere ſe firmam ac certam rationem, ut oppido ipſum recipiant: quod ſi accidiſſet, Genuenſes in magnis erant futuri anguſtiis, ob provinciæ noſtræ vicinitatem. His de rebus ubi rex cognovit, nunciabat Jacobo Trivultio; quem cum ſuis copiis Aſtam præmiſerat, ut Baptiſtæ Campofulcoſo ſubminiſtraret aliquot militum cohortes; qui ipſum Genuam uſque comitarentur, excitandi cauſa clientes illius atque familiares; item, ut ei, quem diximus, Cardinali præberet quoque militem, qui Savonam uſque deducerent, ac ſimul mandabat, ne quid contra Mediolani Ducem experiretur, neque pacem cum eo factam violaret, quod a ſuprioribus illis mandatis plane erat diverſum, ſed ita ſolent res adminiſtrari: cum principes nullam ipſi curam ſuſcipiunt, & inconſiderate literas conſcribi jubent, & legationes decernunt prius, quam de cauſa plene cognoverint. Quod Campofulgoſus & Cardinalis Oſtienſis moliebantur, fruſtra fuit. Nam ut proprius ad Genuam accederetur, opus erat maximis copiis, propter ejus urbis magnitudinem atque frequentiam. Nam & Mediolani Dux, & Veneti, quum defectionem valde metuerent, auxilia illis ſummiſerant. Eadem erat conditio Savonæ, nam & ibi milites præſidio ille collocaverat. Trivultius autem maluiſſet his rebus omiſſis, bellum inferri Mediolani Duci, neque dubito, ſi conceſſum ei fuiſſet a rege, quin magni aliquid perfeciſſet: & jam aliquod ejus rei fecerat initium. Nam ingreſſus iter cum ſuis copiis, eam viam, qua ab Alexandria Genuam venitur, inſedit, ut Mediolani Ducem, ſi forte noſtris Genuam proficiſcentibus vim facere vellet, cohiberet, oppidula

la

Digitized by Google

la etiam quædam ejus agri cepit. Nam etſi Genuam atque Savonam rex tentabat, tamen idcirco nolebat videri bellum facere Mediolani Duci, & utrumque populum ſuæ ditionis eſſe dicebat. Cardinalis, ubi Savonam venit, re deſperata propter impoſitum præſidium, diſceſſit. Eadem erat fortuna Campoſulgoſi, atque is quidem in magno futurus erat periculo, ſi proprius Genuam veniſſet. His igitur de cauſis conſiſtebat omnis belli adminiſtratio, & dimiſſus fuit peditatus, & relicta, quæ Trivultius occupaverat, oppidula, non abſque diſpendio regis, qui magnam pecuniæ vim in eam rem profuderat. Atque hæc fere gerebantur biennio poſt, quam domum ille revertiſſet, quo toto tempore cum ipſo fui, & partem aliquam negociorum procurabam. Lugduno profectus Molinum Borboniæ oppidum, in Turones inde contendit, ludis & delitiis atque ſpectaculis intentus, pro ſua conſuetudine, neque de re ulla gravi ſollicitus. Inter ejus autem familiares maximæ erant ſimultates, Maclodienſis enim & Stephanus Verius, ut authoritatem retinerent, bellum Italicum ſuadebant. Ammiralius autem, qui ſummo loco fuerat apud regem, ante ejus profectionem in Italiam, magna contentione reſiſtebat eorum conſiliis, recuperandæ cauſa dignitatis. Atque is fuit rerum ſtatus per ſeſquianum fere. Interim ex crebro mittebat legatos ad Hiſpaniarum regem, qui nos oppugnabat, mari præſertim, & magna ſummiſerat auxilia Neapolitanis regibus, e Sicilia, quæ minimo intervallo & arctiſſimo freto dividitur a Calabria, cujus ad exitum eſt Rhegium oppidum, & ſunt qui putent olim fuiſſe continentem. Et quoniam mari plurimum ille poterat, miſſi ad oram Neapolitanam navibus, tam ex Hiſpaniis, quam e Sicilia: fiebat, ut rex ipſorum claſſi minime poſſet reſiſtere: quo magis cupiebat illo uti peccato. Terra non admodum nobis incommodabant, niſi quod equites, magno numero, paucorum dierum excurſiones fecerunt in proximos fines Galliæ Narbonenſis, cui finitimus eſt ager Ruſcinonenſis, in

quo civitas eſt primi nominis Parpignanum, & oppidulum quoddam, Salſum vocant. Ex eo impetum illi in nos faciebant, eoque ſeſe, cum a noſtris premerentur, recipiebant. Erat autem Narbonenſis Galliæ præfectus, Borboniæ Dux: ejus legatus, nobilis quidam Andræanus, cœpit rationem inire capiendi ejus oppiduli, & cum fortuna conſilium hominis probaret, vi expugnavit, interfectis circiter quadringentis militibus, & ex nobilitate, magni nominis ad quadraginta, & filio Archiepiſcopi Compoſtellæ. Præter expectationem enim hoc illis accidit, & quantos facerent impetus noſtra tormenta, nondum perſpexerant. Hæc fuit belli ſumma, quod cum ipſis geſſimus. Qua in re tanto plus erat dedecoris, quod illi, poſitis caſtris ad milliare unum ab oppido conſederant, & noſtros multitudine longe ſuperabant. Non erat certe nulla, quam nobis fecerant, injuria, & quum Ludovico undecimo Ruſcinonenſem agrum oppignoraſſent pro trecentis aureorum millibus: rex, qui patri ſucceſſit, & eam pecuniæ ſummam eis donavit, & regionem illam omnem reſtituit, & antiquas confœderationes Galliæ Hiſpaniæque regum, quæ ſunt arctiſſimæ & plenæ officii, cum ipſis renovavit, ac tum illi tanto affecti beneficio promittebant, nec impedimentum ullum ſe illaturos ei bello, quod rex conſtituiſſet, neque filias ſuas in Neapolim, aut Angliam aut Flandriam nuptum collocaturos. Et hoc quidem poſtremum ultro deferebant non ſollicitati a nobis, uſi in his rebus opera cujuſdam monachi Franciſcani. Sed ſimulatque bellum rex in Italia movere cœpit, nuncios & literas in omnes partes dimittebant, imprimis autem Venetias, fœderis contra regem faciendi cauſa, de quo multam mentionem fecimus, eoque decreto fœdere, confeſtim nobis bellum fecerunt, illata cauſa, quod de ſuis liberis collocandis pacti fuiſſent, id nulla ratione aut æquitate ſubſiſtere. Sed ut ad propoſitum revertar, cum per Italiam nihil jam ageretur amplius, & Rex præter Cajetam nihil in regno Neapolitano teneret, atque etiam in ora illa

illa Ruſcinonenſi nullus eſſet motus : illi quendam genere nobilem, & cum eo Monachos aliquot miſerunt legatos ad regem. Nam id genus hominibus uti conſueverunt in ejuſmodi rebus : quod facere ipſos opinor & calliditate quadam, & parſimoniæ cauſa. Nam & Franciſcanus ille regi author fuerat, ut eum quem diximus agrum, ipſis liberaliſſime redderet : Hi de quibus, diximus legati, primum excuſabant ſe de ſuperioris temporis conſilio; ac regem orabant ut ejus, quam accepiſſet injuriæ memoriam deponeret. Ad hunc modum deprecati, cœperunt agere de induciis, in iiſque ſocios omnes ac confœderatos comprehendebant, & regi Cajetam, ac quicquid reliquum erat iis locis, & ut per inducias commeatum inferret, permittebant. Hoc etiam petebant, ut indiceretur dies, quem ad diem ſocii fœderis mitterent legatos, conſtituendæ pacis cauſa, qua impetrata, velle ipſos intermiſſum bellum perſequi, & trajecto mari, quod Hiſpanias ab Africa dividit, in Mauritaniam proficiſci dicebant. Superioribus enim annis expugnaverant Granatam, ejuſque regni ſummam occupaverant; qua certe victoria, non fuit ulla noſtris temporibus illuſtrior, ac ipſorum majores fruſtra ſæpe illam deſiderarunt. Quo magis vellem, ipſorum quidem cauſa, ut ejuſmodi tantum bellis occupati, firmam pacem nobiſcum coluiſſent. Rex iis auditis poſtulatis, remiſit cum legatis in Hiſpanias Clerium Delphinatem, nobili genere natum, & pacem cum illis facere cupiebat aut inducias, non comprehenſis eorum ſociis. Quod ſi conditiones ab eis propoſitas tunc accepiſſet, Cajetam ſervaſſet, qua ſola defenſa, potuiſſet totum deinde regnum, ope amicorum, quos iis locis habebat, recuperare. Sed antequam in Hiſpaniam ille venit, amiſſa fuit Cajeta, & reverſus illinc novas rationes atque mandata ſecum attulit. Petebat Hiſpaniæ rex, ut vetus amicitia atque fœdus inter nos redintegraretur, ut conjunctis deinde viribus, Italia ſubigeretur, & ut ei bello uterque intereſſet. Sed inducias primum

mum fieri volebat, quæ ſuis confœderatis eſſent communes, & in Taurinis diem conſtitui, quo ſociorum omnium legati venirent. Cogitabat enim ab eo fœdere honeſta aliqua ratione diſcedere, ut ipſe quidem præ ſe ferebat: ſed mea fert opinio, nec nihil poſtea de eo cognovi, ipſius fuiſſe conſilii, ut tempus extraheret, ac Friderico regi Neapolitano ſpacium daret recipiendi ſe & colligendi e ſuperioribus bellis: tametſi rerum ſummam & ejus regni imperium ad ſe transferre maluiſſet, in quo plus haberet juris, quam poſſeſſores ipſi. Andegavenſium quidem familia ſuum jus omnium potiſſimum eſſe contendit: edis eſt illius regni ſitus, & eorum qui incolunt, ea natura, ut mihi videatur ejus eſſe, qui occupare illud atque tueri poſſit. Novis enim imperiis valde ſtudent. Is quem dixi, Clerius, in Hiſpaniam fuit remiſſus a rege, & familiæ Arragonicæ nonnihil favebat, inque ſpem venerat conſequendi agrum Crotonienſem, quem Hiſpaniæ rex bello nuper in Calabria acquiſierat. Reverſus ab ea legatione, quendam Hiſpaniæ regis legatum adduxit, & in concilio, quid actum eſſet, & quid impetraſſet, expoſuit. Hiſpaniæ regem, qui jus & actionem habere ſe dicat in regno Neapolitano, fore contentum Calabria, quæ Siciliæ ſit finitima: reliquam vero ejus regni partem regi concedere, ipſumque velle intereſſe ei bello, & ſumptus in ea re facturum, quantos rex faceret. Aderam cum iſta referret, ac complures dolum ſubeſſe judicabant, ideoque placuit, ut aliquis majori præditus ingenio ac rerum uſu, mitteretur. Is fuit Bocagius, vir magni conſilii, quo multum fuerat uſus Ludovicus undecimus. Qui cum Clerio venerat ex Hiſpaniis legatus, non confirmabat quod ille dixerat, ſed urbane excuſans, exiſtimare ſe dicebat, illum, niſi in mandatis haberet, non eſſe dicturum. Quo quidem ſermone magis augebat omnibus ſuſpicionem. Nulli enim perſuaderi potuit, Hiſpaniæ regem, aut ipſum velle intereſſe ei bello, aut pares cum rege ſumptus facturum eſſe. Jam enim quinque

Digitized by Google

que circiter oppida Calabriæ tenebat, & in his Crotonem, primi nominis. Ubi Bocagius & Clerius in Hiſpaniam venerunt, tributum fuit eis hoſpitium, in loco, ubi nemo haberet ad ipſos aditum, & ne quis cum eis colloqueretur, obſervatum fuit. Rex autem atque regina ter cum illis in collocutionem venerunt, & cum Bocagius recitaret, quid ille, nuper ab ipſis in Galliam reverſus, commemoraſſet: reſpondebant, non quod ita conſtituiſſent, ſed quod aliquid ejus generis fieri poſſit, locutos eſſe cum eo familiarius: hoc etiam addidiſſe, non ſe recuſare moleſtiam atque laborem componendi belli, quod nobis cum Neapolitanis intercedat, & ſperare, pacem ſe poſſe facere, cum utilem regi tum honeſtam. Reſponſum hoc Clerius graviter tulit, & contendebat illos, ad eum modum, ut ipſe in Galliis recitaſſet, dixiſſe. Bocagii tandem opera & diligentia, factæ fuerunt in menſes duos induciæ, in quibus ipſorum, non quidem ſocii fœderis, ſed generi & generorum parentes comprehendebantur. Hi erant Maximilianus Cæſar, & Henricus Septimus, Angliæ rex. Ubi domum reverſus Bocagius, de ſua legatione retuliſſet ad concilium, ſenſit rex, prudenter a ſe miſſum fuiſſe illum, dubitatione jam omni ſublata. Bocagius & illud addebat, præter inducias nihil ſe potuiſſe impetrare, & in regis arbitrio eſſe, vel admittere illas vel repudiare. Ad concilium re introducta, rex confirmavit pactum, ac prudenter quidem. Cum enim ſæpe fruſtra tantaſſet confœderationem illam diſſolvere, jam illud his induciis conſequebatur. Venturos quoque poſt ſe legatos ex Hiſpaniis dicebat, & diſcedenti ſibi, regem confirmaſſe, poteſtatem illos eſſe habituros, omnino paciſcendi. Cum etiam diſcederet, Hiſpaniæ regis filium unicum graviter ægrotaſſe. Duodecimo fere die poſt, allatæ ſunt literæ ad Bocagium, ejus caduceatoris, quem in Hiſpaniis reliquerat, deducendi cauſa legatos, qui illinc in Galliam venturi erant, ut antea diximus. Iis literis nunciabatur, quod legati, de quibus conſtitutum ſit, diutius morentur,

factum

Digitized by Google

factum eſſe morte Caſtiliæ principis, filii regis, quem caſum adeo graviter ac immoderate ferant ejus parentes, ut metuendum ſit, ne regina dolore expugnata, vitam finiat. Fuit certe longe vehementiſſima omnium ejus regni triſtitia. Nam ut a legatis poſtea cognovi, ceſſatum fuit publice & privatim ab omni labore, totos quadraginta dies, & lugubrem veſtem ferebant omnis generis homines, nec id modo, verum etiam nobiles & qui erant re lauta, mulas, quibus veherentur, atris veſtibus integebant, & omnium urbium ac oppidorum portis fuerunt ſuper impoſita nigri coloris vexilla. Margarita, Maximiliani Cæſaris filia, in ſextum jam menſem gravida, poſtquam de marito cognovit, incredibili afflicta mœrore, peperit ante diem, & infantem edidit mortuum. Quam erant hæc acerba huic familiæ, tam celebri, tam honoratæ, tamque potenti, quæ multitudine provinciarum & ampliſſimis finibus longe ſuperabat alios, quæ Granatam & agrum illum omnem ſuæ nuper ditioni conjunxerat, quæ regem, ut ab Italia cum exercitu diſcederet, coegit, & ipſius evertit inſtitutum? Decreverat Pontifex Romanus attribuere illis nomen, ut Chriſtianiſsimi dicerentur, & in ſuis ipſe literis atque ſermone ſic eos vocabat: ſed cum ex Cardinalibus quidam reſiſterent, neque Galliam vellent appellatione illa privari, Catholicos nominari juſſit. Breviter, videbantur eſſe omnium regum beatiſſimi: ſed præter eam acerbitatem aliud etiam accidit ejusdem fere generis. Ipſorum filia natu maxima, habebat, in matrimonio Luſitaniæ regis filium. Is tertio menſe poſt nuptias collapſus cum equo, in aſpectu uxoris, cervicem ſibi perfregit, eoque caſu fuit exanimatus. Non multo poſt, parentes, ne quem omnino per Luſitaniam haberent inimicum, ei qui nunc rerum potitur, Emanueli, eandem filiam nuptum collocabant. Hiſpani autem omnes natura valde oderunt Luſitanos & contemnunt etiam. Itaque, quod illi, qui non eſſet futurus acceptus multitudini, ſuam filiam in matrimonium dediſſent, vehemen-

hemen-

hementer ipſos pœnituit. Et quanquam eo dolore valde afficiebantur: tamen per primas regni civitates circumduxerunt ambos, & fidem ac jusjurandum eis præſtari ab omnibus jubebant, & ut ad ipſos ordine ac ſucceſſione deferretur ſumma imperii, cavebant. Filia paulo poſt cœpit geſtare uterum, eoque nuncio fuerunt nonnihil recreati parentes, ſed ne tantulum quidem gaudium fuit eis diuturnum. Nam puerum quidem edidit ejusdem cum patre nominis, verum ipſa dolore partus extincta periit. Sed nunc ad noſtra revertor. Amboſæ rex erat, quod eſt ad Ligerim flumen, eratque ejus propoſiti, oppidum & arcem pulcherrimis ædificiis ornare, & Neapoli ſecum adduxerat Pictores, ſculptores & id genus alios artifices valde præſtantes, & quicquid uſpiam erat elegans atque venuſtum, id omne magno ſtudio comparabat. Nam quod adoleſcens erat, longam ætatem ſibi pollicebatur, & de reditu in Italiam cogitabat, & erratum a ſe bello ſuperiori fatebatur ipſe, & quid peccaſſet, familiariter commemorabat, & ſi quando amiſſum regnum recuperaret, multo ſe prudentius adminiſtraturum omnia dicebat, & equites cataphractos, ad mille & quingentos, per Italiam deligere, eiſque præficere Marchionem Mantuæ, es Urſinos, & Vitellios, & Romæ præfectum conſtituerat. Ejus ſumptus dimidiam partem erant depenſuri Florentini, in ſex menſes, atque his copiis decrevit invadere Neapolim. Alexander Pontifex iratus Venetis, pacem & amicitiam ejus valde ſollicitabat, & occulte quendam miſit, qui regem per me adibat. Sed & Veneti non detrectabant conjurare nobiſcum adverſus Mediolani Ducem. De Hiſpaniis ſupra dictum eſt. Maximilianus quoque Cæſar magnopere cupiebat eſſe illi quam amiciſſimus, & conjunctis viribus optabat nobiſcum Italiæ bellum facere, odio Venetorum, qui & Auſtriacæ familiæ & imperii quoque Romani poſſeſſiones nonnullas occupaverant. Habebat in animo rex emendare juriſdictionem, & ordinem Eccleſiaſticum, & remittere plurimum de tributis,

neque amplius quam proceres regni decreviſſent, extra ordinem imperare, cujus pecuniæ ſumma erant circiter ſexcenta aureorum millia quotannis, eamque pecuniam deſtinaverat commodis ac neceſſitatibus Reipublicæ. Ipſe autem conſueto Franciæ regum patrimonio, quod eſt ad aureorum millia quingenta, futurus erat contentus. Qua ſane re populum valde recreaſſet, qui nunc admodum gravatur, & ſupra duo decies centena aureorum millia dependit. Monachorum etiam ordines aliquot ad ſeveriorem diſciplinam adducere cogitabat, & ex ipſis, qui vitæ ſanctimonia præſtare videbantur, ſibi habebat familiares. De Epiſcopis ita ſentiebat, oportere ipſos uno eſſe contentos ſacerdotio, & ſuis præeſſe Eccleſiis: Cardinalibus autem putabat aliquanto plus indulgeri poſſe. Præclara quidem voluntas illius atque ſtudium: ſed perficiendi ſumma erat futura difficultas. In homines egenos valde erat munificus & liberalis, & certis diebus cognoſcebat de querimoniis atque cauſis omnium, qui quaque de re aliquid ad ipſum deferrent. Quod pauperum & miſerorum hominum cauſa inprimis faciebat. Et licet non multa conficeret, tamen eo pertinebat inſtitutum hoc, ut præfecti in officio atque metu continerentur. Sed ecce, cum eſſet Amboſæ, & eos, qui pila exercebantur in arce, ſpectaret una cum uxore, variis de rebus ſermonem inſtituit, ac inter alia dicebat, ſperare, nihil ſe facturum eſſe deinceps, quo Deum offendat. Iis pronunciatis verbis, e veſtigio concidit, amiſſa loquendi facultate, & quo in loco fuit collapſus, permanſit, donec e vita migraſſet. Recollegit ſe bis terve, & ſuſpirans implorabat auxilium divinum, & Virginis Mariæ & divi Claudii atque Blaſii, cumque ad eum modum decubuiſſet per horas novem, deceſſit. Quicquid eſt ejus rei, commemoravit mihi Andegavorum Epiſcopus, quo ille utebatur ſacrifico. Paucis enim ante diebus domum profectus eram. Atque hic quidem eſt exitus potentiſſimi regis, qui cum tam multa tamque ſplendida haberet ædificia, mortuus eſt in lo-

in loco totius arcis viliſſimo. Nam urinæ faciendæ cauſa omnes eo confluebant. Quo magis videre licet miſeriam noſtræ vitæ, quam tantis defatigati laboribus & ærumnis cogimur deponere, quocunque temporis puncto Deus præceperit. Supra dixi de Hieronymo, qui Florentinis inter alia multa prænunciaverat etiam de regis adventu, quem excitatum eſſe dicebat a Deo, ut per vim & arma ſtatum Eccleſiæ emendaret, ac ſimul Italiæ tyrannos mulctaret, & quoniam divinitus ea ſibi demonſtrata eſſe dicebat, in plurimorum incurrit reprehenſionem. Pontifex etiam Romanus & Florentiæ complures, cœperunt eum graviter odiſſe. Moribus erat inculpatis, quantum quidem perſpici poterat, & docendo multos ad ſanitatem vitæque emendationem perduxit. Fore etiam dixerat, ut Rex in Italiam reverteretur & negocium ſibi commiſſum a Deo, perficeret: niſi faciat, impendere illi graviſſimas pœnas. Hæ illius conciones typis excuſæ proſtant, & regem etiam ſcriptis literis de eo commonuit. Sed quo tempore e vita rex deceſſit, Florentini graviter inter ſe diſſidebant. Regem alii expectabant, permoti concionibus illius, & ingentes idcirco faciebant ſumptus, in que ſpem venerant recuperandi Piſas & reliqua omnia, quæ noſtræ fidei permiſerant: alii vero magna contentione reſiſtebant, & in fœdus reliquorum accedendum eſſe ſuadebant: fruſtra enim regis adventum expectari & ſubeſſe dolum, & Hieronymum, qui ſit hæreticus & homo ſceleratus, in flumen eſſe præcipitandum. Hæc quidem illi tumultuoſe, verum tanta erat ipſius ad vulgus authoritas, ut nemo quicquam adverſus eum moliretur. Pontifex autem Romanus & Mediolani Dux, crebris literis inſtabant & hortabantur Florentinos, ut a regis amicitia diſcederent, & de Hieronymo ſupplicium ſumerent. Si facerent, pollicebantur curaturos, ut quæ in aliena eſſent poteſtate, ipſorum, oppida, redderentur. Et ad iſtud fere tempus creabatur Florentiæ novus magiſtratus, quod bimeſtri tempore fieri ſolet. In iis multi oderant

rant Hieronymum, & ſubmiſſus fuit ut multi dicebant, monachus Franciſcanus, qui cum illo cœpit rixari, & facto convicio, hæreticum vocabat ac impoſtorem, qui cum Deo fingeret ſibi eſſe colloquium. Ea contentio ſic exarſit, ut diceret, velle ſe demonſtrare, eſſe hominem nefarium & hæreticum: niſi faciat non recuſare flammas & capitis pœnam, atque hæc omnia coram magiſtratu dicebantur. Cum autem Hieronymus flammam atque ſupplicium refugeret, quidam ejus familiaris paratum ſe eſſe dicebat, ipſius cauſa periculum ſubire, & ex Franciſcanis inventus eſt, qui idem profiteretur. Ad conſtitutum diem cum ambo veniſſent, comitati ſui ordinis monachis, Dominicanus præferebat manibus azymum panem conſecratum, quod Corpus Domini vocant. Franciſcani autem & magiſtratus urgebant, ut a ſe deponeret: quod cum ille pertinaciter recuſaret, domum utrique reverterunt. Ibi vero populus incitatus ab adverſariis, facto concurſo, & connivente novo magiſtratu, Hieronymum, & cum eo duos præterea comprehendunt, graviſſimiſque ſubjiciunt tormentis, & ipſius præcipuum amicum magnæ virtutis virum, Franciſcum Valorum interficiunt. Quod ubi Pontifex reſcivit, miſſo legato, permiſit illis, ut de cauſa cognoſcerent. Eo facto, crematus tandem fuit cum ſociis. Supplicii cauſa erat, quod motum & diſſenſiones in Repub. excitaſſe, & quicquid de rebus futuris prænunciaſſet, a ſenatoribus, ſuis amicis, cognoviſſe dicebatur. Non mihi ſumo partes illum aut accuſandi aut purgandi, neque judicare poſſum, recte an perperam ſit damnatus, hoc unum tamen affirmare poſſum, multa illum vere prædixiſſe, de quibus nemo mortalium potuiſſet eum admonere. Nam & regi prædixit, fore, ut extincto filio, ipſe quoque non diu ſupereſſet, atque has illius ad regem literas, ipſe legi. Periit autem rex apoplexia, & confeſtim ab ejus morte, omnes Aureliæ Ducem petebant, ad quem, propter generis propinquitatem, regni ſumma deferebatur. Sumptus funeris æſtimatus fuit ad vigintiduo aureo-

reorum millia. Mortuus eſt maximo ſane cum dolore ſuorum familiarium. Erat enim omnium hominum longe benigniſſimus, neque ſermone ullum unquam offendit, ut mea fert opinio. In me quidem fuit præ cæteris aliquanto durior, ſed tribuebam hoc & illius ætati, & aliorum calumniis. Commoratus per aliquot dies Amboſæ, quem ad locum biduo proxime ab ejus morte veneram, contuli me ſtatim ad novum regem, Ludovicum, ejus nominis duodecimum, cui nemo fuerat antea me familiarior. Nam ipſius cauſa & maximos ſuſcepi labores, & fortunarum quoque periculum ſubivi. Sed tunc cum eſſet ad ipſum delata imperii ſumma, parum fuit memor officiorum, quæ ei præſtiteram. Ex Galliæ regibus hic eſt quartus, ad quem ex obliquo & collaterali gradu regni ſucceſſio pervenit, ſupputationis initio ſumpto, non a Faremundo, ſed a Meroveo rege.

JOANNES SLEIDANUS

LECTORI S. D.

QUæ ſunt in his commentariis obſcuriora, paucis explicabimus, & primo quidem de Vicecomitum & Sfortiarum familijs, quæ Ducatum Mediolanenſem poſſederunt. Ante annos circiter mille, hi qui dicuntur Longobardi, mutatis ſedibus ex Pannonia tranſierunt in eam Italiæ partem, quæ nunc eſt Inſubria, & ab ipſis, qui occuparunt, vulgo nomen habet. Hi, ducentis fere poſt annis, quam eo venerat, devicti a Carolo Magno, facultates omnes atque regnum amiſerunt, & in imperii Romani poteſtatem redacta provincia, conſtitutus ibi fuit præfectus, qui vulgo dicebatur Vicecomes, ad eumque modum adminiſtrata fuit, donec Ducatus nomen atque dignitatem obtinuit. Quod fuit Wenceſlao, Cæſare. Is enim Joannem Galeacium, Vicecomitem, hominem crudelem, accepta pecunia, Mediolani Du-

Digitized by Google

Ducem inſtituit, ſic tamen ut eſſet in imperii Romani fide ac clientela. Huic duo erant filii, Joannes & Philippus, cognomento Mariæ. Joannes, quum ſuis moribus atque nequitia voluntates hominum alienaſſet, interfectus fuit a ſuis familiaribus. Et quod nullos habebat liberos, imperii ſumma pervenit ad Philippum. Is in matrimonium duxit Joannis Galliæ regis filiam, Bonam, & abſque liberis deceſſit. Ejus vero ſororem, Valentinam, in matrimonio habuit Ludovicus Aureliorum Dux, Caroli Quinti Galliæ regis, filius, quem Joannes Burgundiæ Dux, Luteciæ, per inſidias, noctu, ſummiſſis percuſſoribus, interfecit. Ludovicus treis reliquit filios, Carolum, Philippum, Joannem. Carolo filius fuit Ludovicus Aureliorum dux, de quo plurima fit in his libris mentio, poſtea factus Galliæ rex, ejus nominis duodecimus. Philippus Virtutenſium Comes, abſque liberis e vita deceſſit. Joannes Engoliſmorum Comes filium habuit Carolum, Franciſci primi, Galliæ regis, nuper mortui, parentem. Ab illa igitur, quam diximus, Valentina, Ludovicus duodecimus, & poſt eum, Galliæ reges, Inſubriam ad ſe pertinere contendunt. Nunc de Sfortiis dicendum eſt. Is quem diximus, Philippus Maria, tertius Mediolani Dux, nullam quidem legitimam ſobolem, ſed filiam habuit notham, eamque duxit in matrimonium Franciſcus Sfortia, quem hi commentarii celebrant. Qui cum eſſet ſummæ virtutis, & bello multa feciſſet præclare: mortuo ſocero Mediolani principatum arripuit, quo tempore bellis ardebat tota Gallia, quam hinc Burgundiones, illinc Angli confœderati divexabant. Sfortiæ quinque erant filii, Galeacius, Joannes, Philippus, Aſcanius, Ludovicus, de quo perpetuam hoc libro mentionem author facit, & quemadmodum ad principatum pervenerit, dilucide commemorat. Huic deinde bellum fecit Ludovicus duodecimus, Galliæ rex, & occupata Inſubria, captivum in Galliam deduxit. Erant ei duo filii, Maximilianus & Franciſcus. Maximilianum, qui, bellis contra Galliam

liam excitatis a Pontifice Julio, Mediolanum recuperaverat, totis viribus oppugnavi ſucceſſor Ludovici regis, Franciſcus primus, & cæſis ad Marignanum Helvetiis, exercituque omni profligato, cepit, captumque in Galliam miſit, ubi & vitam ille finiit, uti paer. Franciſcus autem, ex fratribus alter, variis agitatus procellis, beneficio & opera Caroli Quinti, Cæſaris, poſt diuturnum bellum profligatis Gallis, tandem recuperavit agrum paternum, & fuit ejus nominis ſecundus Mediolani Dux, ac in matrimonio habuit Cæſaris e ſorore Iſabela neptem. Eo demum mortuo ſine liberis, Cæſar Inſubriam omnem in ſuam poteſtatem redegit, & ſupra duodecim nunc annos eam poſſidet. Proximum eſt, ut de regno Neapolitano quædam dicamus. Inde a morte Friderici ſecundi, Cæſaris, perpetua fuerunt ſuper eo regno & graviſſima diſſidia, inter Arragonicam & Andegavenſem familiam. Et reinterato ſubinde bello, quum poſtremo Joanna Regina Neapolis, Alphonſo, Arragoniæ rege, quem prius adoptaverat, repudiato, Ludovicum Andegavenſem arrogaſſet, varia fuit ac incerta victoria: verum extiterunt ſuperiores tandem Arragonii, & Neapolim tenuerunt, quoad ejicerentur a Carolo rege, octavo, ſicut author commemorat: ſed recuperarunt tandem, ut in his commentariis videre licet, & ad hoc uſque tempus poſſident, ac Franciſcus Galliæ rex, bello captus ad Ticinum, inter alias pacis conditiones, liberam ejus regni poſſeſſionem Carolo Cæſari permiſit, & ab omni jure atque actione diſceſſit, ante annos viginti duos.

Guelphorum & Gibellinorum factiones, originem habuerunt Friderico ſecundo, Cæſare, primum in Hetruria, neque multo poſt, omnem Italiam pervaſerunt: Guelphi ſunt Pontificii, Gibellini autem Imperio Romano ſunt addicti. Turcarum Cæſar, de quo loquitur, fuit Bajazetes, hujus, qui nunc rerum potitur, Solymanni, avus. Erat ei frater, Zizimus, natu major, qui graviter ferens, ad illum eſſe delatam imperii ſummam (quod ope Janizarorum acciderat)

Digitized by Google

rat) ad Ægypti regem tranſiit, ab eoque impetratis auxiliis, cœpit movere bellum, ſed bis prælio victus, Rhodum profugit. Quod ubi Bajazethes reſcivit, miſſis legatis & ampliſſimis donis, Rhodiorum ordinis præfectum orabat, ut illum diligenti cuſtodiæ mandaret. Si faceret, annuam pecuniam, ad XL. aureorum millia, ſimul intermiſſionem belli adverſum Chriſtianos, pollicebant. Quo minus ergo dilaberetur ille, miſſus tandem fuit in Galliam, poſt dono fuit datus Innocentio octavo, pontifici, ac Romam deductus, cunque Neapolim Carolus rex iret, Alexander ſextus, pontifex Rom. eum ex pacto reddidit, ſed veneno prius infectum, ut plærique dicebant, & paucis poſt diebus, quam regi traditus fuit, e vita deceſſit. De Janizaris quia mentionem author facit, paucis rem exponemus. Turcarum Cæſaris hunc ferunt eſſe morem, ut quarto quoque anno, per Græciam & Aſiam minorem deligat Chriſtianæ profeſſionis hominum filios. E quibus qui præſtantiores videntur ac pulchriores, eos in palatium, quod habet Conſtantinopoli, transfert, reliquos vero diſtribuit per agros in interiori Aſia, ut quotidiano labore ſeſe durent, ac ſimul linguam addiſcant. Poſt, revocantur Conſtantinopolim, & traditi magiſtris, varia diſcunt artificia. Diſtributi deinde inter milites, quum iis aliquandiu ſunt famulati, aſcribuntur ipſorum ordini, & Janizari vocantur. Interim dum ruri educantur, victum eis communicant patresfamilias, qui eorum utuntur opera: in reliquos autem, qui ſunt Conſtantinopoli, Turcarum Cæſar ſumptum facit. Nam in eo, quod diximus, palatio ſemper alit, uti ferunt, circiter quingentos adoleſcentulos, ex omni multitudine delectos, ut paulo ſupra diximus, eoſque non minus in literis, quam in armis exerceri jubet, cunque per ætatem idonei ſunt, rebus gerendis admoventur, ac præfecturas obtinent. Hanc rationem primus omnium inſtituiſſe dicitur Amurathes, ejus, de quo diximus, Bajazethis, avus, qui Peloponneſum expugnavit. Meminit

author

Digitized by Google

author Conſtantini, hominis Græci, qui Monſerratenſem ditionem adminiſtravit. Id autem ſic accidit. Veneti Peloponneſum ademerant Turcis, & a Corinthiaco ſinu ad Megaricum, qui eſt aditus regionis atque ſpacium, ubi mare intermittit, murum perduxerant. Sed Mahometus, ejus nominis ſecundus, Ammurathis filius, is, qui Conſtantinopolim cepit, cum ad eum locum veniſſet, prælio cum illis dimicavit & vicit, ac non modo illam Græciæ partem, ſed & Eubo eam inſulam, & Lemnum, & Mitylenen, & Neritum, & Zacynthum, & Samum, & Crojam occupavit, & Comneno, patri hujus quem dicimus, Conſtantini, Scodram urbem ademit. Carolum octavum, regem, vocat conſobrinum Joannis Galeacii, Mediolani Ducis. Carolam enim, Sabaudiæ Ducis filiam, Ludovicus undecimus, alteram vero filiam, Bonam, Galeacius, Mediolani dux, ejus quem diximus, Joannis, pater, in matrimonio habuit. Renatus Siciliæ rex, Andegavorum Dux, provinciæque Comes, frater fuit Ludovici, quem Joanna Regina Neapolis adoptaverat, ut ſupra diximus. Is filium habuit unicum, Joannem, Calabriæ Ducem: huic ſupervixit ipſe, ideoque hæredem inſtituit Caroli fratris ſui filium, Carolum, qui ſine liberis decedens, Ludovicum undecimum teſtamento fecit hæredem. Idem Renatus filiam habuit, matrem Renati Lotharingiæ Ducis, de quo ſtatim initio libri mentionem author facit; ſed & ſororem habuit, quæ mater fuit Ludovici regis undecimi. Renatus Lotharingiæ Dux is eſt, qui Carolum Burgundiæ Ducem, ad Nancejum prælio ſuperavit, adjutus ab Helvetiis. Venetorum Dux, cujus virtutem prædicat, eſt Auguſtinus Barbaricus, inter ejus reip. Duces, ſeptuageſimus. Hunc inter & eum, qui nunc præeſt, Petrum Landum, tres fuerunt Duces, Leonardus Loredanus, Antonius Grimanus, Andreas Gritius. Marchio Mantuæ, tunc Venetorum exercitus Imperator, fuit Franciſcus Gonzaga. Ferrariæ vero Dux tum erat, Hercules Eſtenſis, cujus al-

Digitized by Google

teram filiam Elizabetham, is quem dixi, Marchio in matrimonio habuit, alteram vero Beatricem, Ludovicus Sfortia. Nam & author utrunque vocat ejus generum. Fuit autem ei filius, Alphonſus, & huic, Hercules, qui nunc rem adminiſtrat, Ludovici duodecimi, Galliæ Regis, gener. Hieronymus Dominicanus, fuit is qui cognomento dicitur, Sanonarola, Ferrarienſis, vir doctus, & cujus extant non paucæ lucubrationes. De cataphractis quod ſcribit, ſic accipiendum eſt, ut ſingulis quatuor attribuantur equi, pro conſuetudine Gallica. Cardinalis Oſtienſis, quem ſæpe nominat, factus eſt deinde pontifex Romanus, Julius ſecundus. Familiæ Medices, primam celebritatem dedit Coſmus, qui octogenarius e vita migravit, anno ſalutis noſtræ, ſupra mille & quadringentos, ſexageſimo quarto. Filios habuit Petrum & Joannem. Petro filii fuerunt Laurentius & Julianus. Laurentius, quem author tantopere prædicat, filios habuit, Petrum, Joannem, Julianum. Ex iis Joannes, fuit Cardinalis, & poſtea Pontifex Romanus, appellatus Leo decimus, Julii ſucceſſor. Virgilius Urſinus, poſt defectionem familiæ Columnenſis, fuit reconciliatus Carolo Regi, & cum aliquandiu fuiſſet captivus, tandem dimiſſus militavit ei. Quod addendum eſſe putavi, ne quis authorem parum ſibi conſtare putet. Reliquum eſt, ut de ipſo authore quædam etiam dicamus. Ortum habuit e Flandria, & genere atque neceſſitudine conjunctus erat ejus loci præcipuis viris, & amplas habebat facultates, non ibi tantum ſed & in Hannonia. Forma fuit eleganti, & ſtatura procera: Gallica lingua optime utebatur, Italica vero & Germanica & Hiſpanica, mediocriter. Hiſtorias omnis generis gallice conſcriptas, præcipue Romanorum, diligentiſſime legerat, & memoria prope tenebat. Multus erat ei uſus cum exteris hominibus: quod eo faciebat, ut ab iis aliquid, quod prius ignoraſſet, addiſceret. Temporis autem habebat accuratiſſimam rationem, nec unquam erat ocioſus. Memoria fuit inſigni, ac ſæpenumero quatuor ſcribis

eodem

Digitized by Google

eodem tempore dictabat res diverſas, ad rempub. pertinentes, tanta quidem facilitate ac promptitudine, ac ſi unum modo tractaſſet argumentum. Vehementer ei dolebat per omnem vitam, quod a teneris annis non fuiſſet inſtitutus in lingua latina, & hanc ſuam infœlicitatem non raro deplorabat. Ludovico Regi, undecimo ejus nominis, longe erat gratiſſimus, & quandiu ille viveret, ſummæ fuit per Galliam authoritatis; ac demum uxorem duxit Helenam, ex familia Monſorella, in finibus Andegavorum. Ludovico autem mortuo, valde fuit exagitatus. Et quoniam externus erat, augeſcente invidia res eo deducta fuit ab adverſariis, ut Loſcæ, quod eſt oppidum & arx Biturigum, in vincula conjiceretur: quod in iis fieri conſuevit, qui ſunt læſæ majeſtatis rei. Duriter admodum in eo carcere tractatus fuit, ut in ſuis ipſe commentariis recitat. Sed interim ejus uxor magna quadam ſollicitudine hoc effecit, ut Luteciam ad duceretur captivus. Quo cum veniſſet, aliquanto poſt accerſitur in ſenatum: Adverſarios autem habebat valde potentes, ac magnæ tunc authoritatis, & cum idcirco nullum poſſet invenire patronum, cauſam ipſe ſuam egit, & per horas duas locutus, magna cum attentione omnium, ita ſe defendit, ut a judicibus tandem abſolveretur. Inter alia commemorabat, quam varios & graves labores pro rege atque Repub. ſuſcepiſſet: quam propenſa fuiſſet Ludovici regis erga ſe voluntas & munificentia: nihil autem avare, nihil cupide, nihil intemperanter a ſe factum eſſe: quod ſi privatis tantum commodis & rei familiaris amplificationi ſtuduiſſet, ſuas facultates poſſe cum cujuſvis opibus conferri demonſtrabat. Captivus fuit per annos fere treis, & anno poſt, quam dimiſſus fuit, uxor ei filiam peperit, Joannam, quæ poſtea nupſit Renato, ex familia Britanniæ Ducum, Comiti Pantabriæ, eique filium edidit inter alios liberos, Joannem, qui & Britanniæ præfecturam hodie obtinet, & regis Galliæ eſt primi ordinis Eques, & plurimas habet ampliſſimaſque poſſeſſiones, at-

que in his. Ducatum Stampenſem. Quum eſſet annorum circiter ſexaginta quatuor Cominæus, mortuus eſt domi ſuæ, quam in Piconibus habebat: Argentonium vocant, anno ſalutis humanæ, ſupra mille & quingentos, nono, menſis Octobris die decimo ſeptimo, & illinc Luteciam delatus, in Auguſtinenſium templo ſepultus fuit. Rebus ſecundis habebat ſibi peculiare dictum illud (nobilium hæc eſt conſuetudo) Qui non laborat, non manducet. Quum autem commutata fortuna graviſſime affligeretur, uſurpabat illud, Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.

Quærat aliquis, unde hæc de Cominæo, tibi, homini Germano? Dicam paucis. Eſt apud Carnutes in Galliis, vir cum primis honeſtus & eruditus, Mathæus Atrebas. Is domeſtice novit Cominæum, eique famulatus eſt, ac præceptor deinde fuit ejus e filia nepotis, quem paulo ſupra diximus eſſe Ducem Stampenſem. Legit hic forte alteram Cominæi hiſtoriam, de Ludovico undecimo & Carolo Burgundiæ Duce, quam ſuperioribus annis Latinam feci, & delectatus, ut ait, argumento, propter heri ſui preſtantiſſimi viri memoriam, ea quæ ſupra commemoravimus, per amicum quendam mihi communicavit. Et quoniam illius laudes verecunde ſuo ſcripto prædicat, idcirco majorem ei fidem tribuendam eſſe putavi, ac pergratum mihi fuit, quod eadem fere, quæ per Galliam ſæpe ab aliis audiveram, ex ipſo, qui familiarius ac propius omnia noviſſet, cognoſcerem. Hæc ſunt, amice lector, quæ tibi communicanda eſſe videbantur, ut nonnulla, quæ his libris continentur, aliquanto melius intelligi poſſint. Vale. Argentorati, ſexto Calendas Junii.

FINIS.

CHRO-

Digitized by Google

CHRONICON
CAVENSE.

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRONICON
CAVENSE
AB ANNO DLXIX. AD ANNUM MCCCXVIII.

An.Dom.Ind.

569. 2. HOc anno egreſſi ſunt Langobardi de Pannonia, & ingreſſi ſunt in Italiam, & præerat illorum Rex Alboinus.

570. 3. Zotto.

571. 4. Clapho.

576. 9. Autari.

578. 11. Tiberius Conſtantinus.

585. 3. Mauricius, Agilulphus.

604. 7. Focas. Hic, rogante Papa Bonifacio, conceſſit, ut Romana Eccleſia eſſet caput omnium Eccleſiarum, quia Conſtantinopolitana Eccleſia antea ſe ſcribebat caput omnium Eccleſiarum.

611. 14. Adepaldus.

612. 15. Heraclius Imperator an. 26.

621. 9. Arioaldus.

626. 14. Mahumeth Rex Arabum, & Pſeudo-propheta agnoſcitur.

631. 4. Rothari.

633. 6. Moritur Mahumeth Princeps & Pſeudo-propheta, & promovit in Principatu ſuo Abubacharo cognato ſuo. Moritur Abubachar, & Hummanus Principatum cepit. Hummanus Rex Arabum bienii tempore obſidens Hieroſolymam cepit eam.

638. 11. Heracleonas Imperator cum matre ſua Martina an. 2.

639. 12. Rodoaldus. Ceperunt Arabes Antiochiam.

640. 13. Conſtantinus filius Heraclii, menſes 6. Deinde Con-

ſtan-

Digitized by Google

An.Dom.Ind.

ſtantinus filius ejuſdem Conſtantini, vel ſecundum alteram Chronicam, Martina Noverca ſuperioris Conſtantini cum filio Heracleona ann. 28. Hujus Conſtantini Imperatoris temporibus ann. 15. Mauchias Rex Arabum Rhodum abiens deſtruxit Coloſſum ejus poſt 1360. ſtabilitatis ipſius annos. Quæ cum Judæus quidam Emeſinus negotiator emiſſet, 900. Camelos ex ejus ære oneravit.

643. Saraceni aciem direxerunt in Perſida, & inierunt cum eis bellum potenterque vincentes, omnes ſibi Perſidas ſubditos reddunt. Hormidias autem, qui Perſis imperabat, ad interiorem Perſiam fuga lapſus dimiſit Regalia. At vero Saraceni captivas duxerunt Chroſroes filias cum omni regio apparatu, & detulerunt ad Chummarum.

646. 4. Radoaldus.

648. 6. Moritur Hummarus, & ſtatuitur Huthmam cognatus, qui filius Tuphan.

656. 14. Grimoaldus. Moritur Huthmam, & ſtatuitur Maubias.

662. 5. Romoaldus.

669. 12. Conſtantinus filius Conſtantini ſuperioris. Hujus tempore Anno V. igne adinvento marino a Callinicho Helíopoli Sidoniæ Civitate, qui profugus ad Romanos venit. Hujus tempore, ſive Imperii, gens Bulgarorum cum Rege ſuo nomine Aſparuch, ingreſſi ſunt in terram Romanorum, quæ nunc Bulgaria dicta eſt. Quibus auditis Conſtantinus exiit cum multo exercitu contra illos, & terga verſus eſt Imperator; quem ſentientes Bulgari, plurimos occiderunt, & caſtrametati ſunt ſuper Conſtantinopolim, & ceperunt Villas, & Caſtella diſſipant. Unde vi coactus Imperator pacem fecit cum eis, annuales præbere pollicitus manſiones.

675.

Digitized by Google

An.Dom.Ind.

675. 3. Hoc anno Saraceni aſcenderunt Conſtantinopolim, & ſeptennio expugnaverunt eam, ideſt a menſe Aprili uſque in Septembrem, & ſemper hyemabant Gilicum.

680. 8. Grimoaldus. Moritur Mauchias, & ſtatuitur Hilzit filius ejus.

6 2. 10. Cunipertus.

6 3. 11. Giſulfus frater ejus.

6 4. 12. Marucham. Agnoſcitur Protoſymbolum Arabum, & Abdellam per diviſionem. Filius Luber moritur Marucham, & elegerunt pro eo Abimelech filium ejus; qui interfecit Abdila. Juſtinianus filius minor Conſtantini.

696. 9. Liudperdus.

697. 10. Leontius.

698. 11. Alipertus.

700. 13. Tiberius, qui & Aliſmanus.

702. 15. Romual filius ejus.

707. 5. Juſtinianus ſupradictus cum Tiberio filio recipitur in Imperio, unde fuerat a Leontio ejectus. Moritur Abimelech, & ſtatuitur pro eo filius ejus Ubalet.

710. 8. Aſprandus.

711. 9. Liutprandus.

713. 11. Philippus, qui & Bardarius.

714. 12. Anaſtaſius, qui & Thremius. Moritur Ubalet, & ſtatuitur Gueliman.

717. 15. Theodoſius.

718. 1. Leoſuras cum Conſtantino perſecutore.

719. 2. Hymmar. Protoſymbolum habetur. Hilit Arabum habetur 721.

721. 4. Moritur Hilit, & ei ſucceſſit Hiſan frater ejus Gregorius. Hoc anno immenſo exercitu Saraceni trienio obſiderunt Conſtantinopolim.

730. 13. Moritur Hiſan, & ſtatuitur Mandrias filius ejus.

An. Dom. Ind.

732. 15. Andelachis.

734. 2. Godeladius.

736. 4. Ucheliman habetur.

737. 5. Giſulfus filius ſupradicti.

740. 8. Conſtantinus perſecutor, ſolus.

742. 10. Hilid Arabum Dux habetur.

743. 11. Hilbrandus Marucham habetur. Haiſtolfus. Macamech agnoſcitur.

747. 15. Rachis.

748. 1. Abrachim habetur.

754. 7. Liudprandus.

755. 8. Alim habetur.

756. 9. Deſiderius.

757. 10. Abellas habetur.

764. 15. Arechis. Iſte primus appellatus eſt Princeps.

765. 1. Banachas Dux Arabum habetur.

767. 3. Hoc anno facta eſt Eclypſis Solis pridie Nonas Junii, die Jovis hora 6. Luna vigeſima nona.

774. 12. Leo qui & Calaris. Capta eſt Papia a Carolo Rege Francorum. Hoc anno facta eſt Eclypſis Solis 10. Kal. Septembris die Martis hora nona, Luna quinta.

778. 2. Conſtantinus.

787. 10. Hoc anno facta eſt Eclypſis Solis Kal. Octobris die Lunæ ab hora prima in horam quintam.

789. 12. Conſtantinus cum Irene matre ſua.

790. 13. Grimoaldus filius ejus.

796. 4. Irene Sola mater ejus.

801. 9. Nicephorus.

807. 15. Grimoaldus.

809. 2. Stauratius.

810. 3. Michael Curopalata.

812. 5. Leo.

818. 11. Sico.

840. 3. Michael Porphyrogenitus.

843.

Digitized by Google

An.Dom.Ind.

843. 6. Radelchis. Hujùs temporibus diviſus eſt Principatus, & Sichenolphus factus eſt Princeps.

849. 12. Sicus filius ejus, Salerni.

853. 1. Radelgerius filius ejus.

857. 5. Adelchis frater ejus. Ademarius Salerni.

862. 10. Guaiferius Salerni.

866. 14. Baſilius Paracinumenius ejus.

877. 10. Leo & Alexander cum ſupraſcripto Baſilio patre eorum.

880. 13. Gaideris, Guaimarius filius ejus Salerni.

882. 15. Radelchis.

885. 3. Ajo Subdiaconus frater ejus, ejecto fratre.

886. 4. Leo & Alexander, ſoli.

892. 10. Urſus filius Ajonis Sabbaticium, Patriciano, & Conſtantinopolim cepit Beneventum.

895. 11. Georgius Patricius.

896. 14. Guido Dux & Marchio.

896. 15. Guaimarius filius ejus Salerni.

898. 1. Radelchis.

900. 3. Atenulphus magnus Princeps.

901. 4. Landulfus filius ejus.

908. 11. Leo ſupraſcriptus cum filio Conſtantino Porphyrogenito.

910. 13. Atenulphus frater ejus.

912. 15. Alexander cum Conſtantino nepote ſuo.

913. 1. Conſtantinus Porphyrogenitus filius ſupraſcripti Leonis cum Zoi matre ſua.

919. 7. Romanus de Heliopoli civitate cum ſupraſcripto Conſtantino Porphyrogenito. Qui poſtquam cepit Imperium Romanum, dedit jam dicto Conſtantino Helenam filiam ſuam jugalem.

932. 5. Atenulphus filius Landulfi.

939. 12. Landulfus frater ejus.

944. 2. Conſtantinus Porphyrogenitus ſupraſcriptus cum filio Romano.

An.Dom.Ind.

946. 4. Pandolſus filius ejus.

954. 12. Hoc anno corpus B. Matthæi Apoſtoli translatum eſt apud Salernum.

959. 2. Landolſus frater ejus.

960. 3. Romanus filius, ſolus cum filio ſuo Baſilio puerulo.

963. 6. Nicephorus.

969. 12. Landulſus filius ſupradicti Pandulfi. Hoc anno facta eſt Eclypſis Solis 11. Kal. Januarii hora diei inter tertiam & quartam.

973. 13. Johannes cognomento Simiſchi, interfecto Nicephoro, regnat cum Baſilio & Conſtantino pueris.

978. 4. Johanne defuncto, regnat Baſilius, & Conſtantinus.

1034. 2. Solis pars maxima obſcurata eſt in feſto S. Petri.

1037. 5. Kalendis Februarii Mons Veſuvius eructavit incendium, ita ut uſque ad mare diſcurreret.

1038. 6. Conradus Imperator ingreſſus eſt Capuam Pentecoſtes, & alia die coronatus eſt. Adenulphus Epiſcopus reconciliatur. Pandulſus Princeps Capuæ exiliatur. Guaimarius Princeps Salerni in loco ejus ſubrogatur. Et Richerius fit Abbas Montis-Caſinenſis.

1042. 10. Junii 13. Luna obſcurata eſt per quinque horas, cum nulla nubes appareret in Cœlo.

1045. 13. Richerius Abbas ejecit Normannos de Terra S. Benedicti.

1047. 15. Henricus Imperator venit Capuam, & reddidit eam Pandulfo Principi juniori.

1050. 3. Leo Papa ordinatus eſt. Et Domnus Adelferius Abbas Monaſterii Sanctæ Trinitatis obiit.

1052. 5. Guaimarius Princeps Salerni efficitur, & Bonifacius Dux & Marchio.

1054. 7. Leo Papa cum Normannis dimicavit in Apulia.

1055. 8. Leo Papa obiit, & Victor Papa fit. Richerius Abbas Caſinenſis defungitur, & Petrus Abbas Caſinenſis ſtatuitur.

1058.

Digitized by Google

An.Dom.Ind.

1058. 11. Stephanus Papa obiit, & Nicolaus Papa fit. Et Deſiderius Monachus Domni Adelferii Abbatis Sanctæ Trinitatis Cavenſis Abbas eligitur.

1062. 5. Stella Cometes apparuit. Gotfridus Dux cum valido exercitu in Campaniam venit uſque Aquinum: Richardus Princeps Terram Marſorum intravit.

1071. 9. Eccleſia nova S. Benedicti dedicata eſt a D. PP. Alexandro die Kal. Octobris cum quinque Altaribus ſuis.

1073. 11. Alexander PP. defungitur, & Hildebrandus Archidiaconus in Papam Gregorium ordinatur menſe Aprilis. Termino hujus anni, ideſt ipſa nocte Natalis Domini captus eſt prædictus PP. ſuper Sanctum Altare a quibusdam Romanis infidelibus, ſed vi & conſtantia omnium Romanorum eadem die receptus eſt.

1076. 14. Robertus Dux venit ſuper Salernum Prid. Non. Majas, & obſedit eam terra marique, & cepit eam die Idibus Decembris.

1077. 15. Richardus Princeps obſedit Neapolim menſe Majo.

1078. 1. Richardus Princeps obiit V. feria Cœna Domini, & Jordanus ejus filius fit Princeps, & Neapolis eſt obſidione liberata.

1079. 2. Leo Abbas Sanctæ Trinitatis obiit, & Petrus Abbas ſtatuitur, nempe Domni Adelferii Abbatis ejusdem Monaſterii.

1081. 4. Henricus Rex cum magno exercitu venit Romam: ſed obſiſtentibus Romanis cum PP. Gregorio, ſine effectu reverſus eſt: Robertus Dux tranſito mari Romaniam debellaturus ingreditur.

1083. 6. Henricus Rex iterum Romam veniens porticum S. Petri per vim cepit, & in magna parte deſtruxit. Archiepiſcopum Ravennatem invaſorem Apoſtolicæ Sedis abſque conſilio & voluntate Romanæ Eccleſiæ Papam conſtituit.

1084.

An.Dom.Ind.

1084. 7. Henricus Rex Romam a Romanis intromiſſus 12. Kalend. Aprilis ſtetit ibi uſque 12. Kal. Junii. Poſt hæc venit Robertus Dux cum ingenti exercitu, & tradita eſt ei Roma a quibuſdam Romanis, & multa ibi mala committens, accepto PP. Gregorio egreſſus eſt.

1085. 8. Fames & mortalitas maxima fuit. Gregorius PP. apud Salernum moritur. Robertus Dux in Romania.

1086. 9. 13. Kal. Martii incipiente nocte Stella clariſſima in circulum Lunæ primæ ingreſſa eſt.

1087. 10. Deſiderius Abbas Romæ in Victorem Papam invitus eligitur ab Epiſcopis & Cardinalibus Romanis ipſo die Pentecoſtes 7. die Maji. Quo die S. Nicolai corpus Uliarium devenit. Idem Victor apud Caſinum omnium Fratrum conſenſu ordinato Abbate Oderiſio, poſt tertium diem defungitur. XV. Kal. Octobris Piſani apud Africam debellaverunt, & vicerunt Saracenos.

1088. 11. Oddo Oſtienſis Epiſcopus in PP. Urbanum eligitur 4. Id. Maji.

1091. 14. Jordanus Princeps obiit, & Capuani rebellaverunt.

1092. 15. Eccleſia S. Trinitatis dedicata eſt ab Urbano Secundo Papa Nonis Septembris.

1096. 4. Luna XII. obſcurata eſt, cum Cœlum ſerenum eſſet, & Stella clariſſima venit in circulum Lunæ 8. Id. Auguſti. Rogerius Comes Siciliæ cum exercitu valido Chriſtianorum, & Saracenorum, Syleris fluenta pertranſiens obſedit Nuceriam 2. Kal. Julii Vigilia Pentecoſtes, & tradita eſt. Inde Profectus Melfiam obſedit cum Rogerio Duce Apuliæ & Calabriæ terra marique. Mox Amalfitani Marinum Sebaſtos Ducem ſubſtituunt, reverſuſque eſt Comes ſine effectu iter quo venerat. Gens multa Normannorum & Italorum mare tranſierunt.

1097.

An.Dom.Ind.

1097. 5. Eccleſiam S. Pauli dedit Urbanus Papa Petro Abbati S. Trinitatis de Cava. Antiochia capta eſt.

1098. 6. Rogerius Comes Siciliæ, & Rogerius Dux obſederunt Capuam cum magno exercitu, & ceperunt eam, & reddiderunt eam Riccardo filio Jordani. Jeruſalem a Chriſtianis capta eſt.

1099. 7. Urbanus Papa defungitur, & Paſchalis Papa fit.

1100. 8. Rogerius Dux obſedit Amalfiam, & cepit eam. Boamundus in prœlio captus eſt a Saracenis.

1101. 9. Rogerius Comes Siciliæ obiit. Paſchalis Papa obſedit Beneventum cum valido exercitu Apuliæ & Calabriæ, & cum Rogerio Duce cepit eam.

1104. 12. Quando Domnus Abbas Petrus dimiſit Eccleſiam S. Pauli.

1105. 13. Oderiſius Abbas Caſinenſis defungitur, & inde ſtatuitur . . . . . . Riccardus P. filius Jordani obiit. Stella Cometes apparuit de menſe Februario.

1106. 14. Petrus Abbas S. Trinitatis Cavenſis emit Caſalem in Apulia, qui dicitur Fabrica mil. & C. Schifat. Robertus filius Jordanis invaſit Capuam, & ex parte igne eam ſuccendit.

1107. 15. Luna XIV. ſanguinea facta eſt per totam noctem 3. Id. Januarii.

1110. 3. Paſchalis Papa ab Henrico Rege eſt captus, & iterum reconciliatur .. D. Abbas Petrus S. Trinitatis Cavenſis emit Caſtrum S. Adjutoris 1500. Schifat de menſe Februario. Eodem menſe Rogerius Dux obiit, & Boamundus poſtea obiit 8. die.

1113. 6. Saraceni ab Africa venientes Lucaniam depopulantur. Salernum applicaverunt: auctore Deo Salernitani, Amalfitani, & Neapolitani ceperunt eos, & interfecerunt in mari.

1118. 11. Obiit Domnus Paſchalis Papa, & Johannes Cancellarius in Papam Gelaſium ordinatur.

1119.

Digitized by Google

An.Dom.Ind.

1119. 12. Gelaſius PP. obiit, & Calixtus Papa eligitur. Domnus Conſtabilis ordinatus eſt Abbas.

1120. 13. Tertio Non. Junii obiit Riccardus Princeps. 6. Kal. Jun. unctus eſt Riccardus filius ejus in Principem. 2. Id. Junii obiit Riccardus Princeps. 4. Nonas Julii unctus eſt Jordanus Princeps. Domnus Abbas venerabilis Petrus conſtructor atque inſtitutor hujus Monaſterii S. Trinitatis cum eo perenniter regnaturus migravit ad Dominum.

Eodem anno Indict.................... 3. temporibus noſtri Domini Gulielmi magnifici Ducis atque religioſi Abbatis noſtri Conſtabilis decimo die intrantis menſis Octobris Caſtellum noſtrum S. Angeli in Cilentum firmare cœpimus. Gratias Deo, & B. M. ſemper V. Beato Michaeli Arcangelo. & omnibus Sanctis ejus. Amen.

1124. 2. Domnus Conſtabilis hujus Monaſterii S. Trinitatis venerabilis Abbas obiit.

1126. 4. Domnus Simeon venerabilis Abbas ei ſuccceſſit. D. Callixtus PP. obiit 19. Kal. Januar. cui 3. die ſucceſſit Honorius.

1127. 5. Obiit Guilielmus Dux, & Jordanus Princeps.

1128. 6. Rogerius Comes Siciliæ, Calabriæ factus eſt Dux.

1129. 7. Henricus IV. Imperator obiit, cui ſucceſſit Lotharius Dux Saxoniæ.

1130. 8. Honorius PP. II. defungitur, cui ſucceſſit Innocentius PP. II. Quidam vero Romanorum ſubito dixerunt filium Petri Leonis, qui obiit poſt octo annos, & Eccleſia quievit.

Rogerius Dux Rex efficitur 8. Kal. Januarii. Eodem anno dum Dux eſſet, obſedit Salernum terra marique, & cepit eam. Et anno, quo factus eſt Rex, obſedit Amalfiam, & cepit eam.

1132. 10. Rogerius Rex obſedit Barum terra marique, & cepit

Digitized by Google

An.Dom.Ind.

pit eam. Eodem anno obſedit Nuceriam, & pugnavit cum Principe apud Schiſatum flumen, & aufugit.

1134. 12. Cepit Capuam, Averſam, & Nuceriam.

1135. 13. Idem Rex ad obſidendum Neapolim terra marique ivit. Piſani ceperunt Amalfin, ſed ab eodem Rogerio Rege fugati ſunt, & quamplures capti, nonnullique interempti.

1137. 15. Lotharius Imp. intravit Apuliam cum Papa Innocentio ſalvus cum Piſanis, & conſtituto Duce Raynone reverſus eſt. Cui ſucceſſit Conradus nepos Henrici Imperatoris. Eo anno factum eſt bellum inter Regem Rogerium & Ducem Raynonem, ubi multa millia hominum Regis interſuerunt, inter .... & Caſale novum, & Rex aufugit. Mortuo Duce Raynone dum in Sicilia ageret, Malfia reddita eſt illi. Poſt hoc Salernum veniens, Mons Veſuvius magnum eructavit incendium, quod ſecutus eſt pulvis tantæ denſitudinis, ut totum aerem obtenebraret, & totam hanc operuit regionem uſque Principatum, & Calabriam, & cœpit paulatim decreſcere. Per triginta dies, totidemque noctes ſiccus ventus eumdem pulverem aſportabat, terram operiebat, qui quievit die Apoſtolorum Petri & Pauli. Poſt hæc Innocentius Papa cum exercitu Romanorum Campaniam adveniens, Rex egreſſus contra, & fugam Papa arripiens captus eſt a Rege, cum maxima parte exercitus Romanorum, qui coactus eſt .... non tantum ſui populi Romani Regi vexilla tria tradidit, unum Regni .... aliud Ducatus Apuliæ, tertium Principatus Capuæ. Poſtea Rex Barum proficiſcens cum magna difficultate reddita eſt illi, ubi Principes & Barones interfecit. Et ſiluit terra in conſpectu ejus. Et veniens Salernum, filium ſuum, quem Capuæ Principem fecerat, et-

An.Dom.Ind.

iam Neapoli dominatorem conſtituit.

1141. 4. Domnus Simeon hujus Monaſterii S. Trinitatis Cavenſis Abbas obiit, & Domnus Falco Abbas ſucceſſit ei.

1143. 6. Innocentius Papa defungitur, & unanimitate omnium Romanorum tam Clericorum, quam Laicorum, Guido Cardinalis ejus loco eligitur, qui Cœleſtinus II. dictus eſt. Qui ſexto die ſuæ ordinationis obiit; & Giraldus Cardinalis pro eo eſt ordinatus in Papam Lucium.

1145. 8. Obiit Lucius PP. II., XI. Kal. Martii, & ordinatus eſt Abbas S. Anaſtaſii in Papam Eugenium.

1147. 10. Rex Rogerius ſtolium ſuum in Romaniam miſit, & Corfu, & Cephaloniam, & Eſtivam, & Corinthum, omnemque illam maritimam uſque ad Malvaſiam cepit. Principes, & omnes majores, & cunctos Judæos illius terræ captivos ad Siciliam duxit.

1146. 9. Octavo Id. Junii obiit Domnus Falco noſtræ Congregationis Abbas, & 7. Id. Julii Marinus Veſtararius loco ejus ſucceſſit. In præfato Menſe Junio Rogerius Rex Siciliæ miſit ſtolium ſuum.

1154. 2. Obiit Rogerius Rex, & Guilielmus filius ejus ſubſtituitur.

1160. 8. Obiit Adrianus Papa, & Alexander III. ſubrogatur; & factum eſt Schiſma in Eccleſia per XX. annos.

1165. 13. Obiit Guilielmus Rex, & filius ejus Guilielmus Rex efficitur.

1169. 2. Menſe Febr. terræmotus factus eſt magnus in Sicilia, & everſa eſt Catanenſium Civitas.

1170. 3. D. Marinus Abbas S. Trinitatis obiit.

1171. 4. D. Benencaſa eligitur Abbas S. Trinitatis 2. Kal. Februarii.

1178. 11. Sol obſcuratus eſt ex magna parte media die. In hoc anno multitudo Saracenorum in partibus Taren-

Digitized by Google

An.Dom.Ind.

rentum ab habitatoribus ....

1179. 12. In hoc anno Synodus facta eſt in Urbe Roma.

1181. 14. Obiit Alexander PP. & Lucius III. Papa efficitur. In hoc anno facta eſt fames magna per totam Italiam.

1185. 3. Rex Guilielmus II. miſit ſtolium ſuum in Romaniam, & apprehendit Durachium, & totum illum Ducatum uſque Theſſalonicam, & ipſam Theſſalonicam cepit.

1186. 4. Obiit Lucius III. Papa, & Urbanus Papa III. efficitur.

1187. 5. 2. Kal. Octob. Obiit Urbanus III. Papa, & nonus Gregorius Papa efficitur, & hic obiit 4. Kal. Januarii, & Clemens Papa efficitur.

1190. 8. Rex Guilielmus II. obiit, & Tancredus Comes Rex efficitur. Primo anno Regni ejus venit Henricus Teſta cum Alemannis in Apuliam, & deſtruxit ibi Cornetum, & venit uſque ad Aquam pudridam, & poſtea reverſus eſt. Imperator venit uſque Neapolim, & obſedit eam, & poſtea illic infirmatus rediit in Alemanniam.

1193. 11. 4. Id. Jan. obiit Benencaſa Abbas S. Trinitatis.

1194. 12. Hoc anno reverſus eſt Imperator Henricus, & miſit ante ſe ſtolium in Siciliam, & ipſe venit per terram ſuper Salernum, & obſedit eam, & eadem die obſidionis ſuæ capta eſt Civitas, videlicet 5. Kal. Octob. quarto die ante Feſtum S. Matthæi; & omnes fugerunt viri & mulieres; & Civitas depopulata eſt, & diſpoliata. Et poſtea perrexit, & cepit totam Siciliam. Cepit etiam filium Tancredi, quem fecerant Regem, & matrem ejus, & ſorores, & Archiepiſcopum Salernitanum, & fratres ejus, & multos alios, & vinctos duxit ſecum in Alemanniam.

1197. 15. Hoc anno mortuus eſt Imperator Henricus in Civitate

Digitized by Google

An.Dom.Ind.

tate Meſſana.

1208. 11. D. Balſamus eligitur Abbas S. Trinitatis, 6. Id. Mar. & poſt tertiam diem obiit Abbas Petrus II. Trinitatis.

1215. 3. In hoc anno facta eſt Synodus in Urbe Roma.

1216. 4. Obiit Innocentius PP. III. & Honorius III. PP. efficitur.

1219. 7. Capta eſt a Chriſtianis Civitas Damiata, in Feſto videlicet Sancti Leonardi.

1220. 8. In hoc anno coronatus eſt Federicus Imperator, & Domina Conſtantia uxor ejus Imperatrix a D. PP. Honorio III. in Urbe Roma, in Feſto videlicet S. Cæciliæ.

Eodem etiam anno recuperavimus Caſtrum S. Adjutoris in Vigilia ſcilicet Natalis Domini, Domno Balſamo Venerabili Abbate multum perinde laborante.

Et ipſomet anno Capuana Curia extitit celebrata per ipſum Dominum Impetatorem.

1232. 5. Octavo Kal. Decemb. obiit Balſamus noſtræ Congregationis Abbas, & D. Leonardus Veſtararius Abbas eligitur Idibus Decembris.

1240. 13. Obiit Gregorius Papa.

1243. 5. Innocentius Papa IV. eligitur.

1249. 7. In hoc anno deſtructa eſt Civitas Beneventana. In hoc etiam anno translatum eſt Corpus Bartholomæi, & alia multa corpora Sanctorum, & Reliquiæ a Domino Leonardo Abbate in Monaſterio Cavenſi, videlicet 19. Kal. Febr. Et in ſequenti anno mortuus eſt Fridericus Imperator in partibus Apuliæ in Caſtello Florentini; qui anno 1245. depoſitus fuerat apud Lugdunum per Dominum Innocentium PP. IX. in Concilio Generali, & excommunicati ſunt omnes adhærentes ei.

1252.

Digitized by Google

An.Dom.Ind.

1252 10. In hoc anno Conradus Rex venit de Alemannia, & obedivit ei totum Regnum præter Neapolim Capuam, & Nuceriam, & quaſdam alias Terras.

1253. 11. In hoc anno omnes Terræ, quæ rebellatæ fuerant Conrado Regi, reverſæ ſunt ad eum præter Neapolim; unde iratus congregavit totum Regnum, & obſedit eam 18. Jun. a mari & terra, & circumdata eſt Civitas viriliter, & fecit contra eam multas machinas, & exquiſita ingenia. Decimo itaque die intrante menſe Octobris, cogente eos fame ſimul & exercitu, reverſi ſunt ad eum, & præcepit Rex, & deſtruxerunt totum murum ejus per circuitum uſque ad ſolum, & multos ex eis exiliavit. Similiter fecit Capuæ.

1254. 12. Octavo Non. Dec. Obiit Innocentius PP. IV. in civitate Neapoli, & ſecundo die obiit idem Stephanus Cardinalis, quorum corpora tumulata ſunt in majori Eccleſia prædictæ civitatis.

Eodem anno mortuus eſt Rex Henricus parvulus in civitate Melfiæ, videlicet in menſe Decemb. In hoc anno mortuus eſt Rex Conradus.

1255. 13. Octavo decimo intrante menſe Auguſti obiit Leonardus Cavenſis Abbas, & D. Thomas Prior magnus Clauſtralis eligitur Abbas.

1258. 1. In hoc anno Manfredus Princeps Tarenti vocavit omnes Prælatos, cum eſſet Bajulus Regis, & apud Panormum .... in feſto S. Laurentii.

1259. 2. In hoc anno Trapani de terræmotu deſtructa eſt. In nocte S. Franciſci plures civitates, & caſtra terræmotu concuſſa ſunt.

1264. 7. Octavo Kal. April. obiit Thomas Abbas Cavenſis, & Jacobus Abbas S. Benedicti ex mandato Urbani PP. IV. effectus eſt Abbas Cavenſis.

1265. 8. Stella Cometes apparuit a feſto S. Jacobi uſque Kal. Octobris.

1266.

An.Dom.Ind.

1266. 9. In hoc anno Carolus Comes Provinciæ intravit Romam XIII. Kal. Jan. & Senator effectus eſt. Nonis Octob. Manfredus, qui vocabatur Rex, deſtruxit Terram Cavæ, & depopulavit eam. In die S. Epiphaniæ per voluntatem S. Eccleſiæ Carolus coronatus eſt Rex, & venit cum exercitu magno, & in Purificatione S. Mariæ intravit Regnum, & VIII. die cepit S. Germanum per vim, & expugnavit exercitum Manfredi. Tunc Manfredus fugit de Capua, & Carolus Rex perſecutus eſt eum uſque Beneventum; & III. die ſtante menſe Februarii pugnavit cum eo; & cecidit exercitus Manfredi. Tunc Manfredus mortuus eſt, & totum Regnum obedivit Carolo Regi, & omnes homines reverſi ſunt in Terram Cavæ.

1267. 10. Sexto Februarii Saraceni Luter, & multi alii perfidi Chriſtiani contra Illuſtriſſimum Dominum Carolum filium Regis Franciæ Regem Siciliæ, rebellionis ſpiritum aſſumpſerant, habentes ſpem in Conradino filio Regis Conradi, qui de Alemannia cum Duce Auſtriæ, & pluribus Theutonicis receſſerat, & venerat Veronam, & ab inde recedens venerat Papiam, & poſtea Piſas, & ibi tam Theutonicorum, quam Hiſpanorum, & Piſanorum, nec non & Italicorum exercitu maximo congregato, cum ipſis ſe contulit Romam, & ibi ſtetit per paucos dies cum ipſo Duce, & Comite Galvano, & adjuncto ſibi Domino Henrico filio Domini Ferrantis Regis Caſtellæ Senatore Urbis, & etiam Romano Populo, de ipſa urbe recedens cum toto exercitu dicto, Regnum cœpit invadere, & intrare. Quod idem Dominus Rex Carolus audiens, cum gente ſua verſus eumdem Conradinum, & gentem ejus iter ſuum direxit. Et cum idem Conradinus callidioſe

An.Dom.Ind.

dioſe vellet intrare Regnum, ſeque conjungere Saracenis, venit inter Albam, & Pontum, & ibi caſtra ſua defixit. Ad quem dictus Dominus Rex Carolus cum dicta gente ſua ſe conferens caſtrametatus eſt ibi. Cumque uterque exercitus ſe ad invicem videret, XXIII. Auguſti initum eſt prœlium pluribus ex utraque parte cadentibus in prœlio præfato. Dictus Dominus Carolus Rex cum Divino auxilio, proſequente, & adjuvante fide, quam habebat in S. R. E. prœlium ipſum vicit; & facta fuit tanta ſtrages hominum Conradini, quod innumerabilis fuit numerus eorumdem, & alii per valles, & nemora fugerunt. Quod Romanus Populus audiens eumdem Dominum Regem Carolum elegere Senatorem eorum. Poſtmodum vero cum ipſe Conradinus una cum Duce Auſtriæ, præfato Comite Galvano, & filio ejuſdem Comitis, de ipſo prœlio fugiſſent, iverunt Aſturam, & ibi volentes per mare evadere, ibi capti fuerunt, & adducti ad dictum D. Regem Carolum, & in carcere mancipati. Quibus in ſua poteſtate habitis, & detentis, & adductis ad eum apud Senaganum, ibi dictum Comitem Galvanum, ejuſque filium coram omni populo decapitari juſſit. Quo facto idem Dominus Rex contulit ſe ad Urbem. Dictus autem Dominus Henricus, dum de ipſo prœlio ſimiliter fugiſſet, acceſſit ad quoddam Monaſterium, quod dicitur S. Salvatoris, & ibi captus fuit, & adductus ad ipſum Dominum Regem Carolum: Qui Dominus Rex ducens ſecum captum Conradinum, & Ducem prædictos, & Dominum Henricum, ut ipſos ſic captivos videret omnis homo, intravit Regnum, & venit Neapolim, ubi idem Dominus Rex poſt paucos dies dictum Conradinum, & Ducem publice de-

An.Dom.Ind.

ce decapitari juſſit ; quorum corpora ſepulta fuerunt juxta ſepulchrum Judæorum. Quo facto idem Dominus Rex ducens ſecum dictum Dominum Henricum captum, ab ipſa civitate receſſit, & ivit ab obſidionem Luceriæ ſupra præfatæ.

1268. 11. Hoc anno 23. Januarii mortuus eſt Frater Amicus Abbas Venerabilis Cavenſis Monaſterii Neapoli, & eodem die delatum eſt corpus ejus ad ipſum Monaſterium, & ſequenti die traditum ſepulturæ. Altero vero die, ſcilicet in feſto Converſionis B. Pauli Apoſtoli, congregato Collegio ipſius in unum, unanimi voluntate Fratrem Leonum Monachum, & Camerarium ejuſdem Monaſterii elegerunt in Abbatem eorum, & Monaſterii ſupradicti, & poſt paucos dies idem electus per Dominum Rodulphum Epiſcopum Albanenſem Apoſtolicæ Sedis Legatum fuit apud Beneventum vocatus, & ibi confirmatus per eum, & ab eo ibi munus benedictionis accepit V. Febr.

1269. 12. In hoc anno mortuus eſt Dominus Clemens PP. & ſtetit Eccleſia per duos annos ſine Paſtore.

1275. 3. Hoc anno factum eſt Concilium apud Lugdunum per Dominum PP. Gregorium X. in quo Concilio affuit Abbas Leo Secundus.

1281. 9. Hoc anno mortuus eſt Rex Carolus Primus 4. Maji, & Carolus filius ejus Primogenitus coronatur in Provincia in civitate Avinioni a D. Clemente Papa Primo die Dominico menſis Auguſti.

1283. 11. Die Veneris ultimo menſis Octobris Dominus Carolus filius Regis Caroli Primi exivit de carcere, & de manibus quondam Petri, & hæredum ejus dicti Regis Aragonum gentis.

Anno Dominicæ Incarnationis 1281. die Junii 2. ſtante menſe Martio, civitas Panormitana, occidit omnes Francos, quos invenire potuit in dicta Civitate, &

An.Dom. Ind.

te, & exinde rebellata eſt tota Sicilia. Anno Dominicæ Incarnationis 1283. die Lunæ, 9. menſis Junii Dominus Carolus Princeps apud Neapolim, pugnavit cum galeis Siciliæ, & captus eſt in ipſo prœlio cum Baronibus, & pluribus aliis, & deportati ſunt in captivitate in Sicilia.

1291. 4. Hoc anno mortuus eſt Nicolaus PP. IV.

1293. 6. Hoc anno eligitur Frater Petrus de Morone in Papam menſe Junii, qui vocatus eſt Cœleſtinus V. & venit Neapolim.

1294. 7. In hoc anno menſe Julii ſtella Cometes apparuit. Eodem anno Cœleſtinus PP. V. præfuit in Papatu menſibus ſeptem, numerandos a menſe Junii, quo fuit electus, uſque ad menſem Decemb. ſequentis, quo menſe apud Neapolim in Caſtronovo coram omnibus Cardinalibus renunciavit Papatui. Et eodem menſe eligitur in Papam D. Benedictus Cajetanus, qui vocatus eſt Bonifacius VIII. apud Neapolim.

1296. 9. Hoc anno 14. Kal. Septembris mortuus eſt Abbas Leo hujus noſtræ Congregationis, & de gratia, non de conſuetudine expectaverunt Fratres præſentes abſentes, qui commode potuerunt venire, & nono Kal. Septembris concorditer elegerunt Fratrem Raynaldum Monachum, & Præpoſitum ejuſdem Monaſterii, in Abbatem ejuſdem Monaſterii cujus electio per Venerabilem Patrem Dominum L. Sancti Angeli Diaconum Cardinalem Apoſtolicæ Sedis Legatum fuit confirmata 4. Idus Septembris in Hoſpit. Mon. Viginti 4. Kal. Octobris apud Rapellam fuit conſecratus.

1299. 12. Hoc anno per Dominum . . . . Pipinum depopulata eſt civitas Nuceria Saracenorum menſe Auguſto.

1301. 14. In hoc anno menſe Januarii die Jovis decimo octavo ejuſdem menſis in ſero in noctis tenebris, arenam plurimam pluit Dominus ſuper terram; & in eadem

An.Dom.Ind.

eadem nocte ante auroram uſque ad diem pluit cinerem mixtum cum ſulphure in aliquibus partibus in maxima quantitate. Et eodem die Jovis Inſula Iſolæ ardere cœpit, ita quod homines habitantes in ipſa Inſula abinde receſſerint.

1307. 5. Hoc anno dictus Dominus Bonifacius Papa VIII. devenit ad lites cum duobus Cardinalibus de Domo Columnenſium de urbe Roma, & cum tota Domo eorum, & depoſuit eos a Cardinalatibus ſuis, & expulit eos de urbe Roma cum tota progenie eorum., & privavit eos Caſtris, Terris, & Villis omnibus, quas intra Romam, & extra, ubilibet poſſidebant eaſdem. Qui Cardinales reſtituti ſunt ad gratiam per Dominum Clementem Papam anno II. Papatus ipſius.

1315. 13. Hoc anno Stella Cometes apparuit a feſto S. Thomæ Apoſtoli uſque ad Epiphaniam.

1318. 1. Hoc anno factum eſt Concilium apud Viennam per Dominum Clementem PP. V. quo cum Prælati de Regno de mandato dicti Summi Pontificis affuiſſent, Frater Robertus hujus Monaſterii Venerabilis Abbas in ipſo itinere apud Marſiliam graviter infirmatus 20. Octob. diem clauſit extremum; unde ipſius Monaſterii Monachi in unum more ſolito congregati Fratrem Bernardum Priorem S. Mariæ Montis-Serrati concorditer elegerunt; cujus electio per quinque annorum curricula prorogata per Dominum Joannem Papam XXII. tamdem extitit annullata; & de ipſius mandato Frater Philippus Abbas S. Joannis in Venere in Abbatem dicti Monaſterii eſt translatus.

FINIS.

RI-

RICHARDI
DE S. GERMANO
CHRONICON.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN
CHRONICON
RICHARDI
DE SANCTO GERMANO
MONITUM
LUDOVICI ANT. MURATORII.

CHronicon hoc Richardi de Sancto Germano Notarii *primus publica luce donavit Anno* 1647. *Ferdinandus Ughellus, atque illud ſubjunxit Tomo III. Italiæ Sacræ pag.* 953. *Auctor profecto magni apud Eruditos faciendus, tum quod res referat ſua ætate geſtas, tum etiam quod accurate; ut neminem tam facile reperias, quem tutius ſequaris in Hiſtoria Friderici II. Auguſti. Odorico Raynaldo ad contexendos Annales Eccleſiaſticos præſto erat ejuſdem Chronici exemplar MSſtum e Codice Caſinenſi deſumtum, nondum quippe Librum evulgarat Ughellus. Quæ is habeat de Richardo noſtro ad Annum* 1198. *num.* 70. *ſuum heic merentur locum.* Illum, *inquit*, ſive Veritas ſpectetur Hiſtoriæ, ſive diligentia, qua præcipua, quæ in Orbe univerſo, maximeque in utriuſque Siciliæ Regno, e quo oriundus erat, gererentur, collegit, primis etiam Annalium Scriptoribus conferendum. In ſuo ille Hiſtoriæ Proœmio teſtatur, Notarii ſe officio functum in Oppido, cui a S. Germano nomen inditum, ea ſuis Annalibus commendaſſe, quæ vel hauſiſſet oculis, vel a viris fide digniſſimis accepiſſet; eaque ad ſcribendum ratione permotum, quo ſequutura poſteritas veterum factis erudita aliquam utilitatem delibaret. *Hæc ille, cujus in hac re auctoritas majori in pretio nobis in poſterum*

Digitized by Google

ſterum habenda, *quam Ughelli ipſius*, *qui in calce ejuſdem Hiſtoriæ a ſe editæ*, *ſine ullo rerum examine*, *ſcripſit*, *Richardum* nimio in Federicum Secundum Imperatorem Principem ſuum amore ſeductum, aliquando a veritate deflexiſſe. *Non eſt æqui Judicis id ſtatim culpare*, *aut falſum arbitrari*, *quod votis noſtris adverſari ſentimus*. *Atque hæc pauca ſufficiant de Richardo noſtro*, *Hiſtorico atque Poeta*, *quem Caveus in Hiſtor. Liter. Scriptor. Eccleſiaſticor. nulla*, *ut puto*, *ſolida ratione ductus*, *ſed ſuo ingenio*, Regis Siciliæ Secretarium *effinxit*.

RI-

Digitized by Google

RICHARDI DE S. GERMANO

CHRONICON

RERUM PER ORBEM GESTARUM

AB EXCESSU

GUILLELMI SICILIÆ REGIS

ANNO SCILICET DOMINI MCLXXXIX. AD ANNUM USQUE MCCXLIII.

EX MEMBRANACEO CODICE BIBLIOTHECÆ CASSINENSIS

A FERDINANDO UGHELLO

JAM EDITUM

ET A LUDOVICO ANTON. MURATORIO

TOMO VII. SCRIPTORUM RERUM ITALICARUM RECUSUM.

SOlet ætas antiquior, ac provida priorum auctoritas digna memoriæ quæq; per Orbem geſta deſcribere relinquenda poſteris ad doctrinam, ac eorum inſtar adhuc prudens ſequentium natio idem agit, ne omiſſa depereant, aut neglecta notitiam effugiant futurorum. Horum ſiquidem æmulator ego Richardus de Sancto Germano Notarius, cui, quæ ſervit Hiſtoriographis, Muſarum prima obſequitur; de qua metrice ſcriptum reperi:

Explicat ingenio res geſtas ordine Clio,

niſus ſum pro viribus ingenioli mei, quæ ubique terrarum, & præſertim in Regno Siciliæ geſta ſunt, diebus meis viſa, cognita, ſeu fideli relatione percepta, veritate ſervata, lite-

Digitized by Google

literis tradere, & in hoc præſens compilare volumen, ut ex iis diſcat futura poſteritas varios eſſe temporum curſus, memineritque prudenter bellum in pace timere, ac pacem iterum ſperare poſt bellum. Quoniam ergo Regni filius ego ſum, qui legerit, non me cauſetur deteſtando ſi Regni geſta ſcribo, diffuſius autem de contingentibus quid de cunctis dicendo: & ſi non proſint ſingula, quæque juvant, & Dei potius eſt, quam hominis, omnium habere memoriam. Sumens proinde a tempore quo Guillelmus Rex Siciliæ inclytus recolendæ memoriæ obiit, Pontificatus vero Clementis Papæ anno ſecundo, per Chronicam hæc incluſi, quibusdam præmiſſis in laudem Regio ipſius, & quæ Regni tangunt negotia, ac relatu digna ſunt non omiſſis, in ejus nomine, qui os Zachariæ olim aperuit, os meum aperiat ad loquendum, & linguæ meæ vinculum ſolvat confidenter, ſingula quoque locum teneant ſortita decenter. *Explicit Prologus*.

Tempore quo Rex ille Chriſtianiſſimus, cui nullus in Orbe ſecundus, Regni hujus moderabatur habenas, qui inter omnes Principes Princeps ſublimis, & abundans in omnibus opibus erat, ſtirpe clarus, fortuna elegans, virtute potens, ſenſu pollens, divitiis opulentus: erat flos Regum, corona Principum, Quiritum ſpeculum, nobilium decus, amicorum fiducia, hoſtium terror, populi vita, & virtus, miſerorum, inopum, peregrinantium ſalus, laborantium fortitudo; legis, & juſtitiæ cultus tempore ſuo vigebat in Regno, ſua erat quilibet ſorte contentus, ubique pax, ubique ſecuritas, nec latronum metuebat viator inſidias, nec maris navita offendicula piratarum. Sed licet tot, & tantis eum ditaverit, & dotaverit bonis, per quem Reges regnant, & Principes dominantur, feceritque illum præ cunctis terræ Regibus glorioſum, in hoc tamen inglorioſum illum reddidit, quod eum prolis negatione multavit. Concluſit enim uterum conſortis illius, ut non pareret, vel conciperet filium, & ne relinqueret ſui ſuperſtitem ſuper ter-

terram. Quapropter conſiderans Rex ipſe felicitatis ſuæ tempora a Domino accepiſſe, & quod eum abſque liberis ſors fecerat infelicem, cogitavit, ut ſapiens ſapienter placare Dominum, ut fœcundam redderet, quam ſterilem fecerat, cogitavit de theſauris ſuis ædificare ſibi domum in Monte-Regali ad honorem glorioſæ Virginis Matris ejus, quam ditavit, compſit, & auxit. Ditavit poſſeſſionibus, compſit auri ornatu, auxit & muſivo opere, lapidumque pretioſorum colore diverſo, & talem ad finem uſque perduxit, qualem nullus Regum, aut Principum in toto terrarum Orbe conſtruxit temporibus noſtris.

Erant ipſi Regi duo familiares præcipui, opere apud ipſum, & ſermone potentes, Gualterius Panormitanus Archiepiſcopus, & Matthæus Cancellarius Regni ſui, quorum prudentia, & conſilio tota ipſius Curia ducebatur. His duobus quaſi duabus columnis firmiſſimis, omnes Regni Magnates obſequendo adhæſerunt, cum per eos quidquid a Curia Regia peterent, facilius impetrarent. Hinc factum eſt, ipſo Cancellario ſuadente, ut Rex ipſe in prædicta Eccleſia Beatæ Virginis in diœceſi Panormitana conſtructa, fieri a Romana Eccleſia Archiepiſcopus impetraret, quod idem Archiepiſcopus ad inſtinctum ipſius Cancellarii factum intelligens (nam odio ſe habebant ad invicem, quamquam ſe in pubblico diligere viderentur; & per invidiam detrahentes, libenter unus alteri in occulto) hanc ſuam injuriam, & capitis diminutionem patienter portavit ad tempus. Qui tandem proceſſu temporis cum non poſſet, quod factum fuerat per Eccleſiam, revocare, hoc fide ſubdola procuravit. Erat ipſi Regi amita quædam in palatio Panormitano, quam idem Rex de conſilio jam dicti Archiepiſcopi, Henrico Alemannorum Regi filio Friderici Romanorum Imperatoris in conjugem tradidit. Quo etiam procurante factum eſt, ut ad Regis ipſius mandatum, omnes Regni Comites ſacramentum præſtiterint, quod ſi Regem ipſum abſque liberis mori contingeret, amodo defuncto Rege, tanquam fi-

 deles

deles ipſi ſuæ amitæ tenerentur, & dicto Regi Alemanniæ viro ejus.

Anno MCLXXXIX. Accidit autem proceſſu temporis, ut Rex ipſe, cujus memoriale in ſeculum, ſicut Domino placuit, ſine liberis menſe Novembri decederet, cujus deceſſum a cunctis Regni filiis merito deplorandum detteri hac Rhythmica lamentatione percenſui.

Plange planctu nimio Sicilia,
Calabriæ Regio, Apulia,
Terraque Laboris, vox mœroris
Intonet & perſonet noſtris oris,
Suſpendatur organum omnis oris.
Rex noſter amabilis virtute laudabilis,
Ævo memorabilis Guilielmus deceſſit.
Hunc oppreſſit mors crudelis, o infelix
Regnum ſine Rege, jam non es ſub lege.
Præſules, & Comites, vos Barones plangite
Planctu lacrymali, planctum quæſo ducite de querela flebili.
Vos Matronæ nobiles, virgines laudabiles
Olim delectabiles, & voce cantabiles
Modulata, eſtote nunc flebiles re turbata.
Jacet Regnum deſolatum, diſſolutum & turbatum,
Sicque venientibus cunctis patet hoſtibus.
Eſt ob hoc dolendum, & plangendum omnibus.
Omnes Regni filii tempus exterminii
Vobis datum flere, hoc verbum gaudere
Vobis eſt ſublatum, tempus pacis gratum
Eſt abſorptum, jam ad ortum & occaſum ſonuit:
Rex Gulielmus abiit, non obiit.
Rex ille magnificus, pacificus,
Cujus vita placuit Deo, & hominibus,
Ejus ſemper ſpiritus Deo vivat cælitus. Amen.

Poſt hujus Regis obitum, quanta inter Regni Comites ſit orta diſſenſio, & turbatio ſubſecuta, ſequens hujus libelli

belli lectio declarabit, nam nulli eorum fuit æqua voluntas. Omnes inter ſe cœperunt de majoritate contendere, & ad Regni ſolium aſpirare, & obliti jurisjurandi; quod fecerant, eorum quilibet contra facere anhelabat. Factum eſt autem, ut cum ſuis complicibus, ne pars Archiepiſcopi prævaleret, Cancellarius obtinuerit in hac parte, & tunc vocatus Panormum Tancredus Comes Licii, Romana in hoc Curia dante aſſenſum, eſt per ipſum Cancellarium coronatus in Regem.

MCXC. Tancredus iſte Ducis Rogerii filius fuerat naturalis, cujus pater Rogerius primus in Regno Siciliæ Regis ſortitus eſt nomen, & hac de re, quia hunc tenebat titulum, quod de ſtirpe Regia deſcendiſſet, inter alios Comites eſt electus in Regem. Qui poſtquam aſſumptus eſt, laboravit pro viribus, qualiter Regni fines in pace diſponeret, & ſibi rebelles, ac adverſarios ſubjugaret. Et primum quidem quinque Saracenorum Regulos, qui ob metum Chriſtianorum ad montana confugerant, de montanis ipſis Panormum redire coegit invitos, atque ut cæteros Regni Comites, ac Barones ad ſuam fidelitatem converteret, & mandatum, Regales effudit opes, & diu ſervatas eſt auſus frangere gazas. Hic Richardo Acerrarum Comiti, cujus ſoror ſua conjux erat, de qua geminam ſuſceperat prolem, auri talenta plurima expendenda tranſmittit, quibus omnes de Principatu, & Terra-Laboris eidem Regi contrarios, flexit ad mandatum ipſius. Tunc & Roffridus Caſinenſis Abbas ipſi Regi juravit.

Erat ea tempeſtate in Apuliæ finibus Rogerius quidam Andriæ Comes, qui ſe non reputabat dicto Rege inferiorem, cum tempore memorati Regis Guillelmi totius Regni Magiſter Juſtitiarius fuerit, & in Apulia plenum tunc dominium exerceret. Hic telo percuſſus invidiæ de Tancredi Comitis promotione in Regem, ſibique ſubeſſe dedignans, contra ipſum ſeditione facta turbare ad eum converſos pro viribus cœpit, miſitque quamcito ad Henricum

Alemanniæ Regem, quod veniret, vel mitteret, Regnum Siciliæ ſibi jure uxoris pertinens, quod Tancredus Comes Licii uſurpaverat, recepturus. Qui abſque moræ periculo quendam Henricum Teſtam Imperii Mareſcalcum, cum multitudine gravi mittit in Regnum, & veniens in Apuliam, nullo obſtante, ad ipſum Andriæ Comitem, primum Caſale quoddam, quod Cornetum dicitur, ad Abbatem Venuſii pertinens, pro eo quod Abbas loci ipſius in partem ceſſerat dicti Regis, hoſtiliter intrans cum prædicto Comite, & ſuis dedit in direptionem, & prædam, & quæ potuit dicti Regis parti faventibus mala irrogans, tandemque cum minorificato exercitu in Alemanniam reverſus eſt.

Dictus vero Andriæ Comes in Apulia remanens firmata Roccha Sanctæ Agathæ, quam tunc ipſe tenebat, de ſuis confiſus viribus, ſe in Aſculo recipit contra Regem, quem dictus Acerrarum Comes intus circumpoſita obſidione coarctans, cum flectere illum precibus, & promiſſis non poſſet, vocatum ipſum ad colloquium, quadam die proditorie cepit, & miſerabili morte damnavit.

Eo anno Fridericus Romanorum Imp. cum ingenti Cruceſignatorum exercitu Hyeroſolymam petens, ſiniſtrante fortuna, in quodam flumine moritur. Henricus filius ejus Italiam ingreditur.

Rex Franciæ, & Rex Angliæ Cruceſignati Hyeroſolymam petunt, qui venientes Meſſanam, orta inter eos diſcordia, partem civitatis igne cremarunt, quos dictus Rex Tancredus magnis honorans xeniis, ne civitatem Meſſanæ deſtruerent, cum multis precibus impetravit, qui tandem Hieroſolymam proficiſcentes, ac pro fide Chriſti certantes civitatem Aconitanam, quam infideles tenebant, Chriſti faciente virtute, in manu potenti recuperarunt.

MCXCI. Clemens Papa Romæ obiit menſe Martii, ac Hyacinthus Diac. Card. in Cœleſtinum Papam conſecratur.

Rex dictus Tancredus de Sicilia in Apuliam veniens, ſolemni Curia apud Thermulas habita, in Aprutium vadit,

dit, Comitem Raynaldum obſidet, eumque ad ſuam redire fidelitatem coegit, & exinde Brunduſium ſe conferens de altero filiorum ſuorum Rogerio ſcilicet cum Iſachio Conſtantinopolitano Imperatore de Urania filia ſua contraxit, & nuptiis apud Brunduſium magnifice celebratis, ibique dicto filio ſuo coronato in Regem, Rex dictus cum triumpho, & gloria in Siciliam remeavit, & tunc Roccham Bantre, & Roccham Guillelmi Roffrido Caſinenſi Abbati aſſignari mandavit, quarum alteram ſcilicet Roccham Guillelmi ipſe Abbas dedit cuidam nobili Roberto de Apolita, cum quo de ſorore ſua contraxit, quam Herveo filio ipſius nobilis in conjugem tradidit, & reliquam ſcilicet Roccham Bantræ ad opus retinuit Monaſterii Caſinenſis ponens in ea cuſtodem quemdam militem Petrum de Aymon conſobrinum ſuum.

Henricus Rex cum Conſtantia conſorte ſua, ad quam Regnum Siciliæ jure ſucceſſorio pertinebat, Romam venit; quem dictus Cœleſtinus Papa apud S. Petrum in Imperatorem, & conſortem ſuam in Imperatricem coronavit. Dato ab ipſo Imperatore Tuſculano Romanis, quam funditus deſtruxerunt.

Tunc Imperator ipſe Regnum intrat menſe Martio, Papa prohibente, & contradicente, & per Campaniam venit in Roccham arcis, quam Mathæus Burellus pro ipſo Rege tenebat; a bellatoribus ſuis aggredi faciens, vi cepit eamdem. Quod tanti cauſa timoris fuit, ut qui ſe in Caſino receperant cum rebus ſuis homines Sancti Germani, per Nuncios ſuos, quos ad eumdem Imperatorem mittunt, fidelitatem jurent. Tunc enim dictus Roffridus Caſinenſis Abbas in Monaſterio Caſinenſi graviter infirmabatur, quem urgentibus ipſis hominibus Sancti Germani oportuit ipſi Imperatori jurare. Sorella quoque, Atinum, caſtrum Cœlii, metus cauſa, ipſi Imperatori ſe reddunt, in quibus ipſe ſuos poſuit Capellanos. Tunc Comes Fundorum, & Comes Moliſii fidelitatem præſtant eidem, & procedens in Ter-

Terram-Laboris, Theano, Capua, & Averſa ſibi dantibus manum, Guillelmum Caſertæ Comitem recipit, & Averſam. Et exinde ſuper Neapolim vadens, eam poſita obſidione coarctat, coadſiſtentibus ei dictis Comitibus, & Baronibus Principatus, necnon & Abbate Caſinen. prædicto cum viribus ſuis, in qua cum ſe contra eum recepiſſet dictus Acerrarum Comes, pro ſæpe dicto Rege ſatis ſtrenue defendit eandem: tunc Salerni civitas ipſi Imperatori ſe reddidit, ubi Imperatricem conſortem ſuam moraturam transmittit, & ipſe civitatem ipſam Neapolim crebro aggreditur, & impugnat. Cumque nec viris, nec viribus pugnando proficeret, ſuperveniente ægritudine digreſſus eſt abinde vel invitus, qui relicta Imperatrice conſorte ſua Salerni, & Muſcancervello in caſtello Capuæ conſtituto, ad Sanctum Germanum veniens, cum debilitato exercitu ſuo dictum Caſinenſem Abbatem, toto tunc conventu ſibi fidelitatem præſtante, ſecum in Alemanniam ducit, Gregorio fratre ejus ad majorem ſecuritatem obſide relicto apud Ducem Spoleti, & quibuſdam de melioribus terræ Sancti Germani captis obſidibus, quos Diopuldo cuidam Theutonico in Rocca arcis relicto, & Gorrado de Marlei in Sorella conſtituto, cuſtodiendos commiſit. Et tunc per terram Petri Celani Comitis ſub illius fido ducatu de Regno exiens in Alemanniam remeavit menſe Septembri. Tunc is, quem præfatus ſum, Acerrarum Comes de Neapoli exiens cum Neapolitanis, & aliis undique collectis militibus, venit Capuam, caſtellum obſidet, in quo Muſcancervellus ſe pro Imperatore receperat, qui cum non haberet victui neceſſaria, cum Comite ipſo componens, tradito ſibi, ac reſignato caſtello ipſo, abiit ſecurus quo voluit. Tunc & Averſam recipit, Theanum, & Sanctum Germanum ad Regis dicti revocavit fidelitatem, & Caſinum conſcendens, vallum Monaſterii, nullo obſtante, intravit. Qui cum blande ſatis alloqueretur Adenulphum Caſertanum Decanum Caſinenſem, ut illum ad dicti Regis fidelitatem converteret, & hoc ab eo

eo precibus obtinere, & promiſſis non poſſet, de loco deſcendit, & abiit. Tunc Comitem Moliſii recipit, & ponens in Sancto Germano, & in Sancto Angelo Teodicio Maſnedam, quantum poteſt pro ſervitio dicti Regis ſororii ſui elaborat. Tunc Richardus Fundanus Comes pro eo, quod ab Imperatore ipſo Sueſſam emerat, & Theanum, metus cauſa, Comitatu relicto, in Campaniam ſeceſſit: & Comitatus Fundanus cuidam fratri Aligerni Cottonis de Neapoli ab ipſo Rege concreditur. Adenulphus Caſertanus Decanus Caſinenſis pro eo, quod in partem non ceſſit ipſius Regis a Cœleſtino Papa excommunicatus eſt, & Monaſterium ſuppoſitum interdicto, Salernitani ad captandam Tancredi Regis gratiam, detentam Imperatricem ipſi Regi in Siciliam mittunt. Quam Rex ipſe debito cum honore recipiens, magis ornatam muneribus in Alemanniam ad Imperatorem remittit. Eo anno quidam ſtultus Paganus Dominus Caſalverii Theutonicum quemdam ab Imperatore in Atinq relictum dolo interficit, & a dicto Rege apud Atinum, quidam Rogerius de Foreſta dirigitur.

MCXCII. Dictus Adenulphus Caſinenſis Decanus facta compoſitione cum Diopuldo Roccæ Arcis Caſtellano, ſe pro Imperatore gerebat. Congregato militari, & pedeſtri exercitu in Campaniam quos prece, pretioque conduxerat, de Caſino deſcendens menſe Januario, vi cepit caſtrum Sancti Petri Monaſterii, & bonis propriis ſpoliavit: de civitate Sancti Germani uſque ad Eccleſiam omnium Sanctorum occupavit, non tamen abſque ſtrage plurima Campanorum. Et pace tandem hinc inde clamata, tota terra ipſi Decano ſe reddidit. Et tunc de Sancto Germano nonnulli, qui dicti Regis partem fovebant, in partem alteram receſſerunt, quorum bona omnia a Theutonicis ſunt direpta. Tunc idem Decanus cum præfato Diopuldo terram equitans cum inſigniis Monaſterii relictum caſtrum Plumbareolæ occupavit, vi cepit caſtrum Pignatarium, caſtrum S. Angeli, Pontem Curvum, Caſtellum novum, Fracte, & quædam alia caſtra pro jam dicto Rege ſe tenentia. Illis

Illis diebus Richardus Caleni Comes, qui erat pro parte Regis Tancredi, venit ſupra S. Germanum cum Rogerio de Foreſta Caſtellano Atini ad devaſtandum. Captus eſt eo anno Gottefridus Caſertanus ab illis de Sancto Angelo, & in captionem ductus, poſtmodum a Malqu. Sorellæ jam dicto Caſtellano Atini in cuſtodiam traditus.

Dictus Diopuldus apud Aquinum cum quodam Regis Logotheta concreditur, quem campeſtri bello fugatum devicit, multis ex ſuis captis, multiſque in lacu ſummerſis, & ex tunc vires creſcunt ipſi Diopuldo, qui cum Conrado Caſtellano Sorellæ ſocietate contracta, equitant in terram Sueſſæ, oves, & boves, necnon & miſeros homines capiunt, & eos ad ſe redimendum poſt multa tormenta compellunt. Tunc temporis vocatus ipſe Diopuldus a Guillelmo Caſertæ Comite, qui pro Imperatore erat, cum gente ſua vado fluvium Capuæ tranſiens ivit in Terram Laboris, & equitans ſuper Capuam, exeuntem contra ſe Richardum Caleni Comitem cepit, & ad Roccham arcis duxit captivum.

MCXCIII. Roffridus dictus Caſinenſis Abbas de Alemannia rediens, relicto ibidem obſide Gregorio germano ſuo, cum nonnullis, quos ſecum duxerat, electis militibus Cominum intrat, Atinum foras devaſtat, incolatum occupans Sanctæ Mariæ de Atino, & dirui faciens muros Cancelli, & portam ejus, vi cepit Gallinarium, & bonis propriis ſpoliavit, rediens vero ad terram Monaſterii, caſtrum Sancti Angeli Theodicii ſibi contrarium, quia partes Regis Tancredi fovebat cum Conrado Caſtellano Sorellæ, & cum gente ſua, licet non profecerit, vehementer impugnat, faciens quam potuit in exterioribus vaſtitatem.

Eo anno Rex Angliæ ab Hieroſolymis rediens a Duce Auſtriæ retentus, & captus eſt, & Imperatori traditus. Qui tandem non ſine multæ pecuniæ interventu, dimiſſus eſt.

Bertholdus Comes ex parte Imperatoris in Regnum legatus mittitur, qui veniens cum electis militibus, & bellatoribus de Florentia, iis ei faventibus, qui partem Impe-

peratoris fovebant, & convenientibus ad eundem, Venafrum in feſto B. Martini vi cepit, & ſuis dedit in direptionem, & prædam. Tunc Comes Rogerius de Moliſio metus cauſa, quia ſe in partem Regis dederat, in Roccham Magenul ſe recipit. Bertholdus vero coadſiſtentibus ei Muſcancervello, Diopuldo, & Conrado prædictis, necnon & Abbate Caſinenſe, Fundano, & Caſertano Comitibus, cum viribus ſuis caſtrum Sexti, ubi Landus de Montelongo Comeſtabulus erat cum quibuſdam Campanis militibus pro parte Regis Tancredi, vi cepit, ipſoque caſtro bonis propriis ſpoliato, ipſum Landum cum ſociis ſuis captivum duxit, quorum libertati poſt multa ſupplicia, pietatis cauſa non profuit, niſi redimi profuiſſet. Roccham etiam Ravennule aggredi a ſuis bellatoribus faciens, per inſultum cepit, Vairanum acriter impugnans, ubi quidam erat Rogerius de Theate pro Rege ſtatutus, in nullo profecit. Demum ſuccreſcentibus ei viribus, & ad eum undique concurrentibus, qui Regis partem oderant, Regnum Imperiali nititur ſubjicere ſervituti. Rex vero Tancredus de Sicilia in Apuliam veniens exercitum congregat copioſum, volens Bertholdi vires oppoſitis viribus impedire. Cui dictus Bertholdus cum ſuis, ac aliis de Regno Imperialem partem foventibus, utpote vir magnanimus viriliter ſe opponit, & Rege ipſo ſe cum ſuo exercitu apud Montem Fuſculum conferente, ipſe contra eum vadens, apud Battiacanum poſuit caſtra ſua, cupiens cum ipſo Rege habere congreſſum. Id ipſum pars Regis, ad quem vires undique confluebant, optabat. Sed conſpiciens Rex ipſe, & in conſilio habens, quod honor ſibi non erat cum Bertholdo congredi, & Bertholdus cernens debiliorem partem ſuam, prœlium ſapienter declinavit uterque, & diſcendente inde Bertholdo, qui Laquedorum hoſpitatus eſt, Rex ipſe movet a Monte Fuſculo caſtra ſua. Tunc Bertholdus per Capitaniatam rediens in Comitatum Moliſii, caſtrum montis Rodonis, quod ſe pro Rege tenebat, circumpoſita obſidione coarctat, ibique die quo-

quodam cum illud aggredi faceret a pugnatoribus ſuis, lapide manganelli contritus occubuit, eique Muſcancervellus in Ducem ſucceſſit exercitus, qui tandem caſtrum ipſum obſidione firmata per ſitim capiens, non per vim, quos cepit incolas, variis cruciatibus ſine ſpe veniæ interemit.

Rex vero Tancredus tunc caſtrum Sabiniani vi cepit, & quemdam Sarolium capiens ipſius caſtri dominum, qui de Rege ipſo multum fuerat oblocutus, ſuſpendi juſſit; recepit etiam Roccham Sanctæ Agathæ, quam quidam Robertus de Calagio dicti Comitis Andriæ filius contra eum tenebat. Apud Sariciam cepit quemdam Robertum filium Rizardi, & tanquam ſibi rebellem punivit. Exinde veniens in Terram-Laboris Comitem Caſertæ recipit, & Averſam. Sanctagathenſis quoque civitas, ac Teleſia, quæ tota poſtmodum combuſta eſt, venerunt ad mandatum ipſius. Tunc accerſito ad ſe Roberto de Apolita, abſtulit ei Roccam Guillielmi, & quemdam in ea Andream de Theano poſuit Caſtellanum, ſicque relictis in pace Apuliæ finibus, & Terra-Laboris, Rex ipſe in Siciliam remeavit, ubi ordine naturæ præpoſtero Rogerius filius ejus, qui coronatus in Regem fuerat, viam eſt univerſæ carnis ingreſſus, & frater ejus Guillelmus in Regem ſucceſſit eidem. Ipſe quoque Rex doloris punctus aculeo, brevi poſt tractum temporis infirmitate correptus obiit.

MCXCIV. Dictus vero Henricus Imperator parato navali, & terreſtri exercitu, Regnum intrat, illum Roffridus Caſinenſis Abbas magnifice excipit, necnon & Fundanus Comes, ac alii omnes Theutonici, & Latini, ſuum præſtolantes adventum, cum quibus Terram-Laboris ingrediens, Neapolim recipit, Salernum ſibi renitentem vi cepit, ac ſuis dedit in direptionem, & prædam. Tunc dictus Adenulphus Caſinenſis Decanus procurationem Abbatiæ Venuſii ab Imperatore recepit. Imperator vero Apuliæ fines nullo obſtante ingrediens, omnes Apuliæ recipit civitates, ad mandatum, & fidelitatem ſuam convertens; dicto Caſinen-

ſinenſe Abbate præeunte, cujus fidei puritas ſatis erat ipſi Imperatori experta, cui certam procuram, auctoritatem, & poteſtatem contulerat, ut venire ad ſuam fidelitatem volentes, per eum veniam mererentur.

Tunc ipsi Abbati caſtrum Malvesi ad opus contulit Monaſterii Casinensis, & Pharum præteriens navigio, Meſſanam recipit, totamque Siciliam, & Panormum properans, recipit civitatem ipſam, & cunctum palatii diripuit apparatum. Tunc uxor Regis ſoror dicti Comitis Acerrarum cum filio ſuo parvulo Guillelmo præfato propter metum Imperatoris ad locum tutiorem ſe contulit, Panormum deſerens, cum qua facta compositione, cum per vim locum in quo erat, obtinere non poſſet, Imperator ipſe ſecuritate præſtita recipit eam, & filium ad manus ſuas, quos Muſcancervelli cuſtodiæ tradidit, & ex eis fecit ſuæ beneplacitum voluntatis.

Tunc dictus Casinensis Abbas conceſſionem ab ipſo Imperatore de Atino recipit, & de Rocha Guillelmi, & filium Rogerii de Foreſta in Atino Caſtellanum ab ipſo Imperatore recipiens, & mandatum per literas ad Andream de Theano Caſtellanum Rocchæ Guillelmi, ut sibi Roccham ipſam aſſignare deberet, dictus Abbas in ſua reverſus eſt.

Imperator ipſe in die Natalis Domini regens Panormi Curiam generalem præfatam Reginam, & filium ejus, necnon & alios quamplures Præſules, & Comites Regni, quibus ipſe proditionis notam imponebat, judicio Petri Cælani Comitis capi fecit, & ex ipsis quosdam orbavit quosdam incendio, quosdam ſuſpendio, & quosdam in Alemanniam exilio deſtinavit.

Tunc Imperatrix Exii civitate Marchiæ filium peperit nomine Frederic. me. Dec. in feſto S. Stephani.

MCXCV. Roffridus Casinensis Abbas tractatu quorumdam de Atino nocturno tempore introductus, Atinum recipit, dictum Rogerium de Foreſta Caſtellanum intus ar-

ctat, & obsidet, qui cum non haberet victui neceſſaria, recepta de perſona, & rebus ſuis ſecuritate ab Abbate prædicto, & compositione facta cum eo de caſtro Sancti Petri in fine, quod recepit ab ipſo, & fidelitatem juravit eidem, caſtrum Atini in manus reſignavit ejusdem: Roccham Guillelmi etiam ab Andrea de Theano recipiens, fidelitate quoque ab eo recepta, & caſtrum Cucurutii conceſſit illud tamen de Imperiali mandato cuidam Tancredo de Vero conceſſit, fidelitatis ab eo juramento recepto.

Hoc anno dictus Caſinenſis Abbas caſtrum Tirelli vi capiens igne cremavit.

MCXCVI. Imperator in Alemanniam redit, qui Muſcancervello Moliſii Comitatum concedit, & tunc Rogerium Moliſii Comitem, qui ſe ob metum Imperatoris in Roccham Mugenul receperat idem Muſcancervellus arctat, & obſidet, cum quo facta compositione, & data sibi ſecuritate, & ſuis, Roccham ipſam recipit, eumque extra Regnum abire permiſit, ubi proceſſu temporis mortuus eſt. Dictus Caſinensis Abbas caſtrum Fractarum receperat, & Caſtellum novum, caſtrum vero Sancti Angeli Theodici, quorum habitatores mala innumera per ſe fecerant in terram Sancti Benedicti, & per ſervientes, quos ad ſolidos retinuerant, caſtrum combuſſerant Pignatarii, per proditionem obtinuit, & recepit ad fidelitatem ſuam, & Monaſterii Caſinensis, quibus tamen dignas pro meritis pœnas rependit, & ſub prætextu quorumdam verſuum, quos ibidem invenit, quos hic annectere otioſum non cenſui, muros ipsius caſtri ſterni ad ſolum fecit, & aggeres illius repleri. Verſus enim tales ſunt.

Peſſimus Alboinus, Landulphus, ſervus Aquinus
Petrus Roggerus, Philippus valde ſeverus,
Simon, ac Andreas, Adenulphus ut alter Egeas
Sunt hi Rectores per quos ſervantur honores.
Hi dictant bella, cædes, immenſa flagella,
Dantes edictum, venerentur ne Benedictum?

Eo

Eo tempore dictus Richardus Acerrarum Comes Regnum exire occulte volens, & a facie fugere Imperatoris, relictis Campania, & Burgentia munitionibus, quas tenebat, proditus a quodam albo Monacho, cui ſe crediderat, captus a jam dicto Diopuldo eſt, & cuſtodiæ traditus carcerali, Cæſari aſſignandus. Qui de Alemannia Vormacienſem Epiſcopum miſit Legatum in regnum, qui Neapolim veniens cum jam dicto Caſinenſe Abbate, Latinis etiam aliis, & Theutonicis, Imperiale implens mandatum, Neapolis muros, & Capuæ funditus fecit everti.

MCXCVII. Imperator ipſe de Alemannia rediens, aſſignatum ſibi a Diopuldo Rocchæ arcis Caſtellano dictum Acerrarum Comitem, cum apud Capuam Curiam regeret generalem, trahi ab equo primum per plateas Capuæ, & demum verſo deorſum capite ſuſpendi vivum jubet. Quem viventem poſt biduum, quidam Imperatoris hiſtrio Theutonicus cognomine Follis, ut ipſi Imperatori placeret, ligato ad guttur ejus non parvo lapidis pondere, ipſum turpiter exhalare coegit. Tunc Imperator ipſe generalem toti regno collectam imponit. Tunc ipſe Diopuldus per Imperatorem Comes factus eſt Acerrarum. Tunc etiam Oddo frater ipſius ad expugnandum Rocchamſiccam, in qua ſe Raynaldus, & Landulphus de Aquino fratres contra Imperatorem receperant, ab ipſo Imperatore dirigitur, & ipſe ſe confert in Siciliam Imperator, ubi ad ſe duci Imperatricem jubet, qua in Panormi palatio conſtituta, quidam Guillelmus Monachus, qui Caſtellanus erat caſtri Joannis, rebellavit Imperatori, ad quem obſidendum cum ipſe perſonaliter accederet Imperador, ſuperveniente ægritudine, abinde infirmus diſcedens, ſicut Domino placuit, diem clauſit extremum. Et tunc fama diſcurrente per regnum dictus Oddo frater Diopuldi Comitis, rupta obsidione Rocchæ-Siccæ diſcedit; & ſe contulit ad Roccham Arcis.

Imperatrix Panormi remanens, in veſte lugubri de nece Imperatoris viri ſui, Regnique paci conſulens, & quieti,

Mar-

Marculdum Imperii Seneſcalcum, cum Theutonicis omnibus de Regno excluſit, ipſumque ne amodo Regnum ingredi, abſque ſuo juſſu, præſumeret, ne ve remaneret in Regno, coegit. Qui ipſius cum Imperatricis literis, & ducatu, ad Comitatum Moliſii veniens, qui tunc Marchia vocabatur, & ſibi favebat, cum illum ſibi, Muſcancervello mortuo, conceſſerit Imperator, ſub ſecuro Cardinalium conductu; & ſecuritate ſupradicti Petri Cælani Comitis, cui propterea Vairanum tradidit, relictis in ipſo Moliſii Comitatu Caſtellanis ſuis, & Bajulis, ad Anconæ Marchiam ſuo proprietario dominio ſubditam ſe contulit, ubi cum ſuis ſequacibus innumera mala commiſit.

Cœleſtinus Papa obiit, & Lotharius Cardinalis in Papam Innocentium ſubſtitutus eſt illi.

Imperatrix filium ſuum in Marchia apud Heſim civitatem relictum ſub ducatu dicti Cælani Comitis, & Berardi Laureti Comitis, & Cuperſani, ad ſe duci jubet in Regnum, & de Apulia in Siciliam tranſmeare. Tunc quidam in Calabria Theutonicus, nomine Fridericus, cum nollet Imperatrici favere, ſe in Malveti caſtro recipiens, quod furto ſubſtulerat cuidam Mauro de Mira ibidem Caſtellano ſtatuto pro Monaſterio Caſinenſe, juſſu Imperatricis ipſius, a Comite Amphuſo de Rotis cæteriſque Calabriæ nobilibus, in ipſo Caſtro obſeſſus eſt, & arctatus. Qui dum aliter evadere ſe non poſſe conſpiceret, dolo cogitavit capere obſidentes obſeſſus, & vocatos eos die quadam ſemotim ab aliis, cum eis fidem dediſſet, quod redire vellet ad Imperatricis mandatum; captos Capitaneos cepit, eouſque de perſonis punivit, ut voluit.

MCXCVIII. Imperatrix ipſa proceſſu temporis obiit, & prædictum filium unicum Fridericum, & Regni Balium Innocentio Papæ ex teſtamento reliquit, dictus vero Marcualdus cognito de morte Imperatricis, congregato malignorum exercitu, quos prece, pretiove conduxerat, Regnum, non ſine illorum, qui erant de Regno, auxilio, & du-

ducatu intravit, & veniens in Comitatum Moliſii, in quo fidei ſuæ reliquiæ ſervabantur, ad dictum Caſinenſem Abbatem pro pace Legatos miſit, per quos etiam ipſum, ut ſibi Regni juraret Balium, quod ſibi Imperator reliquerat, ut dicebat, requiſivit, quod vero a prædicto Abbate obtinere non potuit. Nam primo Regni ipſius Balium dicto Innocentio Papæ juraverat, qui contra ipſum Marcualdum ad jam dictum Abbatem duos miſerat Cardinales, cum exfortio militum Campanorum ad auxilium terræ ſuæ, eumdemque Marcualdum excommunicationis vinculo innodaverat, & ſequaces illius. Ipſe ſui furoris impatiens, cœpit, more Theutonico, in terram Monaſterii deſævire.

MCXCIX. Menſe Januario. Hic per Venafrum veniens maledictus cum maledictis terram Sancti ingreſſus eſt Benedicti, & primo caſtrum Sancti Petri in fine deſertum ab incolis cauſa metus, nullo obſtante occupans igne cremavit. Caſtrum Sancti Victoris vi capiens, bonis propriis ſpoliavit, & movens exinde caſtra, Cervarium, & Toroclum, duo ſcilicet caſtra ab habitatoribus derelicta combuſſit, & ſeptimo intrante Januarii ante Sanctam Germanum in campis caſtrametatus eſt, & cum ad capiendam terram ipſam daret frequentes inſultus, capere vi tamen non potuit, hominibus Civitatis, ac militibus Campaniæ, qui in ea convenerant eo die, reſiſtentibus illi.

Tunc Diopuldus jam dictus, qui ad ipſum venerat Marcualdum, montem quemdam, qui Majo dicitur, cum ſuis occupans, ſua in eo tentoria fixit. Quod tanti cauſa timoris fuit omnibus de terra ipſa, cum ſupereminens eſſet Mons civitati, & poſſet de ſupernis Montibus ab hoſtibus facile occupari, quod idem Abbas nocte conſcendens, occaſione muniendi vallum Monaſterii, nonnulli de Civitate, cum ſuppellectili ſua ſe ad vallum contulerint memoratum, Cardinalibus ipſis mane ſequenti ſe recipientibus in ipſo Monaſterio cauſa metus, ſicque die ipſo, octavo ſcilicet Januarii, relictam ab incolis civitatem Marcualdus intravit,

Digitized by Google

vit, bonis propriis ſpoliavit, & quos in ea invenit, pœnis addixit variis, & tormentis, quibus pietatis cauſa non profuit, niſi redimi profuiſſet, nec contentus eo, quod terram occupaverat Monaſterii, ab obſidendum illud, & capiendum, cum in eo, cum multis Campaniæ militibus, & gente Civitatis non modica ſe concluſerint Cardinales, aſcendere voluit. Qui cum per dies aliquot poſita in Viridario obſidione, ipſum Monaſterium teneret obſeſſum, & Vallum ipſum per frequentes inſultus hoſtiliter impugnaret, capere per vim illud non potuit, Campanis, & aliis qui erant in Vallo conſtitutis militibus reſiſtentibus illi. Cumque firmata obſidione ad capiendum Monaſterium vehementer inſtaret, quod cum per vim non poſſet, credebat fame ſitive facile occupare, in die feſto Beati Mauri, mutata ſubito ſerenitate aeris, temporis inclementia facta eſt, & tanta inundatio pluviarum admixta grandinibus & imbribus multis, quod hoſtium tentoria ſtravit ad ſolum, propter quod, qui erant obſeſſi, & jam areſcere cœperant, aquis deficientibus in ciſternis, Deo, & Sancto Mauro debitas gratias retulerunt, & ab obſidione ipſa coacti ſunt recedere obſidentes. Tunc in deſcenſu montis, Caſtrum Plumbareolæ idem Marcualdus igne combuſſit, & rediens in Sancto Germano ira commotus, intus, & extra Civitatem domorum & tuguriorum vaſtitatem fieri mandans, caſtrum Sancti Heliæ affidatum combuſſit. Portas Sancti Germani, & mœnia ejuſdem in pleriſque locis everti fecit ad ſolum. Illis diebus cum viri nequam, qui erant cum ipſo Marcualdo, facerent in cæteris Eccleſiis, ſicut in aliis terræ domibus, ſtationem, & ſua in eis ludicra exercerent, ipſi Deo, & Sanctis ejus non verebantur injurias irrogare. Nam cum de cæteris Altaribus certas extraxiſſent Reliquias unus ex prædictis violare Aram Beatæ Virginis attentavit, qui ſtatim aridam ad ſe manum retraxit.

Alter cum Crucifixo, qui eſt in Eccleſia Sancti Germani, primo per lapidis ictum, demum per urinæ injectionem,

nem, in ipſum injurias graves inferret, roſa prius dentibus lingua, areſactus infelix, vitam ſtatim cum morte finivit, quod tantum ipſi Marcualdo terrorem incuſſit, quod facta compoſitione cum Abbate prædicto, terram exiens Monaſterii nono ſtante Februarii; habuit malo omine in anteriora progreſſum.

Eo tempore Richardus de Aquila Fundanus Comes, ut ſalvam faceret terram ſuam, Siſrido fratri Comitis Diopuldi filiam ſuam dedit in conjugem.

Tunc ipſe Marcualdus caſtrum Pontis Cervi, terram Sancti Angeli, & Caſtellum-Novum ipſi Comiti Diopuldo, & ſuis ſervanda commiſit, Diopuldus vero, qui ipſum Marcualdum antecedebat, & prædicabat, ut omnes de Regno ſe ad Marcualdum converterent, & Regni Balium jurarent eidem, a Guilielmo Caſertæ Comite captus eſt, & quandiu vixit, eum tenuit vinculatum, ſed eo mortuo, Guilielmus filius ejus accepta filia ejus in uxorem, liberum dimiſit illum. Marcualdus vero ad Apuliæ partes ſe conferens, Avellinum obſedit, & cum incolis civitatis ſe componens, diſceſſit ab obſidione, & procedens inde Vallatam, quoddam Caſale Apuliæ vi cepit, & ſuis dedit in direptionem, & prædam. Tunc Petrus Cælani Comes de Marſia venit in Terram-Laboris, Marcualdus vero de Apulia per Capitaniatum rediens in Comitatum Moliſii, Iſerniæ civitatem, cum exercitum tenere non poſſet, bonis propriis ſpoliavit, & procedens verſus Terram-Laboris, & Teanum oppugnans, capere vi non potuit illam. Exinde Salernum ſe conferens, quæ tunc Comiti Diopuldo ſavebat, & inde parato navigio, in Siciliam transfretat, & Panormum properans, facta compoſitione cum Comite Gentili de Palear, quem Gualterius Regni Siciliæ Cancellarius cuſtodem Regis, & palatii reliquerat, palatium Panormi recepit ad manus ſuas, & ſic totam poſtea Siciliam ſuis niſus eſt viribus ſubjugare.

Roffridus Caſinenſis Abbas caſtrum Sancti Angeli recuperat contra ipſum Marcualdum, & in Regis tunc pupilli

Digitized by Google

auxilium dictus Innocentius Papa quemdam dirigit Jacobum Andriæ poſtea Comitem, conſobrinum ſuum, cum militari exercitu, cum quo unum miſit de Cardinalibus, quem ipſi conſobrino ſuo, & toti exercitui præfecit, qui ipſum Marcualdum Campeſtri bello devicit, & fugavit. . . . . R. . . . Cardinalem in Siciliam . . . . . .

Diopuldus Comes cum aliquibus, cum quibus ipſe remanſerat Marcualdus, quibus adjuvantibus per Regnum mala innumera committebat, præſtito apud Venafrum corporaliter ſacramento de non offendendo amplius terram Sancti Benedicti, propter quod homines Sancti Germani ſibi non cavebant ab eo, ipſe Diopuldus cum perditorum numero nocturno tempore hoſtiliter terram Sancti Germani intravit nono die Martii, eamque dans in direptionem & prædam, miſeros, quos invenit in ea, homines, multis adjecit periculis, & tormentis, poſtque redimere ſe ſunt coacti. Abbas vero qui erat in civitate ipſa, fugit cum Gregorio fratre ſuo, ac in Atinum ſe recepit, & exinde ſe in Marſiam contulit, gentis auxilium a Cælani Comite petiturus. Qui cum illud dare denegaret eidem, ad Raynaldum Senebaldum fiducialiter ivit, qui totum argentum ſuum ſibi liberaliter tradidit, cum quo aliquot retinuit ſervientes, & baliſtarios, cum quibus rediens per montana, intravit nocturno tempore Monaſterium, quo cognito Diopuldus, cum ipſum Abbatem cum magnis crederet viribus rediiſſe, metus cauſa, depopulatam linquens terram Sancti Germani, exivit, & ſecum captivos quoſdam de terra ipſa, ad Roccam Arcis deduxit.

Eodem anno dictus Abbas Roccam Teani ſuper Sanctum Germanum firmavit, & providens indemnitati terræ ejuſdem, eam per circuitum muris firmavit, & portis & aggeribus communivit.

Diopuldus vero jam dictus menſe Junii apud Venafrum cum Comite Cælani congreditur, eumque campeſtri bello fugavit, cepitque tunc Berardum filium ſuum, quem apud Roccam Arcis captivum duxit. MCCI.

MCCI. Gualterius Brennenſis Comes in odium Theutonicorum in Regnum mittitur ab Innocentio Papa, qui apud Capuam congrediens cum ipſo Diopuldo, vicit, & fugavit eumdem; decimo menſis Junii, & exinde Teanum veniens, una cum Raynaldo tunc Capuano Archiepiſcopo, filio Cælani Comitis, Præſentianum ſe contulit cum eodem, ubi occurrens ei præfatus Caſinenſis Abbas, procedentes, petierunt Venafrum, quam civitatem idem Diopuldus tenebat: ille prædictus Cælani Comes timens cum ipſo Brennenſi Comite confœderatus eſt; & tandem civitas ipſa, procurantibus ipſo Caſinenſe Abbate, & Malger Sorello, in Vigilia B. Joan. Baptiſtæ igne cremata eſt, Arce ſuperiori ſe pro Diopuldo tenente. Exinde Aquinum ſe conferunt, ubi quidam erat in caſtello Caſtellanus, nomine Leucus, qui ſe Diopuldo tenebat, qui captus in ipſo caſtello eſt, & Aquini civitas reddita ad mandatum dicti Comitis Gualterii, qui eam Dominis Aquini, per quemdam Finagranum Domini Raynaldi de Aquino filium naturalem reſtituendam providit.

Eodem anno dictus Abbas Caſinenſis Caſtellum Novum, & Fractas recuperat.

MCCII. Dictus Comes Gualterius, cum jam dicto Caſinenſi Abbate in Apuliam vadit, qui Abbas una cum Petro Galloze Portuenſi Epiſcopo, legationis officiò fungebatur. Cumque ad dictum Comitem expugnandum memoratus Gualterius de Palear Cancellarius, cum Comite Manerio fratre ſuo, Diopuldo, & Oddone de Laviano Comitibus, congregatis undique viribus, ſub prætextu, quod ipſum Comitem Regis hoſtem dicebat & Regni, cum ipſo campeſtre bellum inierit apud Cannas, dictus Cancellarius cum Diopuldo præfato per ipſum Comitem ſexto Octobris devicti ſunt, & fugati; multis ex eis captis, & nonnullis gladio interemptis. Sunt etiam in prima qui ſteterant acie capti, Sifridus frater Diopuldi dictus Oddo de Laviano; & Petrus de Cælano, qui Comes dicebatur Civitatenſis;

qui autem fuga media evaſerunt, Cancellarius, & Comes Manerius frater ejus, receperunt ſe in Salpitanam civitatem, quæ favebat eidem. Diopuldus vero in Rocca Sanctæ Agathæ ſe receptavit. Dictus Caſinenſis Abbas in Apulia, habita de Diopuldo victoria, Legatus in Siciliam vadit, ubi dictus Marcualdus, ſuperveniente dyſſenteria, miſerabiliter expiravit: fames tunc valida per totum Regnum exorta eſt. Diopuldus ſæpefatus iratus a Finagrana, qui cum . . . . . diſcordi a Comite Gualterio receſſit, cum gente ſua properat ſuper Sanctum Germanum, ubi idem Finagrana, & quidam ipſius Diopuldi Caſtellanus capti ſunt, & gladio perempti.

MCCIII. Diopuldus ipſe a Caſtellano Sanctæ Agathæ eſt captus vi, poſtea liberatus.

Eo anno Franci cum Venetis componentes, civitatem Jaderæ . . . .

Civitatem Jaderæ ipſis rebellem Veneti vi ceperunt, & bonis propriis ſpoliarunt, nobiliſſimam Conſtantinopolitanam urbem aggredientes viriliter & potenter, ſicut Domino placuit, obtinuerunt, & poteſtati Romanæ Eccleſiæ, cui antea non intenderat, ſubjecerunt illam.

MCCIV. Dictus Comes Gualterius, cum Comite Jacobo Tricaricenſi, & Comite Rogerio de Theate confœderatus, ipſe tunc temporis Terracinam occupat, de Salerno vero ab ipſo Diopuldo, & gente ſua, & civibus Salerni, qui tenebat eandem, arcte ſatis obſeſſus eſt, & ſagittæ ictu, altero oculorum privatus, & tandem ipſorum Comitum auxilio liberatus eſt, ipſo Diopuldo, & ſuis de Salerno ſatis ignominioſe fugatis.

MCCV. Dictus Comes Gualterius cum ipſum Diopuldum dure ſatis & dire perſequeretur, ipſum tenens in Sarno obſeſſum, dum ſibi male ab hoſte caveret, ipſe Diopuldus in eum cum ſuis diluculo irruens, captus ab eo eſt, & cuſtodiæ traditus carcerali, ubi, modicum poſt, diem clauſit extremum. Tunc enim memoratus Cælani Comes, qui

qui civitatem intraverat Aliſæ, & Caſtrum civitatis viriliter expugnabat, quod ſe ad opus Diopuldi tenebat, audito de captione Comitis Gualterii, combuſta civitate Aliſæ diſceſſit. Dictus vero Diopuldus Salernum cum victoria rediens, quia turrim majorem ipſe tenebat, multos de Salerno cepit, & ut proditores punivit ut voluit.

MCCVI. Innocentius Papa Romam vocat Diopuldum ad ſe, ipſumque, & ſuos a vinculo excommunicationis abſolvit, tunc eum ipſius licentia Salernum reverſus eſt.

MCCVII. Hic parato Salerni navigio, in Siciliam transfretat, Panormum vadit, & tam palatium, quam Regem recipit Fridericum ad manus ſuas, ſed arctatus & obſeſſus in ipſo palatio a Gualterio de Palear Cancellario, captus ab eo eſt, & tandem nocturno tempore fugæ præſidio liberatus, veniensque per mare Salernum, exinde in Terram-Laboris ſe confert, ubi cum Neapolitanis iniens pugnam, & fugavit eoſdem, ſtrage magna facta ex eis, & Gifrido de Monte-Fuſculo, quem ſibi Capitaneum præfecerant, capto, & vinculis mancipato.

MCCVIII. Menſe Januario in Vigilia Epiphaniæ Roffridus Caſinenſis Abbas ſuperius memoratus, congregatis militibus, & ſervientibus terræ ſuæ, & Baronum circumpoſitorum, qui ſibi ex gratia libenter obſequebantur, una cum dominis Aquini, & Malger Sorello, civitatem Soræ, precantibus hoc quibusdam ipſius Abbatis conſanguineis, qui de Sora erant, nocturno tempore intrat, eamque ad opus recipit, & fidelitatem Innocentii Papæ, qui in ſuccurſum Abbatis ipſius, mittit Stephanum de Foſſa Nova Camerarium ſuum cum exfortio militum Campanorum; qui Conradum tunc Soræ Comitem ſe in Sorella recipientem, arctat, & obſidet, & malè ſibi caventem, intus Sorellam cepit, qui pro ſua redemptione Roccam Arcis in manus dicti Camerarii reſignavit. Tunc etiam Broccum, & Peſclum Solitum amiſit.

Eo anno Innocentius Papa in Vigilia S. Joannis Bapti-

ſtæ

ſtæ menſe Junio, venit ad Sanctum Germanum, ubi ab ipſo Abbate Roffrido magnifice receptus eſt tam ipſe, quam fratres ſui domini Cardinales in neceſſariis omnibus honorificæ procurati.

Tunc venientes ad ipſum Petrus de Cælano, & Riccardus Fundamus Comites cum eis de ſuccurſu Regis Friderici ſtatuit, & de defenſione Regni in hunc modum, videlicet, ut ipſi Comites ſint Magiſtri Capitanei, quibus ſuper iis omnes intendant a Salerno uſque Ceperanum, ſicut a mari uſque ad mare protenditur tractus terræ; ſalvo ſtatuto Regio, quo Cælanus Comes eſt Magiſter Juſtitiarius Apuliæ ac Terræ-Laboris, & ſalvo mandato Regio, quod factum eſt Comiti Fundano de civitate Neapolitana, ut ſit ſpecialis Rector ipſius, intelligentes hoc quantum ad propria negotia civitatis; ſed quantum ad ſuccurſum Regis, & ad defenſionem & ad pacem Regni, omnes communiter intendent his duobus. Quicumque ordinationem iſtam receperint, adinvicem ſibi pacem obſervent, & ſi quiſquam ab aliquo fuerit offenſus, non ſtatim reoffendat eumdem, ſed apud prædictos Comites querelam deponat; qui eam ſecundum rationem, ac Regni conſuetudinem faciat emendari. Qui autem ordinationem iſtam recipere noluerint, vel recuſaverint, tamquam hoſtes publici habeantur, & a cæteris impugnentur. Ducenti milites dirigantur in ſuccurſum Regis uſque ad Kalendas Septembris, moraturi per annum ſub illorum expenſis, a quibus fuerint deſtinati. Diſtribuantur autem ſecundum æſtimatorum arbitrium, quos ad hoc ſpecialiter deputabimus, penſatis debitis ſervitiis, & facultatibus Comitum, & Baronum, ac etiam civitatum. Quia vero propter æſtatis fervorem deſcendere in Apuliam perſonaliter non potuimus, ſtatutum iſtud mandabimus exequendum per Legatum noſtrum, qui eſt in Apulia, per Comitem Jacobum Conſobrinum, & Mareſcalcum noſtrum, & per alium, quem a noſtro latere dirigemus. In omnibus autem reſervamus nobis plenam pote-

poteſtatem addendi, minuendi, mutandi, & declarandi, prout viderimus expedire.

Tunc eidem Papæ Philippus Rex Alemanniæ patruus dicti Regis a ſuis nunciatur occiſus.

Tunc etiam rogatu Petri, cognomine Comitis, Decani Caſinenſis, ipſe Papa apud Sanctum Petrum Monaſterii, in Capella Sancti Nicolai, Aram quandam in honorem Beatæ Mariæ Magdalenæ conſegravit.

Dictus Papa relicta ſub depoſito parte Theſauri ſui non modica in Monaſterio, dictis Comitibus in ſua cum ipſius licentia redeuntibus, ipſe de Sancto Germano diſceſſit, & per Atinum iter faciens, quem dictus Abbas Roffridus tenebat, Soram ſe contulit, indeque in Campaniam reverſus eſt.

Eo anno comes Fundanus, ſupramemoratus, auctoritate fretus & vi Comitis Diopuldi Capuam recipit, a Capuanis vocatus, in odium dicti Cælani Comitis, cujus filius Rainaldus ipſius Civitatis Archiepiſcopus erat.

MCCIX. Fridericus Rex Siciliæ uxorem duxit Conſtantiam ſororem Regis Aragonum. Dictus Cælani Comes caſtellum Capuæ recipit a Leone de Andria Caſtellano, hoc filio ipſius dicto Archiepiſcopo procurante, & dictus Fundanus Comes, qui caſtellum ipſum tenebat obſeſſum, metus cauſa Capuam exiit.

Otho Dux Saxoniæ ab Innocentio Papa vocatus apud S. Petrum, in Romanum Imperatorem coronatur, non ſine ſtrage magna ſuorum, qui præſtito juramento de conſervando Regalibus S. Petri, & de non offendendo Regem Siciliæ Fridericum, in Marchiam ſecedens, & in partes Thuſciæ, ibi per annum continuum moram fecit.

Hoc anno menſe Maji, penultimo menſis ejuſdem, dictus Roffridus Caſinenſis Abbas apud S. Germanum obiit, cui Petrus, dictus Conte, qui antea functus fuerat officio Decanatus, electus a fratribus in Nativitate Sancti Joannis Baptiſtæ, & a Papa Innocentio approbatus, in regimine Monaſterii ſucceſſit eidem. Huic Rocca Bantræ, quæ uſque tunc

tunc Monaſterio ſuberat Caſinenſi, rebellavit. Cui quemdam præfecerat Monachum nepotem ſuum, nomine Seniorectum, qui ſibi ab hominibus Roccæ ipſius non præcavens, cum de Rocca ipſa feciſſet ad villam deſcenſum, hoc ipſis de villa proditorie procurantibus, cum redire in Roccam vellet, non eſt amodo eam intrare permiſſus.

MCCX. Otho dictus Imperator, ſuadente ſibi Diopuldo, & Petro Cælanenſi Comite; qui cum ipſo Diopuldo contraxerat, quorum alter Capuam, alter vero ſibi Salernum tradidit, ſpreto juramento, quod Romanæ Eccleſiæ fecerat, Regnum intrat per Reatinas partes, ſub illorum Ducatu, qui fidelitatem ei præſtiterant, per Marſiam, & exinde per Cominum venit, ad quem dictus *Caſinenſis* Abbas, cui cura erat de terra, & populo, cum ad ingreſſum ipſius Othonis eſſent omnes exterriti, ita quod in Sancto Germano pauci admodum remanſerint, qui ad loca tutiora ſua ſuppellectilia non tuliſſent, ſuos pro pace Legatos miſit, & ipſe etiam exivit in occurſum ejus contra Fratrum omnium voluntatem. A quo ſatis benigne receptus, terram monaſterii ſervavit indemnem.

Tunc idem Otho ſe Capuam confert, ubi receptis a Diopuldo certis munitionibus, quas habebat in Regno, Ducem Spoleti efficit illum.

Hic cum gente ipſius Othonis ivit ad debellandum civitatem Aquini, in qua Landulfus, Thomas, Pandulfus, & Robertus Domini Aquini, qui Regis fidem ſervabant, ſe receperant cum gente ſua, & cum non prævaleret in eam, viribus reſiſtentibus prædictorum, confuſis, & non ſine damno receſſit.

Civitas Neapolis in odium Averſæ ipſi Othoni ſe reddidit. Qui ad inſtinctum Neapolitanorum Averſam obſidet, quæ, facta cum eo compoſitione, remanſit indemnis.

Dictus Otho Apuliæ fines ingreditur, certis ſibi colla flectentibus tum voluntarie, tum cauſa metus.

Innocentius Papa illum excommunicat, & Eccleſiam Capua-

puanam ſub interdicto ponit, pro eo quod celebrare auſi ſunt ipſo præſente. Excommunicat etiam omnes fautores illius In octavis Beati Martini excommunicat etiam omnes fautores illius.

MCCXI. Petrus Caſinenſis Abbas menſe Januario, quinto videlicet Kalend. Februarii in Monaſterio obiit.

Innocentius Papa in die Sancto Jovis excommunicationem latam in Othonem, hac ejus ſequaces confirmat.

Hoc anno Adenulfus, cognomine Caſertanus, in Abbatem Caſinenſem eligitur.

Dictus Otho cum totam fere ſibi Apuliam ſubjugaſſet, audito quod quidam Alemanniæ Principes ſibi rebellaverant, mandato Apoſtolico, Regnum feſtinus egreditur menſe Novemb. & menſe Martio in Alemanniam remeavit.

Eodem menſe Martio Fridericus Rex Siciliæ ab Innocentio Papa vocatus, navigio vectus a Gajetanis, relictis Panormi uxore, & filio, Gajetam venit. Ad quem dictus Ricchardus de Aquila Fundanus Comes, & præfati Domini de Aquino vadunt. Tunc Rex ipſe ad petitionem hominum Rocchæ Bantræ, qui acceſſerunt ad eum, Caſtellanum mittit, Joannem Ruſſum civem Gajetanum militem ſuum, & a Gajeta deſcendens per mare ad Urbem vadit, ubi a Papa Innocentio, & cæteris Cardinalibus, Senatu, Populoque Romano, ingenti cum honore receptus eſt, ad quem miſſus ex parte Conventus Stephanus cognomento de Marſia, tunc Camerarius Caſinenſis, mandato Papæ Innocentii literas, & mandatum impetravit a Rege ad Caſtellanum Rocchæ prædictæ, ut eam reſtitueret Monaſterio Caſinenſi; & poſt dies paucos ab Urbe diſcedens cum licentia Papæ, ac Cardinalium, ſe navigio recipit, & Genuam feliciter applicans, inde per Cremonam, & Veronam, invitis Mediolanenſibus, qui ejus impedire tranſitum crediderunt, & tranſalpinavit cum paucis. Hunc dicti Othonis æmuli benigne recipientes, greſſus, & iter ejus contra eum in viam rectam, & non invium direxerunt. Qua-

liter igitur Rex ipſe in Imperii acquiſitione profecerit, qualiterve obtinuerit contra eumdem Othonem, locis relinquo propriis aptius referendum.

MCCXII. Menſe Junii Innocentius Papa Urbem exiens venit Signiam, ubi per æſtatem moram faciens, menſe Septembri remeavit ad Urbem.

Petrus Cælani Comes languore correptus obiit.

Hoc anno Chriſtiani Principes, videlicet, Rex *Caſtellæ*, Rex Navarræ, & Rex Aragonum cum Miramomelino Saracenorum Principe prœlium ineuntes, Dei favente virtute, victoriam contra eum obtinuerunt. Quod ad omnium Orientalium gaudium, & exultationem, idem Rex Caſtellæ de tanta Chriſtianis Principibus cœlitus conceſſa *victoria*, dicto Innocentio Papæ literas mittit. Mittit etiam de acceptis Saracenorum ſpoliis eidem honorabilia xenia, tentorium videlicet totum ſericum, & vexillum auro contextum. Quod in Principis Apoſtolorum Baſilica, in laudem nominis Chriſti appenſum eſt.

Menſe Madio Adenulfus Caſinénſis electus, Rocchæ Bantræ, occaſione mandati Regii, cum parere noluerit, Caſtellanum arctat, & obſidet, ſed cum Roccham ipſam obtinere non poſſet, data quadam nepte ſua in conjugem filio ipſius Caſtellani, cum certa pecuniæ quantitate, recuperavit Roccham ipſam Monaſterio Caſinenſi. Innocentius Papa per generales, quas ad Orbis Prælatos dirigit, literas, Sanctam-Synodum ad urbem vocat menſe Junio Signiam, ubi propter urgentem neceſſitatem dictum Adenulphum Caſertanum Caſinenſem electum, in Caſinenſem Abbatem promovit. Fredericus Rex auxilio Principum, totam Alemanniæ planitiem obtinuit, ſolis ipſi Othoni munitionibus remanentibus.

Hoc anno fames in Apulia exorta eſt.

MCCXIII. menſe Junii Innocentius Papa urbem exiens menſe Junio ivit viterbium, ubi per generales, quas ubique terrarum dirigit, literas, omnes Chriſtifideles ad Terræ-

ræ-Sanctæ ſubſidium exhortatur, per quas etiam excommunicationis vinculo innodat corſarios, & piratas, qui capiunt tranſeuntes, ſicque ſubſidium impediunt Terræ eidem, & qui ſcienter communicant cum ipſis in aliquo venditionis, vel emptionis contractu. Innovat præterea excommunicationem latam adverſus eos, qui Saracenis arma, ferrum; lignamina deferunt galearum, quique cum piraticis Saracenorum navibus curam gubernationis exercent, præcipiens hujusmodi ſententiam per omnes urbes maritimas publicari diebus Dominicis, & feſtivis.

Hoc anno dictus Otho cum Rege Franciæ bellum committens ab ipſo Rege devictus eſt, & fugatus.

MCCXIV. Innocentius Papa has mittit literas ad Soldanum:

Innocentius, &c. nobili viro Sephadino Soldano Damaſci, & Babyloniæ timorem Trini nominis, & amorem. Daniele Propheta teſtante didicimus, quod eſt Deus in Cælo, qui revelat myſteria, mutat tempora, & transfert Regna, ut univerſi cognoſcant, quod Dominus excelſus dominatur in Regno hominis, & cui voluerit dabit illud. Hoc autem evidenter oſtendit; quando Jeruſalem, & fines ejus tradi permiſit in manus fratris tui, non tam propter ejus virtutem, quam propter offenſam Populi Chriſtiani, Deum ipſum ad iracundiam provocantis, qui, ſecundum Prophetas, cum iraſcitur, non obliviſcitur miſereri, unde illum imitari volentes, qui de ſe ipſo ait: Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde, *magnitudinem tuam humiliter obſecramus, quatenus ne propter violentam detentionem præfatæ terræ plus adhuc effundatur humani ſanguinis, quam hactenus eſt effuſus, reſtituas eam nobis, uſus conſilio; de qua forte detentione plus tibi difficultatis, quam utilitatis accreſcit, & dimiſſis utrinque captivis, quieſcamus a mutuis impugnationum offenſis, ita quod apud te non ſit deterior conditio gentis noſtræ, quam apud nos eſt conditio gentis tuæ. Latores præſentium ad tuam præſentiam deſtinatos, rogamus benigne recipias, dignum eis re-*

Digitized by Google

ſponſum tribuens cum effectu . Datum Laterani 6. Kalen. *Maji Pontificatus noſtri anno* 16.

Item ſcire volens ipſe Papa terras, mores, & vires Agarenorum, contra quos de ipſius mandato Chriſtianorum exercitus parabatur, ſcripſit Patriarchæ Jeroſolymitano, Magiſtris domorum Hoſpitalis, & Templi, ut ſuper his eum per ſuas redderent literas certiorem, qui per quaſdam naves Venetorum inde huc tranſmeantes, tam detentores, quam terras, & mores eorum expoſuerunt ei certiſſime in hunc modum:

„ Saladinus, & Sephadinus duo fratres fuerunt. Mortuo „ Saladino, qui habuit 11. filios, regnavit Sephadinus, *qui* „ occidit omnes nepotes ſuos, præter unum, qui *vocatur* „ Melchiſedech, qui tenet terram iſtam cum omnibus ci- „ vitatibus, caſtris, & villis, & aliis munitionibus, quæ „ ſunt plus de ducentis. Sephadinus vero habuit filios 15. „ de quibus hæreditaverunt ſeptem, ſcilicet, Melkekem- „ me, qui primus eſt, & major natu omnibus. Hic tenet „ Alexandriam, Babyloniam, Cairum, & totam Terram „ Ægypti in Meridie, ac Septentrione, qui poſt mortem „ patris ſui Sephadini de generali conſtitutione patris, & „ fratrum, debet eſſe dominus omnium, & totius terræ. „ Secundus filius eſt nomine Corradinus, qui habet Da- „ maſcum, Sanctam Jeruſalem, & totam terrram, quæ „ fuit Chriſtianorum, præter modicam, quam adhuc te- „ nent Chriſtiani, qui ſunt inter civitates, munitiones, & „ caſtra plus de trecentis. Tertius filius eſt nomine Mel- „ kaſſis, ideſt Grandis, qui tenet terram, quæ dicitur de „ Jamella cum tota alia Provincia, quæ ſunt inter muni- „ tiones, villas, & caſtra plus de quadringentis. Quartus „ filius eſt nomine Melkemodam, ideſt Magnus-dominus, „ qui tenet Regnum Doaſiæ cum omni potentatu ſuo, quæ „ ſunt plus de quadringentis inter civitates, munitiones, „ & caſtra. Quintus filius eſt nomine Melkiſalaphat, qui „ regnat, & tenet terram de Sarco, ubi fuit occiſus Abel

„ a Caim

Digitized by Google

„ a Caim fratre ſuo; in quo Regno ſunt octingentæ inter „ civitates, munitiones, & caſtra plana. Sextus filius eſt „ Machomettus, qui tenet Regnum de Baldach, ubi eſt „ Papa Saracenorum Caliphius, qui colitur, timetur, & „ adoratur, tamquam Romanus Pontifex in lege eorum, „ qui non poteſt videri, niſi bis in menſe; quando cum „ ſuis vadit ad Machometh Deum Saracenorum, & incli- „ nato capite, & oratione facta ſuo more Saracenico, an- „ tequam templum exeant, ſplendide comedunt, & bibunt, „ & ſic coronatus revertitur in domum ſuam cum gente ſua. „ Iſte Deus Machometh viſitatur quotidie, & adoratur ſicut „ viſitatur, & adoratur Dominus Crucifixus a populo Chri- „ ſtiano. In iſta civitate Baldach eſt Papa Caliphius. Civi- „ tas iſta caput eſt totius legis Agarenorum. Septimus filius „ eſt nomine Salaphat. Hic non habet ſpecialem terram, ſed „ ſemper eſt cum patre ſuo Sephadino. Iſte portat vexillum „ coram patre ſuo, quando equitat. Cui unuſquiſque fratrum „ ſingulis annis pro certo cenſu dignitatis ſuæ transmittit „ mille Saracenatos, & duos dextrarios bene paratos. Sepha- „ dinus quando equitat terram, ac viſitat filios ſuos præfatos, „ incedit velato capite de uno examito rubeo. Cui omnes „ filii inclinant quater ad terram, & exeunt ei obviam per „ ſex milliaria, ac oſculato pede, cum ipſe ſit ſuper equum, „ recipit eos ad oſculum, & ad manum. Qui cum uno- „ quoque moratur per triduum, ſemel in anno, & ſic a „ primo uſque ad ſeptimum filios viſitat memoratos, & „ quolibet anno pro certo tributo mittit in fiſco patris 20. „ millia Saracenatos, & ſic a primo uſque ad ſeptimum „ dat unicuique filiorum unum de anulis, in quo imago „ ſua ſculpitur.

„ Volunt iſti libenter reddere in manus Domini Papæ „ Terram Sanctam, quam tenent ad opus Chriſtianorum, „ & ut certi ſint, & ſecuri de alia terra a populo Chri- „ ſtiano, ſingulis annis volunt eſſe ſub certo tributo Pa- „ triarchæ Jeroſolymitano, & dabunt inde cautelam Roma-

„ næ

Digitized by Google

„ næ Eccleſiæ de non impedienda amplius Terra Sancta, „ quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſuis pedibus am- „ bulavit.

„ Prædictus vero Sephadinus de more prædeceſſorum ſuo- „ rum faciem ſuam non oſtendit omnibus, niſi decies in „ anno, quando Nuncios recipit Piſanorum, Januenſium, „ Venetum, Civitatum, Regum, vel Principum Chriſtia- „ norum, aſtantibus centum armatis. Primo die recipit „ ipſos in prima Sala de Cairo, ubi ſemper eſt ſtatus „ ejus. Tunc recipit literas a Nunciis, ſed non audit eos; „ in ſecunda die audit eos in ſecunda Sala aſtantibus du- „ centis Turchis ſuis bene armatis. In tertio quidem die „ per Turcimanum ſuum, videlicet interpretem, dat eiſ- „ dem reſponſum, ſecundum quod eſt modus in cauſa. „ Qui poſt tertium diem non habent amplius ad illum ac- „ ceſſum.

„ Habet Sephadinus uxores 15. in lege ſua, quæ ſunt „ in uno Palatio, inſimul dormiunt, comedunt, & bibunt. „ Si aliqua earum habet ex eo filium, Sephadinus vadit „ ad eam quando vult, & dormit cum ea videntibus aliis. „ Illam vero, quæ non habet ex eo filium, ad ſe quan- „ do vult per Eunuchos ſuos vocari facit in veſperis, & „ detinet eam per noctem, & diem, & ſic facit de ſingu- „ lis. Quando aliqua iſtarum moritur, inducit aliam inter „ alias.

„ In ſecretiori Camera ubi ludit, & dormit, nullus ha- „ bet acceſſum, niſi unus tantum ſenex, in cujus Cameræ „ oſtio ſemper exiſtunt armati quinquaginta.

„ Quinquagenarius eſt Sephadinus, potens multum in „ armis, ac gente, eloquens valde in lingua ſua; qui præ- „ cellit hodie omnes, qui vivunt, Paganos, excepto Ma- „ ximuco, in auro: tam enim munivit totam terram ſuam, „ & filiorum; & exercitus congregat infinitos. Sed in om- „ nibus ipſe cum filiis in prædictum modum cum Romana „ Eccleſia vult componere pacem.

„ Octo

Digitized by Google

„ Octo alii filii Sephadini de patris conſtitutione ſic vi-
„ vunt. Duo ex ipſis cuſtodiunt Sepulcrum Domini, ad
„ quos quidquid datur provenit, & dividunt inter ſe. Qua-
„ tuor alii habent redditus de Calice fluvio, qui irrigat
„ totam terram Ægypti: Et iſtis quatuor melius valent
„ iſti redditus de viginti millibus Saracenatis. Duo alii
„ fratres minores ſunt quotidie in conſpectu Dei ſui Ma-
„ chometh, pro caſtitate, quam habent, & totum quod
„ datur ad pedes ejus, eſt de ipſis minoribus fratribus,
„ Hæc, Sanctiſſime Pater, ita eſſe in veritate ſciatis.„

Hoc anno Rogerius de Aquila Fundanus Comes cepit caſtrum Motulæ, & illud bonis omnibus ſpoliavit.

MCCXV. Innocentius Papa Urbem exiens, venit Ferentinum in Campania, ad quem Rogerius de Aquila Fundanus Comes accedens, Regi Friderico fidelitatis præſtitit juramentum.

Idem Papa menſe Auguſto inquiſitionem de perſona Abbatis Caſinenſis Adenulſi præfati fieri mandat per Nicolaum Capellanum ſuum, qui in Tuſculanum eſt aſſumptus, & per Magiſtrum Rainerium tunc Notarium, qui in Cardinalem poſtea eſt promotus. Qui de ſtatu Monaſterii, & de perſona dicti Abbatis, per Monachos ſub juramento veritatem certius inquirentes, & quæ didicerunt redigentes in ſcriptis, ipſi Summo Pontifici retulerunt. Illis autem abeuntibus, idem Abbas pravo uſus conſilio, Monaſterium munire curavit militibus, & ſervientibus, ſuis conſanguineis, & propinquis. Similiter & Roccam Fanulæ, Atinum, Roccam Bantræ, & Caſtrum Fractarum, qui tandem a Papa vocatus apud Anagniam vadit ad ipſum. Qui præſtito ſacramento, quod Monaſterium decaſtellaret, & Roccas prædictas, eaſque in manus eorum traderet, quibus ipſe mandabat, correptus ab eo dimiſſus eſt, & rediens ad Monaſterium, illud tantum decaſtellavit, reliquis ſibi caſtellis retentis, & propterea vocatus a Papa, iterum inconſulte vadit ad ipſum. A quo redarguts de fide mentita, cum

in

Digitized by Google

in eum publice vellet ferre depoſitionis ſententiam, perſuadentibus ſibi nonnullis renunciavit, & ceſſit invitus. Quem ipſe Papa apud Sorianum mandat cuſtodiri, donec Roccas prædictas reſignari faciat ad mandatum ſuum. Hoc itaque cum innoteſceret in terra Monaſterii, Miraddo nepos dicti Abbatis conſulens vitæ ſuæ, cum eſſet in Sancto Germano, & multas nonnullis intuliſſet offenſas, nocte fugiens, relictis uxore, & filiis in Rocca Bantræ, in qua quidam erat Monachus conſobrinus ſuus, ſe recepit, cum quo poſtmodum facti Eccleſiæ rebelles, terram ipſius hoſtiliter infeſtabant. Interea juſſu Apoſtolico de ſubſtitutione Abbatis tractatur in Monaſterio, ſed quia non poterant conventus in unius electione inveniri concordes, hoc ipſi Papæ per octo de Fratribus, quos ad ipſum mittunt, denunciant. Inter quos cum unus eſſet eorum notus Pontifici, Stephanus cognomento de Marſia, cujus ſuperius feci memoriam, illum, poſtquam per eos ſibi conſtitit de electione diviſa, de gratia, prout placuit, in Abbatem conceſſit eiſdem. Hic ad Monaſterium rediens a Fratribus, & Populo cum honore receptus eſt.

Eo anno Rex Fridericus in rependium collati ſibi cœlitus beneficii de victoria adverſus Othonem dictum Imperatorem apud Aquiſgranum, ſponte ſe Crucis caractere inſignivit.

Dictus Papa Romæ apud Lateranum in Eccleſia Salvatoris, quæ Conſtantiniana dicitur, ſanctam ſynodum celebravit, in qua cum fuerint Patres circiter quadrigenti, de reformatione Eccleſiæ in ſuo ſermone propoſuit, & liberatione potiſſimum Terræ Sanctæ. Interfuerunt autem Regum, & Principum totius Orbis nuncii, Legatus quoque Regis Friderici Panormitanus Archiepiſcopus, Berardus nomine, & Mediolanenſis quidam pro parte Othonis ad mandatum Eccleſiæ redire volentis. Sed Marchio Montis-Ferrati, qui erat pro parte Regis ipſius, adverſarium ſe opponens, quod pro Othone ipſo non deberent audiri, ſex in Me-

Digitized by Google

in Medium Capitula protulit: Primum, quia juramentum, quod Romanæ Eccleſiæ fecerat, non ſervavit, ut debuit. Secundum quia propter quæ fuit excommunicatus adhuc detinet, nec reddidit ut juravit. Tertium quia Epiſcopum quemdam excommunicatum tanquam ipſius fautorem nititur confovere: Quartum quia Legatum Epiſcopum alium capere, & in majoris iniquitatis cumulum incarcerare præſumpſit. Quintum quia in contemptum Romanæ Eccleſiæ Regem Fridericum, Regem appellavit Presbyterorum. Sextum quia quoddam Monialium Monaſterium deſtruxit, & erexit in Arcem. Adjecit etiam, quod cum ipſi Mediolanenſes ſimili eſſent excommunicatione notati, tanquam ipſius Othonis complices, & fautores, & quia eorum civitas Paterenos fovebat, nulla prorſus debebant ratione audiri. Quod cum moleſte ſatis ferrent mediolanenſes ipſi, & vellent Marchioni ipſi in contrarium reſpondere, quia pars utraque in contumelias prorumpebat, de ſolio ſuo Dominus Papa exurgens manu innuit, & egredientibus cæteris, ipſe Eccleſia eſt egreſſus. Sedit autem uſque tertio ipſe Dominus Papa, a feſto Beati Martini, uſque ad feſtum Sancti Andreæ, & tunc electionem factam per Principes de Rege Friderico in Imperatorem Romanum, approbans, confirmavit, & in ſancta ſynodo LXX. Capitula promulgavit: damnavit librum Joachimi Florenſis Abbatis, quem contra Magiſtrum Petrum Lombardum ediderat, de Unitate, & Eſſentia Trinitatis.

MCCXVI. Stephanus Caſinenſis Abbas, facta compoſitione cum Miraddo recipit Roccam Bantræ. Adenulphus quondam Abbas a Papa dimittitur, cui ab ipſo conceditur Eccleſia S. Benedicti in Capua, & de gratia Eccleſia S. Angeli in Formis additur illi.

Hoc anno dictus Stephanus Caſinenſis Abbas Romæ apud Lateranum in Sacerdotem per manus Oſtienſis Epiſcopi promovetur.

Diopuldus de Ducatu Spoleti in Regnum occulte rediens

Digitized by Google

ſuper aſinum ſedens, proditus, & cognitus apud Tyberim captus eſt, & Senatori Urbis in cuſtodiam traditus, & tandem interventu pecuniæ liberatus.

Henricus Regis Friderici filius vocatus a patre Gajetam, Panormo navigio veniens, in Alemanniam vadit. Menſe Junio Innocentius Papa Urbem exiens, Peruſium vadit, ubi menſe Julio XVII. Kalend. Auguſti languore correptus feliciter expiravit, cujus obitum quidam metrice ſic deflevit.

Nox accede, quia ceſſit Sol, lugeat Orbis,
In medio lucis lumen obiſſe ſuum.
Lumen obit Mundi, quia deceſſit Pater Innocentius;
Iſte Pater Urbis, & Orbis erat.
Nomen utrumque tenens veſtrum notat hoc, quod habebat.
Quid Mundo poſſet reddere, quidve Deo.
Si ſpeciem, ſi mentis opes, ſi munera linguæ
Attendas, cedet lingua, cadetque ſtylus.

Hic honore debito apud Peruſium tumulatus eſt, & Centius Sanctorum Joannis, & Pauli Presbyter Cardinalis in Papam Honorium ſubſtitutus eſt illi. Qui de tanti Patris obitu, & ſua promotione ubique terrarum literas dirigit generales. Hic menſe Septembri de Peruſio ad Urbem redit, ubi cum multo honore a Romanis omnibus receptus eſt.

Hoc anno fertilitas magna fuit.

Filius Regis Franciæ cum exercitu ſuo intravit Angliam, & ex ea non modicam partem obtinuit, propter quod per totam Angliam excommunicatus eſt, Papa mandante.

Rex Angliæ obiit, & filius ejus coronatur in Regem.

MCCXVII. Petrus Altiſiodorenſis Comes in Conſtantinopolitanum Imperatorem electus eſt; Romam veniens cum conſorte ſua, ab Honorio Papa apud Sanctum Laurentium extra muros Urbis, in Imperatorem, & Imperatricem coronantur. Qui Regnum intrantes, & ſe Brunduſium conferentes cum honeſto militari exercitu, ibi Dominum Joannem

nem de Columna Cardinalem in Conſtantinopolim Legatum venturum expectant, cum quo infauſto ſatis omne navigio transfretantes, ad portum Durachii pervenerunt. Qui pravo ducti conſilio, Imperatrice eos per mare præunte ad civitatem Bizanceam, obſidere, & expugnare præviderunt Durachium, & cum viris non proficerent, aut viribus ſuis, ab obſidione civitatis ipſius digreſſi ſunt. Qui errantes per devia, & condenſa ſylvarum a Græcis intercepti ſunt, de quibus nonnulli in ore gladii perierunt, nonnulli vero capti ſunt, & carcerali ſquallore una cum ipſo Imperatore conſumpti. Ipſe etiam Cardinalis captus eſt, & detentus.

Hoc anno navalis Friſonum exercitus Gajetam veniens, Hieroſolymam vadit in ſubſidium Terræ-Sanctæ. Januenſium quoque, Venetum, Piſanorum, & aliorum de diverſis Mundi partibus ſignatorum apud Accon multitudo convenit. Qui cum Rege, Patriarcha Hieroſolymitano, Magiſtris domuum Hoſpitalis, & Templi conſilium ineuntes, cum Hieruſalem propter aquarum defectum commode adire non poſſent, verſus Damiatam Saracenorum civitatem nobilem, & munitam ſuarum navium carbaſa direxerunt, quo proſpere applicantes, eo favente, qui mari, & ventis imperat, cum fluvius ingens, & turris in eo præcelſa conſtructa tranſitum ad civitatem penitus prohiberent, coacti ſunt ſua figere Tentoria circa litus. Quod illi de Damiata videntes, ſuos mox Nuncios dirigunt ad Soldanum, per quos ſe a Chriſtianis obſeſſos ſignificant, & petunt, ut in ſuum ad eos veniat ſuccurſum. Qui ſtatim, collectis undique viribus, Damiatam ſe contulit ſine mora, quam viris munivit, & viribus, necnon & turrim prædictam, & ne Chriſtiani poſſent in partem alteram navigio tranſmeare, ſecus annis ripam acies Baliſtariorum, & Arcariorum innumeras ordinavit. Tunc Chriſtiani de Regis, & aliorum conſilio, & conſenſu, qui præerant exercitui, ut liberior eis patere ad civitatem acceſſus, expugnare turrim pri-

primitus præviderunt, & pretio a Friſonibus una conducta Cochone, quam propter ignem, quem illi, qui erant in turri, ſæpius jaciebant, coriis morticinis, & aliis neceſſariis undique munierunt, viros audaces, & bellicoſos, qui per ſcalam ligneam ſatis artificioſe compoſitam deberent conſcendere turrim ipſam, ordinarunt, & poſuerunt in ea. Quam cum per fluvium ducerent, aliquo non obſtante, hinc Saracenis, hinc Chriſtianis alta voce clamantibus, ſeque viciſſim ferientibus jaculis, & ſagittis, volentes qui erant in Cochone ſcalam in turris ponere ſummitate, & per illam conſcendere, prout fuerat ordinatum, dum niterentur in aſcendendo viri cordati alter alterum prævenire, mox in partes ſcala confracta, loricati milites, proh dolor, ceciderunt, quorum haud dubium eſt in cœlum animæ avolarunt, & noſtri tunc imperfecto negotio triſtes ſunt, lætantibus e contrario Saracenis, ad caſtra reverſi, nec inde deſtiterunt a cœptis, quinimmo ad capiendam turrim ipſam vehementius animantur, ad quam cum per aquas accederent navibus, & ſcalarum ingeniis geminatis, & per terram darent, ut poterant; frequentes inſultus, divina dextera faciente, menſe Auguſto in Feſto Beati Bartholomæi Apoſtoli turrem ipſam obtinuerunt, & qui in ea inventi ſunt, gladiis occubuere noſtrorum, quibusdam nobilioribus reſervatis ad vitam, quos Rex Hieroſolymitanus vinctos Accon dirigit in victoriæ ſignum.

MCCXVIII. Hoc anno menſe Martio Dominus Joann. de Columna dudum apud Durachium captus ad preces Papæ liberatur a vinculis, & Legatus Conſtantinopolim vadit.

Otho dictus Imperator apud Brunſvich naturali morte defungitur.

Pelagius Albanenſis Epiſcopus a Brunduſio cum Jacobo Comite Andriæ Romani exercitus Principe in Syriam transfretat. Et tunc nonnulli Cruceſignati de terra Sancti Benedicti, & aliarum partium a Gajeta navigio Hieroſolymam petunt, & proſpere pervenientes Accon, audito de captione

ne turris vadunt ſine moræ periculo Damiatam.

Diopuldus præfatus de mandato Regis Friderici in Romanum Imperatorem electi a Comite Jacobo de Sancto Severino genero ſuo capitur.

Conſtantia uxor dicti Regis in Romanum Imperatorem electi vocata a viro ſuo in Alemanniam vadit ad ipſum.

Hoc anno Honorius Papa menſe Junio Urbem exiens ivit Reate, ibique moram faciens uſque ad menſem Octobrem, inde ivit Viterbium, & tandem Romam reverſus eſt, ſed cum propter Romanorum moleſtias eſſe Romæ non poſſet, coactus eſt Viterbium remeare.

Chriſti exercitus fluvium transmeat Damiatæ, & poſita civitati obſidione, cum Soldanus fugiens metus cauſa, relictis tentoriis, in partem alteram ſeceſſit, poſt ſtrages plurimas, poſt ſumptus multiplices, poſt labores, & damna innumera menſe Novembri in vigilia Beati Confeſſoris Leonardi obtinuit tandem, faciente Domino, Damiatam, hoc ipſo Albanenſi Epiſcopo procurante. Civitas autem ipſa auro, lapidibus pretioſis, pannis ſericis, rebuſque optimis plena inventa eſt, de quibus ditatus Chriſti exercitus eſt, & Ægyptii ſpoliati. De Saracenis vero tanta facta eſt ſtrages, quod Chriſtianis ipſis diſplicuit. Tunc Soldanus ipſe furore accenſus, muros Terræ Sanctæ Hieruſalem ſterni ad ſolum fecit, & a Saracenis incolis deſeri, paucis in ea Chriſticolis remanentibus. Interim Chriſtiani civitatem Damiatæ tenent, & poſſident, & ab omni ſpurcitia Paganorum mundantes eandem, conſtruunt in ea Eccleſias ad laudem, & gloriam nominis Jeſu Chriſti. Soldanus vero animo, viribuſque reſumptis Chriſtianos non ceſſat uſque ad aggeres quotidie impugnare, noſtris tamen ſe viriliter tuentibus, & tenentibus contra illos.

Honorius Papa menſe Junio a Viterbio ad Urbem-veterem vadit, & circa finem Septembris Viterbium rediens, exinde Romam reverſus eſt.

Fridericus Rex vocatus a Papa venit cum conſorte ſua Con-

Conſtantia ad coronam, relicto in Alemannia Henrico filio ſuo; & ambo in Principis Apoſtolorum Baſilica menſe Novembri in Feſto Beatæ Cæciliæ magnifice ſatis cum omnium Romanorum gratia, & honore ſunt Imperii diademate inſigniti. Quorum coronationi dictus Stephanus Caſinenſis Abbas, necnon Comes Rogerius de Aquila, Comes Jacobus de Sancto Severino, Comes Richardus de Cælano, & nonnulli de Regno Barones interfuerunt, occurrentes ipſi Imperatori, ut ipſius ſibi gratiam compararent, eidemque dederunt liberaliter dextrarios, quos habebant, quos redeuntibus in Alemanniam Theutonicis ipſe largitus eſt Imperator.

Tunc etiam Thomas Moliſii Comes ad ipſum Imperatorem pro illius gratia obtinenda miſit filium ſuum, ſed cum obtinere eam non poſſet, contra ipſum Imperatorem ſe in Roccam recipit Magenul, Comitiſſa uxore ſua in Rocca Bojani conſtituta, & relicta cum ſuis.

Tunc ipſe Imperator per manus Oſtienſis Epiſcopi, qui poſtmodum in Papam Gregorium eſt promotus, reſumpſit Crucem, votum publice innovavit, multoſque, qui interant Nobiles, idem facere animavit. Tunc etiam dictus Abbas Stephanus ad petitionem Imp. ſibi Roccam Bandræ mandat reſtitui, & Atinum, quæ uſque tunc ex conceſſione Imperatoris Henrici patris tenuerat Eccleſia Caſinenſis.

Imperator ipſe Romæ in ſua coronatione quaſdam edidit ſanctiones pro libertate Eccleſiarum, & Clericorum, confuſione Paterenorum, teſtamentis Peregrinorum, & ſecuritate Agricultorum, & tunc Romanos fines deſerens, & per Campaniam iter habens, venit in Regnum, & apud Sanctum Germanum magnifice a prædicto Abbate receptus, menſam Campſorum, & jus ſanguinis, quod uſque tunc habuerat conceſſione Imperatoris Henrici in Eccleſia Caſinenſi recipit ab eodem. Sueſſam, Theanum, & Roccam Draconis in demanium revocat, quas dictus Comes Rogerius de Aquila tunc tenebat, & ſe recto tramite Capuam conferens, & re-

Digitized by Google

& regens ibi Curiam generalem pro bono ſtatu Regni ſuas Aſciſias promulgavit, quæ ſub viginti capitulis continentur.

MCCXXI. Tunc Imperatrix Sueſſam vadit.

Sora, quam Comes Richardus frater olim Innocentii Papæ tenebat, ipſi Imperatori ſe reddidit.

Rogerius de Aquila Comes mandato Imperatoris Roccam Arcis arctat, & obſidet, quam Stephanus Cardinalis Sancti Adriani, qui eam tenebat, ipſi Imperatori reſignari mandavit.

Tunc Diopuldus, quem Comes Jacobus de Sancto Severino Imperatori tradidit, olim de mandato ipſius captus, ad preces Theutonicorum dimiſſus eſt liber, datis tamen a Sifrido fratre ſuo, & reſignatis Imperatori Aliſia, & Cajatia, quas tenebat.

Tunc etiam Thomas de Aquino factus Acerrarum Comes Magnus Juſtitiarius factus eſt Aquilæ, & Terræ-Laboris.

Bojanum Imperatori ſe reddidit, ubi cum Barones Comitatus, qui Imperatori manum dederant contra Thomam Cælani, & Moliſii Comitem conveniſſent, Comes ſuper eos ipſe irruens, & in fugam vertit eoſdem, Bojanum combuſſit, & de illius victualibus Roccam Bojani munivit, uxorem ſuam Comitiſſam ſecum ducens ad Roccam Magenul.

Dictus Acerrar. Comes cum Imperiali exercitu Roccam Bojani adiens, illam arctat, & obſidet. Qui eam per compoſitionem obtinens pro ipſo Imperatore, dictæ Roccæ Magenul, in qua dictus Comes Thomas ſe receperat, obſidionem parat.

Illis diebus Rocca Janulæ ſuper Sanctum Germanum de novo firmata diruitur, juxta editam Capuæ conſtitutionem de novis ædificiis diruendis.

Cælanum Imperatori ſe reddidit, quibuſdam in turri Cælani, & in Obinulo ſe ad fidelitatem Comitis Moliſii recipientibus, propter quod Cælanenſes Imperatoris gentem in

in ſuum ſuccurſum vocant, cum qua turrim ipſam aggredientes viriliter, vi eam capere nequiverunt.

Imperator cæteris de Regno ſibi colla flectentibus, per Apuliam, & Calabriam iter habens, feliciter in Siciliam transfretat, & Meſſanæ regens Curiam generalem, quaſdam ibi ſtatuit Aſciſias obſervandas, contra luſores taxillorum, & alearum, nomen Domini blaſphemantes, contra Judæos, ut in differentia veſtium, & geſtorum a Chriſtianis diſcernantur, contra meretrices, ut cum honeſtis mulieribus ad Balnea non accedant, & ut earum habitatio non ſit intra mœnia civitatum, contra joculatores obloquentes, ut qui in perſonis, aut rebus illos offenderit, *pacem non* teneatur Imperialem infringere.

Hoc anno viceſima a perſonis Eccleſiaſticis, a laicis vero decima pro ſubſidio Terræ-Sanctæ per totum Regnum colligitur, & per Gualterium de Palear *Cancellarium*, & per Henricum de Malta Comitem *Marini* Stolii Ammiratum, ipſam Damiatam tranſmittit, licet tunc temporis amiſſa fuerat, culpis exigentibus, Damiata; propter quod ipſe Cancellarius iram Imperatoris metuens, ſe Venetias contulit, & dictus Comes rediit in Regnum, qui ab Imperatore captus eſt, & terram, quam tenebat, amiſit; Rex vero, Patriarcha Jeroſolymitanus, Albanenſis Epiſcopus, & cæteri, qui in bello fuerant Chriſtiani, ſub ſecuro *Soldani* conductu ad Aconitanam redeunt civitatem. Hanc igitur tantam, & tam gravem Chriſtianorum injuriam, & Damiatæ amiſſionem, duxi ego Notarius Richardus hujus operis auctor rhythmice deplorandam:

Diro ſatis percuſſus vulnere,
Diro cogor ſingultu lucere,
Vah, lamentum, & Carmen dicere
Noſtræ gentis de caſu miſero;
Quæ ſignata Crucis ſignaculo
Crucis hoſti cedit Allophilo;
Non ſit pugna enſe, vel baculo,

Sed

Sed premente famis periculo.
Quantus dolor, quanta calamitas,
O quis pudor, qualis anxietas!
Quod ſuccubuit Chriſtianitas
Impiorum gaudet impietas.
Jeſu bone, ſi fas eſt dicere, cur?
Cur ſic placuit nos dejicere?
Mori malo, quam ultra vivere
Vinci videns debentes vincere.
Quis in tanto dolore poſitus
Sui diem non optet obitus?
Chriſti victus jacet exercitus,
Unde pudor, dolor, & gemitus.
Quis non mæret hoc infortunium?
Luctus ora concluſit omnium.
Roma caput, & mater Urbium
Omne tibi defecit gaudium.
Per te venit hæc tribulatio,
Mundi plorat quam omnis natio,
Chriſtianæ cædis occaſio
Tu fuiſti, ſis relevatio.
In te forma facta Concilii
Cauſam dedit hujus exilii,
Agar nobis inſultant filii,
Tui ſpernunt vires auxilii.
Damiata, quæ tot laboribus
Tot effuſis empta cruoribus
Chriſtianis olim Principibus
Paruiſti, nunc pares hoſtibus.
De te famæ ſonus exierat,
Damiata non eſt quæ fuerat;
In te Chriſti fides floruerat,
Quam Ancillæ nunc ſtirps dedecorat.
Iſmaelitæ te detitulant,
Aras evertunt, Templa violant,

Quod tibi tot pœnas accumulant
Peccata noſtra ſunt, quæ pullulant.
Ubi nunc decus eſt Eccleſiæ,
Chriſtianæ flos & militiæ?
Legatus, Rex, & Dux Bavariæ
Victi cedunt viri perfidiæ.
O quam pravo ducti conſilio
Exierunt Duces in prœlio!
Damiata tu das exilio,
Quos foviſti fere biennio.
Maledicta fatorum ſeries,
Qua fit tanti mali congeries.
Cunctos tangit iſta miſeries,
Cunctis datur flendi materies.
Mundus totus, & Mundi Principes
Sunt doloris participes,
Tuam ergo cauſam, ut vindices,
Te nos Chriſte precamur ſupplices.

Igitur quod dicere nequeo non dolendo, per compoſitionem reddita Damiata Soldano, liberati ſunt utrimque captivi, & Chriſtiani Principes, qui contra Soldanum inconſulte proceſſerant, liberati, menſe Septembri in Feſto Nativitatis B. Virginis.

Tareni novi cuduntur Amalphiæ.

MCCXXII. Honorius Papa menſe Febr. Urbem exiens venit Anagniam, ad quem Imp. vocatus vadit & apud Verulas cum ipſo Papa conveniens per dies XV. ſolemne inſimul colloquium habuere, ſtatuentes apud Veronam cum aliis orbis Principibus pro ſuccurſu Terræ-Sanctæ Curiam regere generalem; & tunc data fide, quod in certo termino tamquam Imperaror in Terræ-Sanctæ ſubſidium transfretaret, in Regnum rediens, Roccam adiit Magenul, quam juſſit arctius obſideri a Thoma Acerrarum Comite, & iis, qui cum eo erant, & ipſe feſtinus in Siciliam reverſus eſt propter Mirabettum Saracenorum Ducem, qui eam pro viribus infeſtabat. Hono-

Honorius Papa Romam revertitur, quam poſtmodum exiens venit Alatrum.

Romani ſuper Viterbium vadunt.

Imperatrix in Sicilia obiit.

Comes Thomas de Cælano licet ſatis arctatus, nocturno tempore Roccam exiens Magenul ſub fido ducatu iter faciens per montana ad caſtrum ſe contulit Caſpium, quod Raynerius de Averſa ſororius ejus tenebat, a quo acceptis equis, & ſociis paucis, clanculo intrat Obinulum, & deinde cum ſuis ſupra Cælanum veniens; ſpe ductus eorum, qui aſſiſtebant eidem, & noverant illius adventum, Imperiales, qui erant intus Cælanum, & turrim pro viribus impugnabant, diluculo aggreſſus eſt, eoſque in fugam vertit, multos cepit, & carceribus deputavit. Civitam, & tunc totam Marſiam equitat, prædatur Civitam, Paternum comburit, & quæ poteſt in Cælano victui neceſſaria congregat. Quo cognito, dictus Acerrarum Comes, paucis in obſidione Rocchæ Magenul relictis, una cum Stephano Caſinenſi Abbate, & Raynaldo Capuano Archiepiſcopo, contra ipſum Comitem ſuper Cælanum vadit, dictus tamen Archiepiſcopus ſubita infirmitate correptus, in via mortuus eſt. Dictus Comes Moliſii ab Acerrarum Comite arctatus eſt, & Cælanum eſt obſeſſum.

Imperator in Sicilia de Mirabetto triumphat, & de ipſo, & ſuis fecit quod eorum meruerat exigentia commiſſorum.

Servientes de Neapoli, & Cajeta loricati, & cum ſcutis ſuper Cælanum vadunt.

Dictus Acerrarum Comes in obſidionem Rocchæ Magenul revertitur. Tunc Comitiſſa cum ſe diutius tenere non poſſet, accepta a præfato Acerrarum Comite pro ſe, & ſuis ſecuritate perſonarum, & rerum, Roccham Magenul ipſi Comiti ad opus Imperatoris reſtituit, quæ poſtea eſt everſa.

Hoc anno menſe Auguſto Fundana civitas pro majori parte, caſu accidente, igne cremata eſt, quæ funditus propterea everſa eſt.

Digitized by Google

Menſe Septembri Stella Cometes apparuit.

Imperator ſua ſtatuta per Regnum dirigit in ſingulis civitatibus, caſtellis, & villis, ut ſingula mercimonia vendi debeant ad denarios novos Brunduſii, caſſatis Tarenis novis Amalphiæ, juxta arbitrium ſex bonorum hominum uniuscujusque terræ ad hoc juratorum, & ſuper hoc generales literas mittit.

Joannes Rex Jeroſolymorum, qui poſtmodum de filia ſua cum Imperatore contraxit, veniens de partibus Transmarinis cum Magiſtro domus Hoſpitalis Jeroſolymitani, Romam vadunt ad Honorium Papam, qui tunc graviter patiebatur in crure.

Imperator de Sicilia in Apuliam venit, inde in Terram-Laboris, & exinde ad Sanctum Germanum, ubi fieri cum Cardinalibus colloquium ſperabatur, cum ipſe Papa propter ſuam infirmitatem colloquio intereſſe non poſſet. Tunc tractus a Cardinalibus eſt in Campaniam Imperator, ubi etiam hortatu Regis Jeroſolymitani, & Magiſtri domus Hoſpitalis ſe commiſit ipſe Papa, & apud Ferentinum habens cum Imperatore colloquium, promiſit publice, uſque ad biennium in Terræ-Sanctæ ſubſidium transfretare, & filiam dicti Regis ducere in uxorem juravit. Qui accepta a Papa licentia, in Regnum rediens, & iter per Soram habens, Cælanum vadit, ubi ad ſe Comitiſſam Moliſii, quæ adhuc in Rocca Magenul remanſerat, venire faciens, necnon & filium ejus, alloqui per eam fecit ipſum Comitem, ut Imperatori ſe redderet, ſed cum hoc obtinere non poſſet, muniri optime jubet, & cuſtodiri collem Sancti Flaviani, & ipſe ſe in Apuliam confert, exinde in Siciliam rediturus, relictis tunc in manus Henrici de Morra Magiſtri Juſtitiarii Comitiſſa prædicta, & filio ejus. Poſt diſceſſum vero Imperatoris, ipſo agente adhuc circa fines Apuliæ, inter Cæſarem, & Comitem Moliſii compoſitum eſt, mediante Romana Eccleſia in hunc modum: quod ipſe Comes ſecurus cum rebus, & perſonis, qui ipſum ſequi vo-

voluerint, Regnum exibit, Cælano, Obinolo, & aliis, quæ tenebat pro Cæſare, reſignatis, & Comitiſſæ uxori ejus Comitatus eſt Moliſii reſervatus ex pacto. Tunc his ita geſtis dictus Comes cum ſuis ad Urbem ſe contulit, Comitiſſa Comitatum Moliſii recipit, Cælanenſibus præcipitur, ut exeuntes de domiciliis cum ſuppellectilibus ſuis, facere in clauſuris habitacula deberent. Quibus exeuntibus, Cælanum totum eſt dirutum, & combuſtum, ſola Eccleſia Sancti Joannis ſuperſtite remanente, ſicque mutato nomine, quæ Cælanum antea vocabatur, eſt Cæſarea poſtmodum appellata. Unde metrice quidam dixit.

Vires, & nomen Cælanum perdit, & omen
Fertur Cæſarea, cæſaque facta rea.

Serra ſuper Cælanum firmatur, & extunc Cælanenſes a finibus propriis diſceſſerunt, nec eis habitare conceſſum eſt in eiſdem, quare ad loca alia eos oportuit demigrare.

Hoc anno Rex Franciæ obiit, & filius ejus coronatur in Regem.

Menſe Martio in Feſto Sancti Benedicti cœlum totum viſum eſt igneum, & pluit eo die terra, & cinis.

In Gajeta, Neapoli, Averſa, & Fogia juſſu Cæſaris Caſtella firmantur. Serniæ mœnia diruuntur, cujus civitatis fere medietas igne comburitur, caſtellum Carpenonis, & alia quamplura de novo caſtra firmata in Comitatu Moliſii, & per loca alia ſecundum ſtatuta Imperialia dudum Capuæ edita evertuntur. Pro implendis ſtatutis ipſis, quidam Rogerius de Peſclolanzano executor ab Imper. dirigitur.

Imperator in Sicilia Saracenos arctat, & obſidet, quorum partem non modicam ſibi ſubjectam ad partes mittit Apuliæ moraturam apud Luceriam, reliquis ſe in montanis tenentibus contra eum. Propter quod Rogerium de Aquila, Thomam de Caſerta, Jacobum de Sancto-Severino, & filium Comitis Tricaricenſis Regni Comites vocat ad ſervitium ſuum in Sicilia. Qui in comitatu, & manu brevi euntes ad ipſum, capi eos, & teneri præcepit, & eorum

eorum terras per Henricum de Morra Magnum Juſtitiarium recipit ad opus ſuum.

Inquiſitiones fiunt in Regno juſſu Imperatoris ſub præſtito juramento, ut dicat quilibet, quid pro decimis, & cui quod pro conredis Imperialibus, & cui quod pro facto Bojani Roccæ Magenul, quæ hoc anno everſa eſt, & pro Cæſarea dediſſet.

Hoc anno Danorum, & Norvegiæ Reges pater, & filius a quondam Principe Alemanniæ capti ſunt, & Henrico Regi filio Imperatoris traditi.

Imperator comitatum Moliſii in demanium revocat, pro eo, quod Comes Moliſii vocatus ab Henrico de Morra Magiſtro-Juſtitiario venire coram eo noluit ad juſtitiam faciendam. Item, pro ſtipendiis militum, & ſervientium, quos ad debellandos rebelles Saracenos Siciliæ ſtatuerat, certam pecuniæ ſummam per totum Regnum mandat colligi Imperator, & tunc per quemdam Judicem Urbanum de Theano collectæ fuerunt de terra Sancti Benedicti unc. auri CCC.

MCCXXIV. Dicti Fundanus, Caſertanus, Avellini, & Tricarici Comites in Sicilia ab Imperatore detenti ad interventum Honorii Papæ dimiſſi ſunt liberi, & Regnum exeunt, ſuis tamen filiis, & nepotibus pro ſe obſidibus datis.

Hoc anno Pandulphus Verracel. Norvicenſis Epiſcopus duo nova palatia, quæ ſunt in Curia S. Germani ſuis ſumptibus ad opus mandat coſtrui Monaſterii Caſinenſis.

Henricus de Morra juſſu Imperiali Cælanenſes revocat ubique diſperſos, ut ad propria redeant, & redeuntes capit, & in Siciliam mittit, quos apud Maltam dirigit Imperator.

Menſe Madio inquiſitiones fiunt, Imperatore mandante, de collectis, & talleis, de rupturis domorum, de arma portantibus, de luſoribus taxillorum.

Menſe Junio ſummitates murorum S. Germani noviter reparatæ ſolo ſternuntur.

Men-

Menſe Julio pro ordinando ſtudio Neapolitano Imperator ubique per Regnum mittit literas generales.

Hoc anno Imperator Minianum in demanium recipit.

Muri Sancti Germani obtenta Magiſtri Petri, & Magiſtri Roffredi de Sancto Germano Imperialis Curiæ judicum, integri remanent Imperatore mandante.

Imperator ipſe pro libertate Eccleſiarum, & Clericorum Juſtitiario Terræ-Laboris ſuas literas mittit, in quibus mandat, ut Eccleſias omnes, Clericos, obedientias, poſſeſſiones, & homines eorum contra libertates, quas habuerant temporibus Regum, in collectis, & talleis, datiis, & aliis publicis ſervitiis admiſceri cum aliis non permittant, & nihil cum Laicis participent in eiſdem, niſi probetur, quod tempore Regis Guillelmi ſecundi cum eis in hujuſcemodi ſervitiis contuliſſent.

Menſe Septembri pro facto Saracenorum Siciliæ tantundem colligi mandat de terra Caſinenſis Eccleſiæ Imperator quantum collectum fuit in proxime præterito.

Menſe Januario Marchio Montis-Ferrati cum electis nonnullis militibus, quos in Lombardia, & Thuſcia retinuerat, venit Brunduſium, profecturus in Romaniam in ſuccurſum civitatis Theſſalonicenſis, quam Commiano tenebat obſeſſam, & relicta gente ſua Brunduſii, ipſe ad Imperatorem in Siciliam vadit, conſilium ab eo, & auxilium petiturus. Interea tamen ipſe Commiano obtinet civitatem ipſam, diu eam obſidendo, & dictus Marchio nihilominus a Brunduſio in Romaniam transfretat.

MCCXXV. Joannes Hieroſolymitanus Rex de partibus rediens Ultramontanis cum uxore ſua prægnante filia Regis Hiſpaniæ, quam duxit ibidem, ad Capuam morari elegit, ubi, Imperatore mandante, honorifice receptus eſt, ibique menſe Aprili filiam peperit uxor ejus, cum qua poſtmodum in Apuliam deſcendit, & apud Melphiam Imperatorem de Sicilia venturum expectat.

Tunc Imperator ipſe Barones omnes, & milites inſeudatos

Digitized by Google

datos ad Saracenorum confuſionem in Siciliam vocat, & tunc ipſe in Apuliam venit.

Honorius Papa Urbem exiens propter ſeditiones, & bella, quæ in ea fiunt ſub Parentio Senatore, apud Tyburem ſe contulit, ad quem, pro dilatione paſſagii obtinenda, Imperator mittit Regem prædictum, & Patriarcham, qui tamen apud Reate accepere reſponſum.

Interea Imperator omnes Regni Prælatos ad ſe in Apuliam vocat, & eos, quamquam invitos, tamdiu ſecum detinuit, donec per ipſos Regem, & Patriarcham ſibi pro certo innotuit, quod a Papa benignum receperunt reſponſum ſuper his, ad quæ fuerant miſſi. Quibus ad Cæſarem redeuntibus, ad Sanctum Germanum cum eis ſe contulit Imperator 22. Julii, ibique ad eum miſſi a Papa duo veniunt Cardinales, Pelagius ſcilicet Albanenſis Epiſcopus, ac Gualo Tit. S. Martini Præsbyter Cardinalis, & tunc in ipſa Eccleſia S. Germani dictus Imperator capitula hæc ſervare juravit, videlicet, quod hinc ad duos annos in Augusto complendos perſonaliter transfretabit in ſubſidium Terræ-Sanctæ, ibique tenebit mille milites per biennium ad ſervitium ſuum, & ducet ſecum centum chelandros, & tenebit ibi quinquaginta galeas bene armatas. Interim dabit paſſagium duobus millibus militum, & familiis eorumdem in tribus paſſagiis, & pro milite tribus equis. Hæc & alia capitula in ejus præſentia lecta, præſentibus quibuſdam Alemanniæ Principibus, nonnullis etiam Prælatis, & Regni Nobilibus promiſit Imperator ſe publice ſervaturum excommunicatione adjecta in ſe, & terram ſuam, ſi hæc non fuerint obſervata, & hoc ipſum Rainer. dictus Dux Spoleti juravit in anima ſua. Actum prædicto menſe Julii in feſto Sancti Jacobi, & tunc per Cardinales ipſos jam dictus Imperator a juramento, quod apud Verulas fecerat, denunciatus eſt abſolutus. Et eo celeriter in Apuliam recedente, Cardinales ipſi Reate ſe ad Summum Pontificem contulerunt.

Tunc

Digitized by Google

Tunc Imperator ipſe Principibus Alemanniæ, Ducibus, Comitibus, & Potentatibus Lombardiæ per ſuas mandat literas, ut in futuro Paſcha Reſurrectionis Domini apud Cremonam ad eum convenire deberent.

Menſe Auguſto mutuum ab Imperatore per totum Regnum exigitur, & tunc loco mutui collectæ ſunt de terra Monaſterii Caſinenſis unc. MCCC. per Petrum Domin. Ebuli, & Nicolaum de Cicala tunc Juſtitiarium Terræ-Laboris.

Menſe Septembri Marchio Montis-Ferrati in Romania naturali morte defunctus eſt.

Eodem menſe quinque vacantibus in Regno Eccleſiis; quinque Dominus Papa Honorius præfecit motu propriæ voluntatis, inſcio & irrequiſito Imperatore, videlicet quemdam Caſinenſem Monachum Joannem, cognomento de Sancto-Liberatore, Eccleſiæ Sancti Vincentii de Vulturno; Conſanæ Priorem quemdam S. Mariæ-Novæ de Urbe; Salernitanæ, Famaguſtanam quondam Epiſcop. Averſanæ Cantorem Amalphitanum, & Capuanæ Pavenſem q. Epiſc. quos tanquam in ſuum præjudicium promotos, recipi Imperator in ipſis Eccleſiis non permiſit. Euntem etiam in Siciliam, tunc ad eum cum literis Apoſtolicis quemdam Caſinenſem Monachum Nicolaum de Colle Petri in Abbatem S. Laurentii de Averſa promotum non admiſit.

Menſe Novembri Imperator ipſe apud Brunduſium Iſabellam filiam dicti Regis Hieroſolymitani magnifice deſponſavit.

Inquiſitiones de facto mutui fiunt per terram Monaſterii.

Pax reformata eſt in Urbe, Senatoriæ dignitati cedentè Parentio, & Angelo de Beneficaſa ſubſtituto eidem.

Denarii novi, qui Imperiales vocantur, cuduntur Brunduſii, & veteres caſſati ſunt.

Imperator apud Trojam Natale Domini celebrat.

Digitized by Google

Colonienſis Archiepiſcopus in Alemannia cum quadam conſanguinea ſua interfectus eſt.

Imperator pro facto Prælatorum, quos Papa creaverat, ſuos ad eum Nuncios mittit.

Hoc anno Rex Alemanniæ Henricus filius Imperatoris filiam Ducis Auſtriæ duxit uxorem.

Honorius Papa pro facto Crucis Prædicatores mittit, & in Germaniam dirigit Portuenſem Epiſcopum cum literis ſuis, quas ipſis Prædicatoribus ſimili modo concedit.

Hoc anno Rex Franciæ monitus per Dominum Romanum Apoſtolicæ Sedis Legatum contra Albigenſes cum copioſo Francorum exercitu in Provinciam vadit.

Reges Hiſpani terram Miramomellini occupant.

Honorius Papa Indulgentiam Saraceniſci, quæ ex longiturnitate temporis ſatis inoleverat, tanquam falſam caſſavit, & irritam per ſuas literas denunciavit pariter & inanem, pro eo quod Clerici loci ejuſdem dabant accedentibus ad ipſam Eccleſiam remiſſionem peccatorum, facientes eis intelligi, quod ita de peccatis omnibus emundati recederent, ſicut pertica quædam, quam oſtendebant eis cortice emundatam.

MCCXXVI. Menſe Januario Honorius Papa Oliverium natione . . . . ad Eccleſiam S. Vincentii aſſumptum Electum ad Imperatorem in Apulia mittit.

Imperator ipſe Baronibus, & militibus infeudatis cæteris mandat, ut omnes ſe præparent ad eundum ſecum in Lombardiam, & ut omnes apud Piſcaram, ubi ſexto intrante Martii eſſe Imperator ipſe diſponit, debeant convenire.

Eo tempore Joannes dictus Rex Hieroſolymitanus diſcors ab Imperatore diſcedit.

Imperator de Apulia venit in Terram-Laboris, & relicta apud Salernum in caſtello Terracinæ Imperatrice ſua, ipſe in Apuliam redit celer, ubi Henricum de Morra Magiſtrum Juſtitiarium, Capitaneum ſtatuit Regni ſui, & ipſe Piſca-

Digitized by Google

Piſcaram ſe contulit, ac exinde in Ducatum Spoleti perveniens hominibus Ducatus ipſius per ſuas præcipit literas, ut ſecum in Lombardiam debeant proficiſci, quod cum facere ipſi renuerent, præter Papæ mandatum, cui tenebantur, Imperator ad eos literas iterat graviores, quas illi de Ducatu ad Papam remittunt. Quas ipſe Papa moleſte ferens, quod homines Eccleſiæ ſub certa pœna vocabat Cæſar ad expeditionem, ſuas ad eum literas dirigit, quas ipſe Imperator graves reputans, reſcribit ei quaſi de pari, & quia in reſcripto ipſo ſuam voluntatem ſatis Imperator voluit declarare, duxit ipſe Papa ſibi aſperius reſcribendum, propter quod Imperator ut ipſius placaret animum, reſcribit humiliter in omni ſubjectione.

Tunc mittit a Ravenna, ubi Paſcha Domini celebrat, Henrico Alemanniæ Regi filio ſuo, ut ſibi in Lombardiam occurrat. Deinde a Ravenna diſcedens, extra Faventiam, quæ ſibi adverſa erat, iter habens, apud caſtrum Sancti Joannis in territorio Bononienſi poſuit caſtra ſua, ipſum parte ſui exercitus per civitatem Bononiæ præeunte. Exinde vero ſe Imolam contulit, ubi tamdiu moram fecit, donec, ſicut prius fuerat, eam fecit aggeribus communiri, & procedens inde verſus Parmam dirigit iter ſuum.

Tunc Henricus Rex Alemanniæ cum copioſo exercitu ſuo venit uſque Veronam, ſed Lombardis impedientibus, ultra procedere non eſt permiſſus.

Imperator Cremonam vadit, ibique diebus paucis faciens moram, cum ſe civitas Veronenſis cum Mediolano, & aliis ſubſcriptis civitatibus ipſi Imperatori contrariis confœderaſſet, ad Burgum Sancti Domnini ſe contulit, ibique ſibi coadſiſtentibus quibuſdam Prælatis, & Principibus Alemanniæ, ac Proceribus Regni ſui, contra civitates iſtas ſibi contrarias, videlicet, Mediolanum, Veronam, Placentiam, Vercellum, Laudam, Alexandriam, Terviſium, Paduam, Vincentiam, Torinum, Novariam, Mantuam, Brixiam, Bononiam, & Faventiam, diffidationis evulgavit edictum,

quod, cæteris ſibi faventibus civitatibus præcipit obſervari.

Tunc prædictus Alemanniæ Rex, combuſta civitate Tridenti, in Alemanniam redit cum ſuis, & Imperator pater ejus per Tuſciæ partes in Regnum reverſus eſt, & in Apuliam veniens, convocatis ad ſe Juſtitiariis omnibus Regni ſui, ab eis de acceptis omnibus exigit rationes.

Tunc Prælati omnes, quos Papa creaverat, ſcilicet, Brunduſinus, Conſanus, Salernitanus Archiepiſcopi, Averſanus Epiſcopus, & Abbas Sancti Laurentii de Averſa in ſuis Eccleſiis recipiuntur.

Rex Franciæ Avinionem obſeſſam cepit, & exinde cum Legato Apoſtolicæ Sedis ad expugnandam Toloſam vadit, ubi venenatus, ut dicitur, obiit.

Imperator certum numerum militum dirigit ultra mare.

Nicolaus de Cicala, & Petrus Domini Ebuli cedunt officio Juſtitiariatus, & Rogerius de Galluccio, & Mauriſ. Rapiſtr. de Neapoli ſubſtituuntur eiſdem.

Menſe Novembri Reginus, & Tyrienſis Archiepiſcopi cum Magiſtro domus Alemannorum a Cæſare mittuntur ad Papam, pro compoſitione inter ipſum, & Lombardos facienda. Inter quos, mediante Papa, facta eſt in hunc modum: quod Imperator generaliter remittit omnibus prædictis Civitatibus, Legatis præſentibus ibidem, & ipſi pro parte Civitatum juraverunt pacem inter ſe invicem obſervare, & denuo committere cum domino Imperatore dari milites 400. ad ſubſidium Terræ-Sanctæ in transfretatione ſua.

Imperator menſe Decembri cum Imperatrice conſorte ſua in Siciliam transfretat, & tunc Stephano Abbati Caſinenſi has indulgentiæ literas mittit.

Fredericus &c. Stephano venerabili Caſinenſi Abbati Fideli ſuo &c.

Fidelitati tuæ præſentibus volumus eſſe notum, quod ad ſupplicationem tuam, quam per Judicem Petrum de Sancto Germano fidelem noſtrum, noſtro culmini porrexiſti, petitiones

Digitized by Google

nes tuas clementer admiſimus, ſuper eo videlicet, quod antiqua jura, & rationes, quibus tempore Regis Guillelmi recolendæ memoriæ, tuum Monaſterium eſt proviſum, tibi, & ipſi Monaſterio conſervare de noſtra gratia dignaremur, verum quia de ipſis juribus, & rationibus non conſtabat, per Petrum de Abulo, & Nicolaum de Cicala Juſtitiarios Terræ-Laboris inquiſitionem fieri fecimus diligenter. Qua clementer inſpecta, & per Judices Curiæ noſtræ diligenti proviſione diſcuſſa, capitula, quæ inferius continentur, ſic legitime ſunt probata, videlicet: quod tempore Regis Guillelmi Secundi, dum ipſe Rex cauſa orationis veniſſet ad Monaſterium Caſinen. & prædicta precatio pro ipſo domino Rege, Petrus de Inſula tunc Caſinenſis Abbas fecit colligi collectam per totam Abbatiam per ordinatos Bajulos ſuos, & ipſe procuravit eum. Item quod cum aliquis condemnabatur, in mercede Curiæ Regis, Juſtitiarii faciebant de perſona velle ſuum, terra remanebat Eccleſiæ, & omnia bona ſua recipiebat Monaſterium Caſinenſe, & ſi perſona, quæ erat condemnata, volebat ſe redimere, dicebat ei vendere de rebus ſuis. Item quod cum Imperator Henricus mandaſſet redemptionem colligi per totum Regnum, Abbas fecit colligi partem contingentem ipſam Abbatiam. Item quod precatio, quæ præſtabatur Regi Guillelmo per Abbatem fiebat, & Miniſtri Abbatis colligebant per terram Monaſterii precationem ipſam, & Bajuli Regis nunquam viſi ſunt ibi ad hoc. Item quod ſi quando aliqua ſervitia injungebantur à Domino Rege Abbati, vel etiam hominibus Abbatiæ, quod expediebatur per Abbatem, Monachos, & Miniſtros ejus. Item quod ſi quæ injungebantur Abbatiæ, expediebantur per Abbatem, & per homines ſuos. Item quod quando Rex miſit ſtolium in Romaniam, Abbas Caſinenſis dedit milites Domino Regi, & pro eis collegit per Abbatem ſolidos: tibi, & Monaſterio tuo duximus confirmanda. Quare mandamus fidelitati tuæ, quatenus dictis juribus, & rationibus per te, & officiatos tuos uti debeas, ſicut per inquiſitionem ipſam legitime ſunt probata. Datum Fogiæ, &c.

In-

Digitized by Google

Indulſit tunc etiam Imperator ipſi Caſinenſi Abbati, ut homines terræ ſuæ ipſe mitteret ad opus caſtelli Gajetæ, ſicut per Pandulfum, & Robertum Dominos Aquini haſtenus mittebantur.

Honorius Papa Joanni Regi quondam Jeroſolymitano pro vitæ ſuæ ſuſtentatione terram committit Eccleſiæ a Viterbio uſque ad Montem-Flaſconem.

Henricus de Morra Magiſter Juſtitiarius auctoritate Imperiali, contra Forbannitos, & luſores taxillorum, & euntes nocturnis horis, poſt tertium campanæ ſonitum ſua ſtatuta edidit in Sancto Germano; ac contra tabernarios etiam, ut ad ſecundum campanæ ſonitum claudant tabernas ſuas. Ita quod ad tertium campanæ ſonitum, nulla earum aperta valeat inveniri, & ſuper his inquirendis certum ſtatuit numerum juratorum, qui pœnas ſtatutas a transgreſſoribus recipiant pro diverſa criminum qualitate; quod ſi aliquis juratorum in dolo, ſeu fraude, vel negligentia fuerit deprehenſus, pœnam recipiat, quam recipere deberent prædicti, ſalvo in omnibus mandato, & ordinatione Imperiali.

Idem Magiſter Juſtitiarius per apertas literas ſuas conceſſit dicto Abbati Stephano, ut ſibi liceret juxta recordum bonorum hominum Sancti Germani generales nundinas per annum, quo tempore vellet, ordinare in ipſa terra Sancti Germani.

Comes Raimundus filius Raimundi de Bareto ſe contra Imperatorem in Introduco recipit, quem Bertholdus frater Raimundi dicti Ducis Spoleti, congregato Imperiali exercitu, obſidet, & expugnat.

Hoc anno Lacus Marſiæ, qui Fucinus dicitur, uſque adeo obriguit, quod homines in eo deſuper ambulantes, boves trahebant cum trabibus, & aliis lignaminibus neceſſariis ad cognam.

MCCXXVII. Menſe Januario. Careſtia frumenti tanta in ur-

Digitized by Google

in urbe Roma facta eſt, ut rubus tritici pro 20. ſolidis denariorum Senatus habere vix poſſet.

Honorius Papa ſuos ad Imperatorem in Siciliam Nuncios mittit, ut ſibi, & Romanæ Curiæ in victualibus ſubveniret, qui per Henricum de Morra Magiſtrum Juſtitiarium hoc fieri mandat.

Menſe Martio dictus Honorius Papa obiit 15. Kal. Aprilis, & Hugolinus Oſtienſis Epiſcopus in Papam Gregorium ſubſtitutus eſt illi. Qui per univerſum Orbem de ſua promotione, & obitu prædeceſſoris ſui mittit literas generales.

Menſe Junio dictus Papa Urbem exiens, venit Anagniam, & ſuos tunc ad Imperatorem Nuncios dirigit, ut ſibi fodrum faciat ab hominibus Regni deferri. Qui Henrico de Morra Magiſtro Juſtitiario hoc faciendum delegat.

Imperator ipſe Juſtitiarios omnes Regni ſui ad ſe in Siciliam vocat, reddituros ſibi de acceptis omnibus rationem.

Interea per totum Regnum pro felici tranſitu ſuo generalem collectam imponit, & tunc collectæ ſunt de terra Monaſterii unc. 450. Imperator ipſe de Sicilia in Apuliam venit, qui ad Papam Reginum Archiepiſcopum, & Magiſtrum domus Theutonicorum Legatos mittit.

Thomas de Aquino Acerrarum Comes in Siciliam transfretat.

Menſe Julio Cælanenſes omnes, qui captivi in Sicilia tenebantur, liberi dimittuntur, Imperatore mandante.

Eodem menſe Lantgravius cum Cruceſignatorum exercitu de Alemannia in Apuliam venit, tranſiturus in ſubſidium Terræ-Sanctæ.

Tunc in Anagnia ducentæ ferme domus, Papa ibidem præſente, combuſtæ ſunt. Fodrum portatur ibidem juſſu Imperiali, ad quod recipiendum, & aſſignandum quidam de Sancto Germano, Guillelmus Falloco nomine, per Imperatorem conſtitutus eſt ibi.

Stephanus Caſinenſis Abbas 11. ſtante Julii in Feſto Sanctæ Praxedis in Caſino obiit. Cujus obitus tam Papæ, quam

quam Imperatori per quoſdam de Fratribus nunciatur, a quibus de electione facienda recipiunt in mandatis.

Imperator cum Imperatrice conſorte ſua menſe Auguſto Hydruntum vadit, ubi relicta Imperatrice, vadit Brunduſium, ubi totus convenerat Cruceſignatorum exercitus, & ubi omnia vaſcella ad transfretandum fecerat congregari.

Interea de tota Marſia obſides capiuntur. In caſtello Gajetæ Caſtellanus, & ſervientes ponuntur.

Eodem menſe quidam in Urbe Vicarium Papæ ſe faciens, Papa inſcio & abſente, dum favore fretus Romanorum quorumdam, qui hoc fieri tolerabant, gratia quæſtus, ſtans apud porticum Sancti Petri, & poteſtate utens Apoſtolica, Crucesignatis omnibus abſolutionis beneficium impendebat, & per Romanos fautores tanti criminis, Crucem ab eis, quam aſſumpſerant, depoſcebat. Qui a Senatore Urbis captus poſt denunciationem sibi a Papa factam tunc apud Anagniam exiſtente, captus eſt, & debita perſonæ pœna mulctatus.

Interea pars Crucesignatorum non modica in Apulia, ſuperveniente infirmitate, cecidit per mortis occaſum. Imperator tamen cum Lantgravio, & reliquis Crucesignatis ſe parat ad tranſitum, ita quod in die Nativitatis Beatæ Virginis a Brundusio transfretans venit Hydruntum, & ſpem faciens iis, quos præmiſerat, de tranſitu ſuo; morari apud Hydruntum ex cauſa neceſſaria voluit, ubi, caſu accidente, dictus Lantgravius obiit, & ipſe tunc etiam Imperator, ſicut diſpoſuerat, ſuperveniente ægritudine, non tranſivit. Quamobrem Papa motus contra eum apud Anagniam penultimo menſis Septembris in Feſto Dedicationis Archangeli, denunciavit ipſum Imperatorem in latam dudum apud Sanctum Germanum excommunicationis ſententiam incidiſſe. Imperator de Apulia tunc venit ad Balnea Puzoli. Gregorius Papa, de Anagnia per Velletrum iter habens, redit ad Urbem. Ad quem ad ſuam excuſationem ſuos dirigit Nuncios Imperator, Reginum ſcilicet, & Baren-

Digitized by Google

renſem Archiepiſcopos, Raimundum dictum Ducem Spoleti, & Comitem Henricum de Malta, quibus non plus credens, quam Nunciis ſuis, de invalitudine Imperatoris, vocatis ad Urbem Prælatis Ciſmontanis, & de Regno quos potuit, in octavis B. Martini publice excommunicat ipſum, & per totum Occidentem literas ſuper hoc dirigit generales.

Electio, licet diverſa, Abbatis in Monaſterio Caſinenſi celebrata eſt, inter quos Landulfus Senebal. unus de electis, repræſentata Papæ electione, de gratia conceſſus eſt Abbas, ſuum in eum Imperatore dante aſſenſum, & aliorum per Papam electione caſſata.

Tunc Imperator ipſe menſe Novembri venit Sueſſam, & inde Gajetam ſe confert, & de eisdem greſſibus Capuam redit, ubi, ad ſuam excuſationem, ad omnes Orbis Principes, & in Alemanniam literas mittit, quibus ſignificat eis, quod ad tranſitum paratus cum eſſet, ſuperveniente ægritudine, tranſire non potuit, quod cum Domino Papæ ipſe per ſuos Nuncios intimaret, cum nollet ſuper hoc ejus Nunciis fidem dare, contra ſe proceſſerat pro motu propriæ voluntatis. Interim omnes Regni ſui Comites Capuam convocat, ibique rexit Curiam generalem, ſtatuens, ut ſinguli Feudatarii darent de unoquoque feudo octo unc. auri, & de ſingulis octo feudis militem unum in proximo futuro menſe Maii, in quo ad Terræ-Sanctæ ſubſidium transfretare diſpoſuit. Solemnem vero Curiam apud Ravennam ſtatuit menſe Martii celebrandam. Tunc prudentem virum Magiſtrum Roffridum de Benevento mittit ad Urbem cum excuſatoriis ſuis, quas idem Magiſter publice legi fecit in Capitolio, de voluntate Senatus, Populique Romani.

Menſe Decembri Landulfus Senebal. in Abbatem Caſinenſem electus ad Papam vadit, & in quatuor Temporibus Natalis Domini ab eo Sacerdotii munus accepit. Et cum eo quidam Gregorius de Carboncello Caſinenſis Monachus in Abbatem Terræ-majoris promotus eſt, cum quibus duo ex parte Papæ Nuncii veniunt ad Cæſaream Car-

dinales, Magiſter ſcilicet Thomas Tituli Sanctæ Sabinæ Presbyter, & Magiſter Oddo Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis. Et tunc cum eis celebrato Natali apud Sanctum Germanum, ad Imperatorem vadit Abbas Caſinenſis prædictus, ipſos præeunte dicto Abbate Terræ majoris, qui a Cæſare prohibitus, ad ſuam tunc Eccleſiam non acceſſit.

MCCXXVIII. Menſe Januario. Denarii novi Brunduſini per Urſonem Caſtaldum in S. Germano dati ſunt, quorum ſumma fuit 160. unc. quos Magiſter Fridericus, & Fridericus Landus de Malacucclar, Procuratores ab Abbate relicti, diſtribui particulariter per terram Monaſterii præceperunt.

Eodem menſe. Clericorum Focariæ filii, & filiæ, juſſu Imperatoris capiuntur ubique per Regnum.

Dicto Abbati Caſinenſi ab Imperatore in mandatis datur, ut centum ſervientes bene paratos inveniat cum expenſis, & armis per annum neceſſariis ad ſervitium Terræ Sanctæ.

Dictus Magiſter Fridericus, & Fr. Berardus de Cælano vocati ad Papam vadunt, quorum alter, ſcilicet Fr. Berardus, procurationem recipit Sancti Gregorii in Urbe; alteri vero Farfenſis Eccleſiæ renuit Abbatiam.

Archiepiſcopus Panormitanus Nuncius a Soldano ad Cæſarem rediens, Elephantem unum, mulos, & pretioſa quædam alia munera ipſi Imperatori detulit ex parte Soldani.

Menſe Februario Oderiſius de Averſa Caſinenſis Monachus a Gregorio Papa in Abbatem Sancti Vincentii promotus eſt.

Menſe Martio pro centum prædictis ſervientibus collectæ ſunt de terra Monaſterii unc. 1200.

Eodem menſe Landulfus Caſinenſis Abbas vocatus eſt a Cæſare, ut ad ipſum vadat apud Tarentum. Et quibuſdam de Regno Prælatis injungitur, ut ſe ad transfretandum debeant præparare.

Impe-

Imperator apud Barolum Paſcha Domini magnifice celebrat in omni gaudio, & exultatione, quia ſicut ex literis tunc didicerat Thomæ de Aquino Acerrarum Comitis ad ſuum ſervitium in Syria exiſtentis, illis diebus Corradinus Soldanus Damaſci mortuus fuerat. Quamobrem in ſudſidium Terræ-Sanctæ dirigit Riccardum de Principatu Mareſcalcum ſuum cum quingentis militibus, qui a Brunduſio felici omine transfretavit.

Gregorius Papa celebrato Paſcha apud Lateranum, poſt tertium diem ad Sanctum Petrum ſe contulit, ubi Romani accedentes ad ipſum, cum illum crederent Urbem velle occulte exire, tum propter factum Imperatoris, tum pro facto Viterbii, injuriis multis, & contumeliis affecerunt ipſum, & ſeditio magna contra eum facta eſt a Popularibus.

Menſe Aprili Romanorum exercitus ſuper Viterbium vadit.

Imperator pro ſubſidio Terræ-Sanctæ, ab Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis ubique per Regnum certam exigit pecuniæ quantitatem, & tunc de mille ducentis unc. propter hoc impoſitis terræ Monaſterii remiſit Imperator de gratia unc. centum.

Gregorius Papa Urbem exiens ſub fido ducatu, vadit Reate menſe Aprili.

Eodem menſe Gregorius Papa per ſuas mandat literas univerſis Eccleſiarum Prælatis, & Clericis per Regnum Siciliæ conſtitutis, ſub interminatione ultionis canonicæ, ne quis eorum Imperatori, aut Bajulis ſuis dare aliquid pro redemptione, data, vel collecta præſumat.

Imperatrix apud Adriam filium parit, nomine Conradum, qui non multo poſt, ſicut Domino placuit, ibidem in fata conceſſit.

Imperator Regni Prælatis, & Magnatibus coram ſe apud Barolum congregatis, parato ſibi tribunali ſub dio propter gentis multitudinem, quæ copioſa erat, proponi fecit,

& legi ſubſcripta Capitula in modum teſtamenti, ut videlicet omnes de Regno, tam Prælati, quam Domini, & eorum ſubditi, omnes in ea pace, & tranquillitate viverent, & manerent, qua eſſent, & vivere ſoliti erant tempore Regis Guillelmi Secundi, relicto tunc Regni Ballio Rainaldo Duce Spoleti, & ſi deficere Imperatorem contingeret, ſibi in Imperio & Regno ſuccederet Henricus filius ejus major; quod ſi illum abſque liberis mori contingeret, Conradus filius ejus minor ſuccederet illi; quod ſi ambo decederent, filiis non extantibus, filii ipſius ſuperſtites, quos de legitima uxore ſuſcepit, in eodem Regno ſuo ſuccedant: & præcipit, ut omnes homines Regni ſui, quæ ſtatuit, debeant juramento ſervare; quæ tamen ſic obſervari mandavit, ſi in præſenti paſſagio humanitus de ipſo aliquid contingeret, niſi aliud teſtamentum ab eo editum compareret. Hæc coram ſe jurari fecit Imperator a Duce prædicto, & Henrico de Morro Magiſtro Juſtitiario, & aliis nonnullis de Regno. Diſpoſuit etiam, quod nullus de Regno pro data vel collecta aliquid daret, niſi pro utilitatibus Regni, ac neceſſitatibus expediret.

Menſe Majo Caſale quoddam in Apulia, quod Gaudianum dicitur, Melfienſis Diœceſis, ob culpæ meritum, Imperatore mandante deſtruitur.

Domini de Pupplito rebelles facti ſunt Imperatori.

Romani facta in extrinſecis deſtructione Viterbii, & obtento per vim caſtro quodam, quod Raſpampanum dicitur, ipſis Viterbienſibus ſubdito, læti ad Urbem redeunt; quibus recedentibus, Viterbienſes in campis caſtra ponentes; quæ poſſunt mala irrogant circumadjacentibus caſtellis fautoribus Romanorum.

Menſe Junio Imperialis exercitus ſuper Dominos de Pupplito vadit, quibus Pupplitum auferunt, & nonnulla alia caſtra.

Gregorius Papa a Reate diſcedens, vadit Spoletum, & exinde Peruſium.

Impe-

Digitized by Google

Imperator apud Brunduſium ſe conferens, mare intrat, ac apud S. Andream de Inſula juſſit omnia navigia parata ad tranſitum convenire, ac exinde Hydrontum navigans, feliciter ultra mare ad Crucis obſequium transfretavit, ubi quid egerit, qualiter in Terræ-Sanctæ recuperatione profecerit ſequens lectio declarabit.

Gregorius Papa menſe Julio de Peruſio vadit Aſiſium, ubi Fratrem Franciſcum Minorum Fratrum Ordinis inventorem, propter duo, quæ fecerat miracula in aperto, in cœco videlicet uno, & claudo, quibus viſum, & greſſum reddiderat, canonizavit, & Peruſium rediens, ibi anniverſarium magnifice celebrat Innocentii Papæ prædeceſſoris ſui.

Eodem menſe Julii Mons Iſclæ ſubverſus eſt, & operuit in Caſalibus ſub eo degentes fere ſeptingentos homines inter viros & mulieres.

Menſe Aug. Marius Rapiſtr. ceſſit officio Juſtitiariatus, & Stephanus de Anglone, & Pandulfus de Aquino ſubſtituti ſunt illi de mandato Ducis Spoleti, qui de Apulia Introducum vadit, & omnes de Regno ſolicitat infeudatos, ut ad eum vadant cum exfortio ſuo, ad Dominorum Puppliti rebellium confuſionem, qui ſe contra Imperatorem in Capitiniano receperant. Interea Imperialis exercitus capit Turrem de Renaria, terram quamdam de novo contra Imperatorem firmatam, quam totam deſtruxerunt. Rainaldus Dux Spoleti cum Imperiali gente Dominos Puppliti in Capitiniano obſidet, qui cum ſe non poſſent tenere, accepta ab eo ſecuritate de perſonis & rebus ſuis, ſe apud Reate contulerunt. Tunc Dux ipſe Marchiam intrat, ac Bertholdus frater ejus circa Nurſiæ provinciam remanet. Qui caſtrum quoddam, quod Pruſa dicitur, ſibi rebelle deſtruxit, ejuſque incolas pœnis addixit variis, & tormentis, & Saracenorum traditos poteſtati, quos ſecum de Apulia duxerat, in ipſis cruciatibus exhalare coegit.

Gregorius Papa in Ducem ipſum pro eo, quod Marchiam intraverat, ac admonitus ſæpius, ut ipſam exiens, in pa-

Digitized by Google

in pace dimitteret, hoc ipſe Dux facere noluit, excommunicationis ſententiam promulgavit, ejuſdem excommunicationis innondans vinculo omnes ſequaces illius. Cumque nec ſic revocare poſſet eundem, vim vi repellere licitum putans, ad Marchiæ defenſionem, quæ Eccleſiæ ſuberat, materiali gladio niſus eſt contra ipſum, qui jam pro parte Marchiam ad opus Imperii cœperat occupare, & tunc Joannem quondam Jeroſolymitanum Regem, & Joannem de Columna Cardinalem cum copioſo militari, & pedeſtri exercitu dirigit contra eum. At cum nec ſic Dux ipſe deſiſteret ab incœptis, arbitratus eſt ipſe Papa contra Regnicolas acies dirigere bellatorum, ut Regni ſtatu, & pacis quiete turbata, quod Dux ipſe voluntarius noluit, ſic facere cogeretur invitus, ac Marchiam dimitteret, quam uſque Maceratam Cæſaris Imperio ſubjugarat. Nam collectis undique Campaniæ, ac Maritimæ viribus, congregavit exercitum, cui quemdam Pandulfum de Anagnia Capellanum ſuum, qui legationis officio fungebatur, & excluſos de Regno Comites, Thomam de Cælano, & Rogerium de Aquila præfecit Capitaneos, & ductores.

MCCXXIX. Hi menſe Januario 18. per Ceperanum venientes in Regnum Claveſignati, Inſulam pontis Solaratti, quæ Regni erat oſtium, quam quidam Adenulfus Balſanus pro Imperatore tenebat, primitus expugnantes, cum ſe tenere non poſſet, per vim ceperunt.

Bartholomæus quoque de Supino, qui caſtrum tenebat S. Joannis de Incarica, & Riccardus filius Domini Roberti de Aquila, qui Dominus erat Paſtinæ, metus cauſa, ſponte ad mandatum venerunt Eccleſiæ. Et præteriens exercitus flumen Teles, verſus Fundos dirigit caſtra ſua, & cum civitatem ipſam, quam quidam Joannes de Poli civis urbis Romæ pro Imperatore tenebat, acriter impugnaret, vi eam obtinere non potuit, ſicque confuſus, nec ſine gravi damno Ceperanum reverſus eſt. Venerat tunc temporis ad S. Germanum Nicolaus de Cicala pro parte Imperato-

ratoris, & Henricus de Morro Magiſter Juſtitiarius ſuperius nominatus cum Regni filiis, Raone de Balbano Comite, Landulfo de Aquino, & Stephano de Anglone Juſtitiario, Adenulfo de Aquino filio nobilis viri Thomæ de Aquino Acerrarum Comitis, Rogerio de Galluccio, aliisque undique congregatis, Imperatori fidelibus, ad reſiſtendum hoſtibus prompta voluntate paratis, domini etiam de Aquino Pandulfus, & Robertus Aquinum pro fide Cæſaris laudabiliter munierunt. Tunc Landulfus Caſinenſis Abbas Caſinum, & Roccam Jani neceſſariis omnibus ſufficienter munivit, & Roccam ipſam dudum juſſu Imperatoris dirutam a parte Sancti Germani in mœnibus reparavit. Tunc & homines S. Germani mandato Juſtitiarii ſummitatem murorum S. Germani Cæſaris dudum imperio dirutam repararunt; ſeque inermes, armis neceſſariis ad reſiſtendum hoſtibus decenter armarunt.

Papalis exercitus, qui in clavium ſigna gerebat, Roccam Arcis, in qua quidam Rao de Azia erat pro Cæſare Caſtellanus impugnare providit; ſed cum in nullo proficeret, non abſque læſione gravi, villa ipſius Roccæ combuſta, Cæperanum reverſus eſt. Et tunc quidam de exercitu diſcurrentes per terram Sancti Benedicti, villas Rivi-Vitellati, & Eccleſiam Sancti Petri, & Sancti Pauli de Foreſta, Dei metu poſtpoſito, bonis omnibus ſpoliarunt.

Menſe Martio III. intrante eodem menſe, qui dies erat Sabbati, Papalis exercitus prætermiſſa civitate Aquini, cum prædictis excluſis Comitibus terram intrat Sancti Benedicti, qui caſtrum Pedemontis per vim capientes, licet qui erant in eo, pro viribus reſtitiſſent, quadraginta ſervientes ad ipſius caſtri cuſtodiam deputarunt. Hi ſequenti Dominica verſus Sanctum Germanum ſuas acies dirigentes, venerunt uſque ubi dicitur Monumentum. Et exinde deſcendentes, cum nullus de Imperiali exercitu, hoc Magiſt. Juſtitiario prohibente, egrederetur ad illos, per Plumbareolum, quæ metus cauſa fuerat ab incolis derelicta, iter haben-

Digitized by Google

habentes, & per caſtrum Pignatarii, quod deſertum ſimiliter fuerat, verſus Sanctum Angelum Theodici dirigunt greſſus ſuos, ſed cum nihil proficerent, quia bene munitum erat caſtrum, & illuc Rogerius de Galluccio cum 40. ſervientibus miſſis a Magiſtro Juſtitiario venerat, abinde receſſerunt, & verſus caſtrum Teramum profecti ſunt, quod vi capientes, quanquam ipſius habitatores optime ſe pro fide Cæſaris defendiſſent, bona diripientes eorum, illud incendio tradiderunt, ſicque onerati ſpoliis, in Campaniam ſunt reverſi. Quibus recedentibus Magiſter Juſtitiarius cum Imperiali exercitu exiens de S. Germano, una cum Dominis Aquini ſuper caſtrum Pedemontis vadit, illud dare deſtructioni diſponens, niſi Abbatis, & conventus precibus deſtitiſſet, ſicque in ſua reverſi ſunt. Tunc ad ipſum Juſtitiarium viri fideles Cæſaris undique confluentes, cum eis reſiſtere hoſtibus parabat. Menſe igitur Martii XVII. die Veneris rediens Papalis exercitus ad caſtrum Pedemontis, ſequenti die ſe in duas dividens acies, per montes, & plana milites, & pedites iter habentes, eorum quidam verſus Monaſterium, quidam verſus Sanctum Germanum dirigunt greſſus ſuos, quibus cum idem Magiſter Juſtitiarius, cujus inducebant animum diverſorum conſilia in diverſum, vellet obſtare, ne per montium aditus liber pateret hoſtibus ad Sanctum Germanum acceſſus, ipſis per vires oppoſitas obſiſtere prævidit in monte, mittens ad obſervandum montium tranſitus quoſdam de nocte milites, & baliſtas, qui aſcendentes, hoſtes pro viribus repellentes, bellum inire cum eis pro fide Cæſaris minime timuerunt, cumque in loco, ubi eſt Eccleſia Sancti Matthæi Servorum Dei conflictus fieret, rumor ad ipſum Juſtitiarium, quod ſui cum hoſtibus dimicarent, ad Sanctum Germanum pervenit, qui mox, licet inconſulte, montem ſubiens, nec metuens mortis occaſum, hoſtium in medio ſe objecit cum ſuis, quem ſecutus Adenulfus filius Acerrarum Comitis memorati & nonnulli milites, & pedites, qui mori pro fi-

de

Digitized by Google

de Cæſaris non timebant, hoſtium ictus repellere ſuis ictibus conabantur, ſed cum locus non eſſet idoneus ad pugnandum, & viam illam, qua itur ad Sanctam Mariam de Alaneto, fugatis Imperialibus de ſupernis, Papalis acies jam occupaſſet, cum ex adverſo aſcendentibus ipſe Juſtitiarius obſtare non poſſet, retrocedere, non ſine ſuorum clade, coactus eſt, & tunc cum ipſo Adenulfo Acerrarum Comitis filio, in brachio vulnerato, & ex ſuis admodum paucis, in vallo Caſinenſis Monaſterii ſe recepit, ubi per ipſum Juſtitiarium Jacobus Sinibaldus cuſtos fuerat inſtitutus, reliquos verſus Sanctum Germanum ad fugam cogentibus illis, qui habuerant de Marte triumphum; quos cives Sancti Germani, qui Cæſaris fidem ſervabant, unanimiter receptantes, cum ſuis omnibus ſalvos fecerunt, & ea die, quamquam diros, & duros paterentur inſultus ab hoſtibus, ita quod enſes, ignem, & jacula non timerent, turribus, & mœnibus inſiſtentes, hoſtium viribus non ceſſere. Sic ergo die ipſa, novercante fortuna, de Imperialibus obtenta victoria, Pandulfus Apoſtolicæ Sedis Legatus ab ea parte, quæ dicitur Porta-Vetus, cum nonnullis de majoribus exercitus veniens, ſub comminatione depopulationis, & deſtructionis perpetuæ Monaſterii Abbatem præfatum, ut ſibi ad mandatum Papæ Monaſterium redderet, & ipſum Juſtitiarium traderet in manus ſuas, inducere procuravit, quod cum facere omnino renueret, dicens, quod abſque gravi & grandi periculo fieri hoc non poſſet, longo ſuper hoc tractatu habito, quem ego neſcio, Deus ſcit, a Legato, & ſuis, pro Magiſtro Juſtitiario, & his, qui ſecum erant, præſtito juramento, quod ſalvi eſſent, ipſi Legato patuit Monaſterium, qui ſtatutis in eo militibus, & ſervientibus, ultra centum, cum Abbate, & Magiſtro Juſtitiario mox ad Sanctum Germanum deſcendit. Quos cum homines Sancti Germani, quamquam ſæpius requiſiti, recepiſſent, non niſi ſcire in vero ipſum Juſtitiarum liberatum, & ſuos, ea nocte in Burgo exteriori eos oportuit

pernoctare. Ea vero nocte Comes Rao de Balbano, cum nonnullis de exercitu Imperiali, qui ſe in Sancto Germano receperant, & plus de morte, quam de vita ſperabant, metuebant enim, ne a civibus hoſtibus traderentur, ab his, qui noctis vigilias cuſtodiebant de Sancto Germano, per poſterulas civitatis dimiſſi ſunt liberi, & abierunt in ſua, & nihil de ſuo arneſio amiſerunt. Igitur mane ſequenti Papalis exercitus terram intrat Sancti Germani, Rocca Jani ſe prius reddente Legato, cui homines Sancti Germani jurant ad opus Papæ, licet inviti. Quo audito, & cognito, tremuit omnis terra, quæ ſe non poterat ab hoſte tueri. Tunc Magiſter Juſtitiarius liber dimiſſus eſt, & ſe Capuam contulit. Adenulphus etiam de Aquino Acerrarum Comitis filius, necnon & Jacobus Senabaldi prædicti redierunt in ſua.

Poſt dies vero decem ſe movens de Sancto Germano exercitus, facta compoſitione cum iis, qui erant in Palatio Miniani, Minianum recipiunt, quod hæredibus quondam Malgerii Sorelli reſtituunt, & procedentes inde, Præſentianum obtinent, Venafrum, & Sernia per Nuncios ſe ſibi reddunt. Pretam quoque per vim obtinent, & Vairanum, ac totam terram filiorum Pandulfi, uſque Calvum, quot ſunt, recipiuntur ad opus Eccleſiæ: Teani necnon civitas, & Calenum veniunt ad mandatum Papæ. Tunc per Francoliſium iter habens exercitus, Sueſſam ſe contulit, ſibi pro fide Cæſaris reſiſtentem, quam longa ſatis obſidione arctatam, cum jam cives inciperent ſitis ſquallore deficere, non curantes arborum, & vitium inciſiones, illuc enim venerat Apoſtolicæ Sedis Legatus Pelagius Albanenſis Epiſcopus, civitatem recipiunt ad opus Papæ, necnon & caſtellum, quod munire ſervientibus curaverunt, & procedentes inde verſus Roccam Draconis dirigunt greſſus ſuos, quam circumpoſita obſidione arctantes, villa prius inferiori obtenta, & una de turribus per vim capta, & poſt diros inſultus, facta cum Caſtellano compoſitione, Roccam ipſam obtinuerunt,

runt. Tunc Gajetani cum Caſtellano caſtelli componentes, caſtellum recipiunt ad manus ſuas. Et tunc per Albanenſem Epiſcopum Gajetanorum civitas, quia parere noluit Eccleſiæ, ſupponitur interdicto. Tunc etiam, ipſo Legato mandante, dicto Caſinenſi Abbati caſtrum reſtituitur Pedemontis.

Prædicti Aquini Domini Pandulphus, & Robertus, civitate Aquini relicta, ſe Capuam conferunt ibidem una cum Magiſtro Juſtitiario, & Nicolao de Cicala, qui erant in ea ad Cæſaris ſervitium moraturi.

Aquinum, ipſis recedentibus, venit ad mandatum Eccleſiæ, Pontem-Curvum, & totam terram Monaſterii, Roccam Bantræ, in qua erat quidam Caſtellanus Apulus, quidam ipſius Legati Clericus, Oddo de Machilone nomine, recipit ad opus Papæ, data eidem Caſtellano quadam pecuniæ quantitate. Tunc quidam Guillielmus de Sora, qui pro Imp. Trajectum tenebat, & Sugium, ea Legato reddidit ad opus Eccleſiæ.

Gajetæ civitas multis inducta ſuaſionibus, & promiſſis, in partem cedit Eccleſiæ, & Caſtellum, quod Cæſar in ea fieri fecerat, multis laboribus, & expenſis, diruitur, & omnis ejus ſtructura in mare projicitur. Quidam inde Gajetani in fide Cæſaris radicati de civitate relictis propriis abjerunt. Tunc Rogerio de Aquila Comiti Sugium redditur, & Trajectum.

Illis diebus Guillelmus de Sora a quodam Taſſuro cive Capuæ Caſtellano Roccæ Guillelmi capitur, & cuſtodiæ traditur carcerali.

Beneventani, qui R. E. ſuberant, audito quod Papali exercitui ſic proſpere cederet, in Apuliam diſcurrentes, prædam boum, & animalium aliorum magnam ceperant, quibus cum prædictus Comes Racne de Balbano in reditu ſe opponeret, ab eis devictus eſt & fugatus; propterea Magiſt. Juſtitiarius, collectis undique viribus, & iis, qui Imperatoris fidem ſervabant ab ea, quæ dicitur Portaſumma, devaſtat in exterioribus Beneventum.

Fratres Minores ubique per Regnum juſſu Rayn. Ducis Spoleti expelluntur de Regno, cum diceretur, quod ipſi ad Prælatos civitatum Apoſtolicas tulerint literas, ut homines inducerent, quod ſe debent reddere Domino Papæ. Tunc & Monachi Caſinenſes de ſuis obedientiis, captis omnibus, quæ habebant, expelluntur ipſo Duce mandante, & metus cauſa multi ipſum mutare habitum ſunt coacti. Papalis exercitus conſilio inito verſus Capuam vadit, & a parte Anglonæ per triduum moram fecit. Erat enim civitas Capua viris munita, & viribus, quæ fidem Imperatori integre conſervabat: poſt triduum vero inde ſe movens Papalis exercitus verſus Aylanum dirigit caſtra ſua, quod caſtellum Acerrarum Comes tenebat, ſed qui erant intus, cum ſe poſſe defendere deſperarent, nepos ipſius Comitis, Abbate Caſinenſe partes ſuas interponente apud legatum, caſtrum ipſum recipit ad manus ſuas, indeque procedens exercitus vadit Aliſiam, quæ licet reniteretur, poſt diros inſultus factos in eam, per vim obtinet, & ad opus illam recipit Eccleſiæ. Similiter & caſtrum Pedemontis, quod erat Comitis memorati, turris tamen caſtri ipſius eſt ad fidem ipſius Comitis conſervata. Tunc & civitas Teleſiæ Legato ſe reddidit cauſa metus.

Papalis exercitus per terram Joannis Sanfraymundi, quam ſibi pro parte ſubegit, tranſiens, occurrentibus illis de Benevento, ſe contulit Beneventum, & tunc ipſi Beneventani cum Papali exercitu, & cum viribus ſuis vicinos adverſarios vehementer impugnant, Padulem, & Apicem cum ſe tenere non poſſent, recipiunt. Cippalonum comburunt, munitione ſuperſtite remanente, Caſalia Montis-Fuſculi igne cremant, ubi adveniente rumore, quod Cæſar de Syria in Apuliam venerat, Papalis exercitus cauſa metus cœpit diſſolvi. Dominus Joannes de Columna Cardinalis, & Joannes Rex quondam Hieroſolymitanus, ac Lombardorum copioſus exercitus Raynaldum Ducem Spoleti, velut hoſtem Eccleſiæ proſequentes, illum exire Marchiam, & in Regnum

Digitized by Google

gnum redire compellunt, & receptantem ſe in Sulmona tenent obſeſſum. Tunc caſtrum Peltorani recipiunt.

Romani ſuper Viterbium vadunt, & civitatem, ac caſtrum quondam ad eam pertinens devaſtantes, quod Monaſterium dicitur; ad Urbem reverſi ſunt.

Tunc Pelagius Legatus prædictus Nuncios ad Joannem de Columna Cardinalem, & Joannem Regem quondam Hieroſolymitanum ſub celeritate transmittit, ut ad ſe venire feſtinent. Qui ad vocationem Legati, ab obſidione recedentes civitatis Sulmonæ, per vallem Sangri in Comitatum Moliſſi veniunt, Alfidenam vi capiunt, & caſtellum ejus, in quo ſe quidam Vinciguerra de Averſa receperat cum gente ſua, & ipſum, & ſuos duxerunt captivos. Schintronem recipiunt, villam caſtelli de Sangro comburunt.

Comes Campaniæ cum militari, & pedeſtri exercitu ſuper Soram vadit; illam ad opus Papæ recipit, munitione ſuperiori ſe pro Cæſare tenente, recipit etiam Arpinum, & Fontanam, vallem quoque Soranam, & totam Marſiam. Rex vero quondam Hieroſolymitanus cum Joanne de Columna Cardinale flumen Vulturni tranſiens, Campanorum exercitui, qui ob metum Imperatoris, de quo fama erat, quod in Apuliam adveniſſet, apud Teleſiam repedaverat, ſe conjungit, & inde progrediens totus exercitus, ſupra Cajatiam vadunt.

At Imperator de Syria in Apuliam veniens apud Brunduſium ad expugnandos Lombardos, & Campanorum hoſtiles cuneos, gentem congregat, literas de felici adventu ſuo in Siciliam, & Calabriam mittit, fideles ſuos de Capua hortatur, & animat ad fidelitatem ſuam, mittens ad illorum auxilium dictum Thomam de Aquino Acerrarum Comitem, & celerem ſuccurſum ſuum promittens eiſdem.

Tunc ad eum vadit Dux præfatus Spoleti cum ſuis, liber exiens de Sulmona, Magiſter Juſtitiarius, & alii, qui ſibi fidem ſervaverant incorruptam.

Illis diebus milites nonnulli ſtrenui Theutonici de Syria venientes ad portum Brunduſii applicuerunt, quorum fretus

tus auxilio Imperator, qualiter cum eis, & Regni fidelibus in recuperatione terræ profecerit, præmiſſo tamen quod in Terra-Sancta egerit ipſe, quod ſilentio prætereundum non eſt, ſequens lectio declarabit.

Igitur cum adhuc eſſet in Syria Imperator, hæc in Regnum de ipſo fama pervenit: quod 15. Novembris proxime præteriti, Joppen veniens cum Chriſtianorum exercitu, ad reædificationem caſtri ipſius intendit, ut facilior fieret in Hieruſalem proceſſus, & dum citius per terram neceſſaria mittere ſufficienter cum ſummariis nequiviſſet, quilibet pro facultate ſua barcas in portu Aconitano oneraverat, ſed mutato aere, & turbato mari, tanta ſubito tempeſtas inhorruit, ut vaſcella cum victualibus nullatenus ad exercitum ferri poſſent, at cum Chriſti exercitus in multa anxietate tunc eſſet, fere omne conſilium exercitus deſperarat, murmurantes, & nihil aliud ſupereſſe videbant, quam in Acon redeundum. Qui dum in tali eſſent diſcrimine poſiti, miſericors & miſerator Dominus, qui facit poſt tempeſtatem tranquillum, & prope eſt omnibus invocantibus ipſum, ſerenato mox aere, mare tumidum pacavit, tantaque navium, & barcarum multitudo venit Joppen, ut omnis defectus prius habitus in plenitudinem omnium neceſſariorum, & abundantiam mutaretur. Ab illo tempore ulterius tantam fecit Deus aeris temperiem, ut indifferenter, & magna, & minima vaſcella irent, & redirent per mare, ita quod omnis copia neceſſariorum in terra ſemper eſt habita. Tunc de communi omnium conſilio cœpta ſunt ædificia caſtri Joppen in foſſatis, & muris erigendis, quod erit memoriale in ævum omni Chriſtianitati, quia per Dei gratiam, ex nimia devotione ac affectu, quem Imperator, & omnis populus circa idem opus habebat, & laborabat inceſſanter tota die, ante Dominicam caput Quadrageſimæ uſque adeo fuit promotum, quod a principio ſuæ inchoationis nunquam extit adeo forte, ac bene factum. Interea vero cum hæc ſollicite agerentur,

Nun-

Digitized by Google

Nuncii Soldani, ac Imperatoris indifferenter ibant hinc inde, tractantes de bono pacis, & concordiæ. Soldanus vero idem, & frater ejus, qui vocabatur Sarech cum innumerabili exercitu juxta Gazeram jacebant ad unam dietam, & Soldanus Damaſcenus cum ſuo magno exercitu erat apud Neapolim per unam ſimiliter dietam diſtans ab exercitu Chriſtiano, & dum de reſtitutione tractaretur Terræ-Sanctæ, Dominus Jeſus Chriſtus, qui eſt ſapientia Patris, ſua ſolita providentia ſic ordinavit, quod Soldanus reſtituit Sanctam Hieruſalem ipſi Imperatori, & Chriſtianis cum omnibus tenimentis ſuis, excepto quod Templum Domini debet eſſe in cuſtodia Saracenorum, quia diu conſueverant orare ibidem, & ut liberum introitum, & exitum habeant illuc accedentes orationis cauſa, & Chriſtianis ſimiliter, orationis cauſa ſit expoſitum. Villam etiam, quæ dicitur ad Sanctum Georgium, & caſalia, quæ ſunt ex utraque parte viæ, atque Hieruſalem, Bethleem quoque, & caſalia, quæ ſunt inter ipſam, ac Hieruſalem reſtituit: Nazareth etiam cum ſuis tenimentis, & cum caſalibus, quæ ſunt inter Acon, & Nazareth reddidit in manus Chriſtianorum. Redditum eſt etiam caſtrum Zorontis cum ſuis tenimentis, pertinentiis, & villis. Necnon civitatem Sydonis cum tota planitie, quæ ſibi attinet, reddidit, ſed & omnes terras, quas Chriſtiani tempore pacis habebant, & in pace tenebant; licebit autem ex pacto Imperatori, ac Chriſtianis reædificare civitatem ſanctam Hieruſalem in muris, & turribus, caſtrum Joppen, & caſtrum Cæſareæ, Montem-Fortem, & caſtrum novum, quod firmari hoc anno inceptum eſt in montanis. Veriſimile enim videtur, quod ſi tunc Imperator cum gratia, ac pace Romanæ Eccleſiæ tranſiſſet, longe melius, & efficacius proſperatum fuiſſet negotium Terræ-Sanctæ. Sed quanta in ipſa ſua peregrinatione adverſa pertulerit ab Eccleſia, cum non ſolum ipſum Dominus Papa excommunicaverit, verum-etiam quod ipſum excommunica-

Digitized by Google

nicatum ſcirent, & tanquam excommunicatum vitarent eundem, Patriarchæ Hieroſolymitano mandavit, Magiſtris domorum Hoſpitalis, & Templi, propter quod ſuum in exercitu Chriſtiano juſſit preconium ſubticeri, & ne Terræ-Sanctæ diſſolveretur negotium, ad quod ipſe Imperator pro viribus incumbebat, & intendebat ipſi exercitui ſuper Theutonicos, & Longobardos Magiſtrum domus Theutonicorum, & ſuper homines Regnorum Hieruſalem, & Cypri, Riccardum Filangerium Mareſcalcum ſuum, ac quemdam Odonem de Monte-Peliardo præfecit Capitaneos, & Ductores, & ob hanc cauſam Soldanus ipſe cum ſciret ipſum Imperatorem taliter ab Eccleſia excommunicatum, vix cum eo componere inductus eſt. Compoſuit tamen ſic, quod uſque ad finem treguarum, pacem ſibi adinvicem obſervarent. Captivi omnes hinc inde ſuæ libertati reſtituerentur, & ſic receptis ab ipſo Soldano Terra-Sancta, & locis prædictis, de conſilio omnium peregrinorum, ipſe in Hieruſalem profectus eſt, ubi eo die, quo Civitatem Sanctam ingreſſus eſt, Imperator, Archiepiſcopus Cæſareæ Nuncius Patriarchæ adveniens, civitatem ipſam, & ſpecialiter Sepulcrum Domini ſuppoſuit interdicto de mandato Patriarchæ ipſius, primitias recuperationis ipſius non benedictione, ſed anathemate proſecutus. Præterea qualiter contra ipſum Imperatorem apud Acon poſtmodum redeuntem prædicti Patriarchæ, Magiſtri domuum Hoſpitalis, & Templi ſe geſſerunt, utpote qui contra ipſum ineſtina bella moverunt, in civitate prædicta, his, qui interfuerunt, luce clarius extitit manifeſtum.

Cæterum quia ad Regni ſubſidium, quod, ut ſuperius diximus, Romana ſic cœperat Eccleſia occupare, neceſſario de Syria rediit Imperator, ſtatim Nuncios ſuos miſit ad Papam, quoſdam fratres de domo Theutonicorum, per quos ipſius habere gratiam ſupplicat, & eſſe velle ad ſuum, & Eccleſiæ mandatum exponit.

Papa-

Digitized by Google

Papalis exercitus firmata obſidione ſupra Cajatiam, machinis, & viribus ſuis illam vehementer impugnant, & licet occupaverint civitatem, arcem tamen vi capere nequierunt, his, qui erant in ea, ſe pro Cæſare tuentibus contra eos.

Menſe Junio Gregorius Papa prædictus fratrem Franciſcum innocentis vitæ virum, qui Inſtitutor Ordinis fuit Fratrum Minorum apud Peruſium de Fratrum ſuorum conſilio duxit Sanctorum Catalogo adſcribendum, mandans ubique terrarum diem, quo ſolo carnem, & cœlo ſpiritum reddidit, 4. ſcilicet Non. Octobris annis ſingulis ſolemniter excolendum.

Item Imperator ipſe moram in Apulia faciens, & congregans ad hoſtium Regni Repulſam exercitum copioſum, ſuos pro pace ad Papam Legatos miſit, Reginum videlicet, & Barenſem Archiepiſcopos, necnon & Magiſtrum domus Theutonicorum. Qui Cajatiam venientes, quæ a Papali exercitu tenebatur obſeſſa, cum literis Albanenſis Epiſcopi, & Cardinalis Sanctæ Praxedis ad Romanam Curiam ſunt profecti. Qui cum in nullo profecerint, redierunt. Tunc in Gajeta per Papam Poteſtas conſtituitur Joannes de Judice civis Anagninus ad petitionem Gajetanorum. Tunc etiam Adenulphus de Aquino filius Acerrarum Comitis Atinum recipit, Imperatore mandante, & Philippus de Aquino recipit caſtrum Cœlii.

Imperator cum Cruceſignatorum exercitu contra Clavigeros hoſtes properat in Terram-Laboris. Tunc Dominus Joannes de Columna Cardinalis ſub ſpecie afferendæ pecuniæ pro ſtipendiis exercitus ad Papam vadit.

Pelagius Albanenſis Epiſcopus, & Rex quondam Hieroſolymitanus, cognito, quod venturus erat Capuam Imperator, rupta obſidione, & combuſta machina, quæ vulgo dicitur Trebuvettum, quod multis ſumptibus fecerant, Theanum ſe conferunt, ubi non abſque timore ſuas acies ponunt a Cajatia diſcedentes.

Digitized by Google

Tunc Roffridus Archipresbyter Sancti Germani per Albanenſem Epiſcopum, Papa mandante, in Theanenſem Epiſcopum eſt aſſumptus.

In Apulia illis diebus quidam Paulus de Logotheta Imperialis Juſtitiarius membratim trucidatus eſt ab his, qui odio Imperatorem habebant.

Imperator cum fortunato Crucefignatorum exercitu venit Capuam menſe Septembri, & ab iſta parte Capuæ Saracenorum. cuneos ordinavit, ſeque Neapolim contulit, æris & gentis a civibus auxilium petiturus.

Tunc civitas Sanctagathen. ſponte venit ad mandatum Eccleſiæ, & ſe reddidit Domino Papæ.

Comes Rogerius de Aquila filium ſuum recipit, quem in Sicilia obſidem tenuerat Imperator.

Pelagius Albanenſis Epiſcopus pro defectu ſolidorum, quos habere non poterat, capi jubet theſaurum Eccleſiæ Caſinenſis, ac Eccleſiæ S. Germani per Calinenſem Epiſcopum, cum quo Clerici S. Germani in certa quantitate pecuniæ convenerunt, ne theſaurum Eccleſiæ aſportaret.

Imperator a Neapoli Capuam rediens, movet exinde caſtra ſua, & veniens Calvum, ubi nonnulli de Papali exercitu convenerant ad defenſam, illam fecit undique impugnari, & tunc captos quoſdam de Campania ſuſpendi jubet. Et tandem Calvum recipit ad mandatum, & fidelitatem ſuam. Indeque, non obſtantibus hoſtibus, per Riardum habens tranſitum ad S. Mariam de Ferraria venit indemnis, ubi per triduum moram faciens Vairanum recipit, Aliſiam, & Venaſrum, & totam terram filiorum Pandulphi.

Dictus vero Pelagius Albanenſis Epiſcopus, & Rex quondam Hieroſolymitanus per Meſinum iter habentes cum toto exercitu Minianum venerunt, & in celeri fuga petierunt Sanctum Germanum.

Illis diebus homines Sancti Germani timentes, ne Papalis exercitus aut Imperiali cederet, aut victus ſuccumberet, ſuppellectilem ſuam, & quæque pretioſa ad loca tranſtule-

ſtulerunt tutiora. Tunc per biduum in Sancto Germano moram protrahens Papalis exercitus, frumento, vino, & aliis neceſſariis munire Roccam-Jani, & Caſinenſe Monaſterium cogitabant, ſed acceleratus per Nuncios Sancti Germani, ad terram ipſam properat Imperator, moxque Papalis exercitus diſſolutus de S. Germano exiens greſſu præpete in Campaniam eſt reverſus.

Et tunc metus cauſa, qui in Caſino ſtatuti fuerunt, & in Rocca Janulæ ſervientes, dimiſſis ipſis munitionibus, receſſerunt. Sed in Caſino ſe recipiens Albanenſis Epiſcopus redire ad Monaſterium milites, & ſervientes coegit.

Tunc cum ipſo Legato Aquini, & Aliſiæ Epiſcopi aſcenderunt Caſinum, & in Sancto Germano per ipſum Legatum prohibitum eſt celebrare divina. Cæteri vero Prælati, qui ceſſerant in partem Eccleſiæ, Romam ſe contulerunt.

Imperator ipſe apud Sanctum Thomam de Strata ſua caſtra ponens tertio Non. Octobris, villam Pedemontis, quæ dicitur Sanctæ Luciæ, ſuis dedit in direptionem, & prædam. Caſtrum Pedemontis Dominis Aquini conceſſit.

Tunc Eccleſia Sancti Matthæi Servorum Dei a Saracenis, qui erant in exercitu Imperiali, bonis eſt propriis ſpoliata, præ timore paucis, aut nullis remanentibus in eadem.

Tunc etiam vallum Caſinenſis Monaſterii eſt mandato Cæſaris hinc inde fortiter impugnatum, ſed pugnatores nec in aliquo profecerunt. Illuc venientes ex parte civitatis Sueſſæ Judex Thaddæus, & alii, civitatem ipſam Cæſari reddiderunt, ad quam recipiendam, conceſſo eis privilegio quod pro univerſitate petierant, continuo dirigit Imperator.

Tunc Præſentianum, Rocca Bantræ, Sernia, & Aliſia ad mandatum Cæſaris redierunt. Similiter & tota terra Monaſterii, Arpinum quoque, & Fontana. Cumque ad recipiendam Soram dictum Acerrarum Comitem mitteret Imperator, ipſum Sorani recipere contempſerunt.

Tunc quidam Comes Majo de Romania cum nonullis Græcis militibus de Romania ex parte Commiano ad Impera-

peratorem cum magnis muneribus nuncius venit.

Tunc in Rocca Janulæ quidam de Calabria Caſtellanus conſtitutus. In Sancto Germano per Imperatorem Bajuli ordinantur, Guillelmus de Bantra, & Matthæus Dionyſius in tota terra S. Benedicti. Rainerius Pelegrini, & Bartholomæus de Bantra Camerarii ordinantur. In Rocca Bantræ Thomas de Magiſtro Caſtellanus ponitur.

Imperator ſuas in Lombardiam, & Thuſciam, & Romandiolam literas dirigit in hac forma.

Fridericus &c. Poteſtatibus, Conſulibus, & Conſilio civitatum Lombardiæ, fidelibus ſuis, &c. ut de noſtrorum felicitate ſucceſſuum certa vos nova lætificent, veſtris duximus deſideriis præſentibus intimandum, quod nos de Ultramarinis partibus proſpere per Dei gratiam redeuntes, de inimicis noſtris, qui Regnum noſtrum invaſerant, feliciter triumphavimus, dum audientes nos contra eos in manu valida, & potenti venturos, non expectatis, aut expertis viribus noſtris, in Campaniæ finibus fugæ ſibi præſidium elegerunt. Sicque, Domino cooperante, & nos comitante juſtitia, qui de Cælo proſpexit, quod ipſi de Regno noſtro nobis abſentibus per anni dimidium occupaverant, nos brevi dierum ſpatio recuperavimus, & revocavimus ad demanium & dominium noſtrum. Volentes igitur Imperii, & Regni noſtri quietem, & pacem cum conſilio veſtro diſponere, ac in Theutoniam e veſtigio properare, fidelitatem veſtram monemus, & hortamur, & firmiter, ac diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus his receptis literis in equis, & armis decenter armati veſtrum ad nos feſtinetis acceſſum, quoniam nos univerſis, & ſingulis pro ſui qualitate ſervitii curabimus reſpondere. Dat. apud S. Germanum III. Non. Oct. III. Ind.

Civitas Theani Imperatori ſe reddidit, data optione Epiſcopo remanendi in Regno, & Epiſcopatu ſuo, vel exeundi, ſi vellet.

Demanium Curiæ Caſinenſis per dictos Camerarios totum applicatur Fiſco Imperiali.

Ad

Ad Roccam Janulæ vinum, & victualia deferuntur.

Quidam Leo Crinitus Gajetam vadens ex parte Imperatoris, ut ſe redderet Imperatori, ab ipſis Gajetanis interfectus eſt.

Imperator mutato Caſtellano in Rocca Janulæ eam Pandulpho, & Roberto Dominis Aquini, necnon Caſtellum Pontus Caſtellum-novum committit. Item ducentos milites mittit in Marſiam, quæ tota rediit ad fidelitatem ſuam, excepta turre de Foce.

Bertoldus frater Ducis Spoleti ſe in Marſiam contulit, Imperatore mandante.

Imperator a Sancto Thoma movens caſtra ſua 14. menſis Octob. pluvia ingruente, reverſus eſt ad Sanctum Germanum, ibique per dies ſeptem moram faciens, inde digreſſus eſt, iter faciens verſus Aquinum, ſuas Orbis Principibus dirigens excuſatorias ſuper facto Terræ-Sanctæ, ſuper quo ipſum falſo detulerat Patriarcha Hieroſolymitanus ad Dominum Papam, quod cum Soldano treguas firmaverit in ignominiam nominis Chriſtiani, ſuper quo teſtimonium invocat venerabilium Wintonienſis & Cicestrenſis Epiſcoporum, Magiſtrorum domus Sancti Joannis, & Theutonicorum, Mareſcalci domus Hoſpitalis, & fratris Aymerii, Fratrum quoque Prædicatorum, qui treguis initis interfuerant.

Illis diebus antemurale cecidit portarum Monaſterii Caſinenſis.

Tunc Nobiles quidam Romani ad Imperatorem apud Aquinum veniunt ex parte Senatus, Populique Romani, cum quo moram per triduum facientes ad Urbem reverſi ſunt.

Tunc etiam juſſu Imperatoris pro munienda terra Sancti Germani, quod homines terræ ipſius ab Imperatore petierunt, domus nonnullæ hinc inde ex parte Corariæ, & Vallis funditus diruuntur.

Imperator de Aquino Soram ſe contulit, quam ſuis licet imparem viribus, renitentem, vi cepit 24. ſtante Octobris in Feſto Apoſtolorum Simonis, & Judæ, & facta eſt

cibus

Digitized by Google

cibus ignis, Campanis militibus, qui ad civitatis ipſius defenſam congregati fuerant, in Campaniam fugientibus per montana, nonnullis civium igne ferroque peremptis.

Arx tamen Sorellæ ſe ad opus tenet Domini Papæ, unde verſus:

Vi caperis, vi capta peris merito peritura,
Sora ruis, tua damna luis, ſero reditura.

Tunc a Taffuro Caſtellano Roccæ Guillelmi traditus in manus Imperatoris Guillelmus de Sora cum quibuſdam aliis, ſuſpenſus eſt extra Soram.

Imperator menſe Novembri per Inſulam filiorum Petri redit Aquinum, ubi diem feſtum celebrat Beati Martini.

Magiſter domus Alemannorum a Papa rediens lætos ad Imperatorem rumores defert de compoſitione inter Papam, & ipſum, idemque D. Thomæ de Capua Tit. Sanctæ Sabinæ Præsbytero Cardinali obviam in Campania vadit, cum quo ad Imperatorem venit Aquinum cum forma concordiæ 4. ſtante menſis Novembris, & eodem die cum ipſo Cardinale ſe contulit apud Sanctum Germanum.

De Romanis quidam Græci cum dextreriis in ſellis, & frænis aureis, & cum pannis ſericis aurotextis, & cum innumeris aureis nummis, quæ ipſi Imperatori repræſentant pridie ante exitum menſis Novembris ad ipſum Imperatorem venerunt.

Tunc etiam literæ factæ ſunt per Imperatorem de remiſſione offenſæ, ſi quam Abbas fecerat, vel Monachi Caſinenſes poſt inter ipſum, & Papam ortam diſcordiam. Et literæ aliæ ad homines Abbatiæ, ut ſicut prius Abbati, & Monachis Caſinenſibus reſpondeant, & intendant. Terram totam, & loca Monaſterii ubicumque per Regnum poſita Deo, & B. Benedicto reſtituit.

Dictus Albanenſis Epiſcopus conſilio, & ſuaſione dictorum Cardinalium, & Magiſtri domus Hoſpitalis Theutonicorum, permittente Imperatore, cum Aquinate, & Aliſano Epiſcopis, ac cum Campanis militibus, qui ſe cum Alba

Albanenſi Epiſcopo in Caſino receperant, ſalvi exeunt, & tunc reddidit ipſis Epiſcopis ſuam gratiam Imperator, & Monaſterium, ac tota terra ſua curæ committitur Magiſtri domus Alemannorum prædicti, qui quemdam de domo ſua Fratrem Leonardum Procuratorem conſtituit nomine ſuo uſque ad reditum ſuum ab Urbe, ad quam ipſe Magiſter domus Theutonicorum iterum vadit juſſu Imperatoris, una cum Albanenſi Epiſcopo, pro quibuſdam capitulis, pro quibus inter ipſum, & Dominum Papam diſcordia erat.

Tunc in Venafro, Sernia, & Teano pecuniariæ exactiones fiunt, Imperatore mandante. In Sancto Germano, & per totam Abbatiam annona pro equis Imperatoris exigitur a Camerariis ordinatis ab eo, ſuperius nominatis, ab univerſis Clericis terræ S. Benedicti.

Magiſter Thomas Cardinalis de S. Germano ſe movens, vadit Sueſſam. Imperator contendit Capuam, ubi cum ingenti gaudio Natale Domini celebrat. Et tunc multos de Sora, qui captivi tenebantur, ibidem ſuæ reddidit libertati.

MCCXXX. Menſe Januario. Imperator per quemdam fratrem Semboſtum de domo Theutonicorum, mandat dicto fratri Leonardo procuratori Caſinenſi relicto a Magiſtro Domus Theutonicorum, ut de S. Germano, & alia terra Monaſterii 40. eligeret homines ad cuſtodiam Monaſterii Caſinenſis. Qui juſſu Imperatoris eos elegit, ſacramento ab eis præſtito ſub hac forma:

Ego talis juro ad hæc Sancta Dei Evangelia, quod ab hodie in antea fideliter cuſtodiam, & ſalvum faciam Monaſterium Caſinenſe, perſonas Monachorum, & aliorum, qui pro parte Magiſtri domus Alemannorum in ea fuerint conſtituti, & res eorum, & Monaſterii. Non ero in facto, conſilio, vel conſenſu, qualiter in alterius deveniat manus, nec ego illud reddam, quamdiu cuſtodiæ deputatum eſt Magiſtri domus Theutonicorum, & ego ibi manſero.

Imperator de Capua ſe movens, verſus Apuliam apud Mel-

Melfiam vadit, ubi ad eum vadunt Reginus Archiepiſcopus, & dictus Theutonicorum Magiſter a Romana Curia redeuntes, qui & iterum miſſi a Cæſare, ad Papam vadunt menſe Januario.

Primo die Februarii Romæ Tiberis fluvius per alluvionem uſque adeo inundavit, quod occupavit de domibus Urbis uſque ad S. Petrum, & uſque ad Sanctum Paulum, quod tanti cauſa timoris Romanis omnibus extitit, ut mox de communi conſilio, metu mortis, Dominum Papam ad Urbem de Peruſio revocarent. Qui rediens, a Senatu Populoque Romano ingenti cum gaudio eſt receptus.

Reginus Archiepiſcopus, & Magiſter domus Theutonicorum ab Urbe ad Cæſarem revertuntur, quem apud Precicanam inveniunt.

Eodem menſe, quidam Magiſter Guillelmus de Capua Imperatoris Notarius venit ad Sanctum Germanum cum literis Imperialibus, ut ſi quis eſſet, vel eſſe vellet in apparatu militari ad ſervitium Imperatoris, ipſe Imperator immunem eum ab omni ſervitio faceret, & de armis, & equis ſuis eſſet ad reditum ſuum.

Menſe Martio dictus Cardinalis Sanctæ Sabinæ de Sueſſa diſcedens, Gajetam ſe contulit, ubi tunc Epiſcopus venerat Tuſculanus, qui vocaverat ipſum.

Iterum autem prædicti Reginus Archiepiſcopus, & Magiſter domus Theutonicorum ad Papam redeunt, & alter eorum, ſcilicet Magiſter domus Theutonicorum Gajetam vadit, cum quo dictus Cardinalis redit ad Urbem. Tuſculanus autem tunc venit Pontecurvum cum dicto Fratre Leonardo. Quique a Pontecurvo Ceperanum vadit, per quos tranſitum habens Reginus Archiepiſcopus, ad Urbem profectus eſt, ubi pro compoſitione inter Papam, & Cæſarem facienda, Dux Auſtriæ, Dux Carintiæ, & Dux Moraviæ venerant, ſimul cum Patriarcha Aquilejenſi, & Salsburgenſi Archiepiſcopo.

Tunc

Tunc Frater Leonardus in Rocca Draconis caſtellanum ponit Anneum de Rivo-Matrico.

Dictus Tuſculanus revocatur ad Urbem, qui cum tribus aliis Cardinalibus, & cum Principibus Alemanniæ ſupradictis, pacis bonum inter Papam, & Cæſarem electi ſpecialiter tractaverunt.

Quædam Apuliæ civitates, ſcilicet Civitas, Alarinum, Sanctus Severus, Caſale-novum, & Fogia veniunt ad mandatum Imperatoris, quæ ſibi antea rebelles extiterant; & redeunt ad mercedem ſuam.

Menſe Aprili Duces prædicti cum Regino Archiepiſcopo, ac Magiſtro domus Theutonicorum redeuntes a Papa cum tractatu, & forma concordiæ, in Apuliam ad Cæſarem vadunt, ubi cum eo apud Fogiam Paſcha Domini celebrant.

Decimo die menſis ejuſdem, Philippus de Citro Comeſtabilis Capuæ magiſter eſt operis Sancti Germani per Cæſarem inſtitutus, & literas Imperiales ad homines terræ ipſius, & ad alios homines de terra Monaſterii detulit, & mandatum quatenus ſuper facto munitionis terræ Sancti Germani ſibi intendere, & reſpondere deberent, in faciendis muris ubi opus eſſet turribus, & foſſatis, exceptis hominibus Sancti Angeli Theodici, quod caſtrum muniri præcipit Imperator.

Gregorius Papa in die Sancto Jovis Rainaldum dictum Ducem Spoleti excommunicat, & Bertholdum fratrem ejus.

Stephanus de Anglone Terræ-Laboris Juſtitiarius, Imperatore mandante, utramque Inſulam filiorum Petri, & Solaratam, Caſtelluccium, & Paſtinam recipit, & cuſtodiri facit ad opus Imperatoris, Broccum, & Peſclum Soldulum deſtrui, & comburi fecit, illorum cogens incolas ad loca alia demigrare, muros evertens Paſtinæ, necnon turres ipſius, prædictam Inſulam ſimiliter, tamque ipſam Inſulam, quam caſtrum Paſtinæ igne combuſſit.

Dux Auſtriæ, Limbuldus nomine, cum Patriarcha Aquilejenſi, & aliis ſupradictis ab Imperatore de Apulia rediens,

& ad Papam vadens cum eis ad Landulphum Caſinenſem Abbatem, & conventum ejuſdem ex parte Imperatoris literas detulit in hac forma:

Fridericus, &c. Venerabili Abbati Caſinenſi, & Conventui ejuſdem, &c. Ecce quod ad ſupplicationem dilecti Principis noſtri Ducis Auſtriæ, & Stiriæ, ac venerabilis Magiſtri domus Alemannorum devoti noſtri, recepimus vos de abundantia pietatis noſtræ in gratiam Majeſtatis noſtræ, omnem offenſam, quam contra noſtram Excellentiam pro præſenti diſcordia inter nos, & D. Papam habita a principio diſſentionis uſque in hodiernum diem decimum octavum Aprilis tertia Indictione viſi eſtis commiſiſſe, penitus relinquentes. Cæterum ea, quæ vobis prædictus Dux, & Magiſter Theutonicorum retulerint ex parte Culminis noſtri, indubitanter credatis. Datum Fogiæ, &c.

Eodem Menſe Aprilis in Græcorum Imperio factum eſt prœlium inter Græcos, in quo Commiano captus eſt, & utroque lumine orbatus.

Menſe Madio Alemanniæ Principes a Papa ad Cæſarem redeunt, relicto Regino Archiepiſcopo, cum quo Sabinenſis Epiſcopus, & Thomas Sanctæ Sabinæ Cardinalis pro abſolutione Imperatoris in Regnum veniunt, & præmittentes ad ipſum Imperatorem Magiſtrum domus Alemannorum, qui veniſſe Cardinales annunciat, ipſumque Imperatorem, ut veniat verſus Capuam, accelerare debeat, Cardinales ipſi cum Regni prælatis, qui a facie Imperatoris fugerant, & in Regnum ſub ſpe compoſitionis inter Eccleſiam, & ipſum redierant, cum eisdem elegerunt apud S. Germanum facere ſtationem.

Tunc Imperatoris juſſu foſſata, & muri Fogiæ, Caſalis-novi, & Sancti Severi replentur, & ſternuntur ad ſolum. Quod cum ipſis Cardinalibus innoteſceret, qui prævenire Imperatorem voluerant, verſus Capuam properantes, a Teano ad Sanctum Germanum reverſi, Prælatos omnes, excepto Abbate Caſinenſe, redire Ceperanum juſſerunt,

Digitized by Google

ſerunt, & ipſi ſe mox cum prædicto Caſinenſe Abbate, qui eos eſt e veſtigio ſecutus, Capuam contulerunt, ubi penultimo Madii ad eos veniens Imperator, cum formam non acceptaret concordiæ, quia S. Agatham, & Gajetam retinere volebat Eccleſia, recedentes a Capua, Sueſſam ſe conferunt Cardinales, ubi cum Gajetanis loquentes, quos ſub ſecuro ducatu Abbatis Caſemarii, Magiſtri Petri de Vinea, & Philippi de Citro Comeſtabilis Capuæ ad ſe venire fecerant, cum ipſos ad Imperatoris vota flectere nequiviſſent, ad Sanctum Germanum reverſi ſunt, ubi cum diu eſſet de concordiæ forma tractatum, nec poſſet, auctore faciente diſcordiæ, conſummari, oportuit iterum Magiſtrum domus Theutonicorum ad Dominum Papam ſimul cum Regino de Lombardia Epiſcopo laborare, qui ſerio ad Imperatorem venerat pro pace inter ipſum, & Eccleſiam reformanda. Qui cum ſine effectu redirent, conſequenter ad Papam redeunt, & tunc cum eis quidam frater Gualo mittitur de ordine Prædicatorum forma concordiæ acceptata, & ipſe Papa Urbem exiens venit apud Cryptam-Ferratam. Imperator vero de Capua jam venerat ad Sanctum Germanum, ubi dictus Fr. Gualo in hora ſerotina allocutus eſt ipſum, & ad verbum illius ſatisfacere Eccleſiæ annuit Imperator, propter quod in ſignum lætitiæ, in Sancto Germano ſunt per omnes Eccleſias ſigna pulſata, & idem Fr. Gualo ad Papam, quem apud Adagniam reperit, ſub feſtinantia remeavit. Igitur die Martis nono ſtante Julio in Feſto Sancti Apollinaris, prædicti Sabinenſis Epiſcopus, & S. Sabine Cardinalis in majori Eccleſia Sancti Germani, præſentibus Patriarcha Aquilejenſi, Salsburgenſi Archiepiſcopo, Ratiſponen. & Regino Epiſcopis, Carinthiæ, ac Moraviæ Ducibus, Principibus Alemanniæ, tunc enim Dux Auſtriæ graviter infirmabatur, aſtantibus quoque ibidem Regni Prælatis, Panormitano, Regino, ac Barenſi Archiepiſcopis, necnon Caſinen. Caſemarii, & Sancti Vincentii de Vulturno Abbatibus, & Prælatis aliis, qui

Hh 2 cauſa

cauſa metus de Regno seceſſerunt, Raynaldo dicto Duce Spoleti, & Thoma de Aquino Acerrarum Comite, Henrico de Morro Magiſtro Juſtitiario, aliiſque Regni Juſtitiariis, & Baronibus, ac plebeis, de ſatisfaciendo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ pro his, quibus excommunicatus fuerat, recipiunt ab Imperatore publice juramentum. Tunc in anima ſua, jurante pro eo Thoma de Aquino Acerrarum Comite, & Prælatis, ac Principibus Alemanniæ jurantibus cum eo ſubſcripta capitula. Tunc Salsburgenſis Archiepiſcopus ad Imperatoris excuſationem longo tenuit ſermone diem, cui dictus Sanctæ Sabinæ Cardinalis luculenda non minus oratione reſpondit.

Privilegium Principum Alemanniæ.

In nomine Domini, amen. Nos Bertoldus Aquilejen. Patriarcha, & . . . Archiepiſcopus Salſeburgen. . . . Epiſcopus Ratiſponen. Limpuldus Auſtriæ, ac Stiriæ . . . Carinthiæ, & Otto Moraviæ Duces, Dei gratia Principes Imperii, per præſentes notum fieri volumus univerſis, quod inter ſacroſanctam Romanam Eccleſiam Matrem noſtram & dominam, & sereniſſimum dominum noſtrum Fridericum Imperatorem ſemper Auguſtum, Hieruſalem, & Siciliæ Regem convenit, quod de communi eorum voluntate tractabitur de via invenienda, qualiter ad ipſum Dominum Imperatorem cum honore Eccleſiæ, Gajetana, & Sanctæ Agathæ civitates, & omnes cum bonis ſuis de Regno Siciliæ, quos in fide ſua recepit Eccleſia, & in Eccleſiæ devotione perdurant, revertantur, ad quem tractatum datus eſt annus, niſi antea via valeat inveniri, ad quam inveniendam dicta Mater Eccleſia curam, & ſolicitudinem adhibere promiſit, nec ultra terminum, niſi de conſenſu partium prolongabitur, ſed ſi, quod abſit, infra ipſum terminum via inveniri non poſſit, & tunc per arbitros communiter eligendos procedetur in via, ut dictum eſt, eligenda, quorum ſint duo ex parte Eccleſiæ, & duo

Digitized by Google

duo ex parte Imperatoris. Qui ſi concordare non poterunt, quintum eligent, & dicto Majoris partis ſtabitur. Præſtitit autem Dominus Imperator juramentum per Thomam de Aquino Acerrarum Comitem de mandato ſuo in anima ſua jurantem, quod interim prædictas terras, & homines non offendet, nec permittet offendi a ſuis, & viam, quæ invenietur per communem tractatum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ejusdem Domini Imperatoris, vel per arbitros, ipſe Dominus Imperator obſervabit.

Notum quoque fecimus, quod Dominus Imperator remittit omnem offenſam Theutonicis, Lombardis, Thuſcis, & hominibus Siciliæ generaliter, & Gallicis, qui contra eum Romanæ Eccleſiæ adhæſerunt, ac dictum Acerrarum Comitem fecit jurare, quod nullo unquam tempore prædictos offendet, nec permittet offendi pro eo, quod contra eum, orta diſcordia, Romanæ Eccleſiæ aſſiſterunt, ſed pacem eis, ac Eccleſiæ obſervabit. Remittit etiam ipſe Dominus Imperator ſententias, conſtitutiones, & banna, ſi qua per eum, vel per alios lata, vel edita ſunt occaſione hujusmodi contra eos. Promittit etiam, quod terras Eccleſiæ in Ducatu, & Marchia, ſeu alio patrimonio Eccleſiæ non invadet, nec devaſtabit per ſe, vel per alios, ſicut in ſcriptis ab ipſo Domino Imperatore factis ſuper prædictis omnibus, & bullis aureis impreſſis, ac typariis S. Majeſtatis munitis plenarie continetur. Nos etiam nihilominus tactis Sacroſanctis Evangeliis juravimus procurare bona fide, quod prædictus Dominus Imperator prædicta ſervabit, & contra ea non veniet. Quod ſi fieret, niſi infra tres menſes in Regnum, infra quatuor in Italiam, infra quinque extra Italiam duxerit emendandum, potenter, ac patenter ad requiſitionem Eccleſiæ, aſſiſtemus ei contra eumdem Dominum Imperatorem, donec ſatisfecerit. Quod ſi per Dominum Imperatorem ſteterit, quod arbitros non elegerit, vel arbitros impediverit, ne procedant, nos Eccleſiæ tenebimur, ut eſt ſcriptum. Si autem Eccleſia Arbitros dare noluerit, vel datos impediverit, ne procedant, nos ex tunc, quantum ad hunc arti-

articulum non tenebimur juramento . Ad cujus rei memoriam præſens ſcriptum fieri fecimus , ſigillis noſtris communitum . Actum apud Sanctum Germanum Anno 1230. *menſe Jul.* 23. *die menſis ejuſdem Indict.* 3.

Igitur eodem die prædicti Cardinales vice Domini Papæ dederunt Domino Imperatori ſub debito præſtiti juramenti firmiter in mandatis , ut reſtituat quidquid occupatum eſt per ipſum , vel alios Miniſtros ſuos in Marchia , vel Ducatu , ſeu in alio patrimonio Eccl. & quidquid occupatum eſt per ipſum , vel Miniſtros , vel bajulos ſuos de caſtris , ſeu de poſſeſſionibus Monaſteriorum , & ſpecialiter Monaſt. Sancti Quirici de Introduco , Eccleſiarum , Templariorum , Hoſpitaliorum ; Baronum , & aliorum Nobilium de Regno , vel undecunque , necnon & cæterorum , qui in hoc negotio contra ſe Romanæ Eccleſiæ adhæſerunt , & quod reſtituet Tarentinum Archiepiſcopum, omnes Epiſcopos , & Prælatos , qui ſunt excluſi , ad ſedes, & loca ſua , & ad omnia bona ſua extantia . Item ſub eodem juramento mandarunt , ut de cætero nullus Clericus in civili , vel in criminali cauſa conveniatur ſub Judice ſeculari , niſi ſuper feudis civiliter conveniatur , & quod nullus talleas , vel collectas imponat Eccleſiis , Monaſteriis, Clericis , & viris Eccleſiaſticis , ſeu rebus eorum , & quod electiones , poſtulationes , & confirmationes Eccleſiarum , ac Monaſteriorum libere fiant in Regno ſecundum ſtatuta concilii generalis .

Die Mercurii octavo ſtante Jul. in Vigilia Sancti Jacobi rediens a Domino Papa ad Sanctum Germanum frater Gualo , de auctoritate Apoſtolica reſtitui juſſit a Cardinalibus in Sancto Germano , ac tota terra Monaſterii divina officia , quæ per Albanenſem Epiſcopum fuerant interdicta , ubique etiam per Regnum mandatum eſt celebrari divina , illis excluſis , qui in Marchia fuerant cum Raynaldo Duce Spoleti .

Trajectum , ac Sugium cum Comitatu Fundano Comiti Ro-

Rogerio de Aquila reſtituitur, Imperatore mandante.

Landulpho Caſinenſi Abbati Monaſterium libere reſtituitur, & Rocca Janulæ, quam, ſicut in pactum venerat, cuſtodiendam commiſit Fratri Leonardo ſæpefato de domo Theutonicorum, qui eam ſervandam commiſit Raynerio Pelegrini de Sancto Helia, de quo tanquam de fideli Cæſaris confidebat, recepto ab eo juramento, ut fideliter illam cuſtodiret, donec Imperator ipſe ſit ab excommunicationis vinculo abſolutus.

Tunc Theanenſis, Aliſanus, Venafranus Epiſcopi, & Prælati alii de Regno eſcluſi, ad ſedes proprias libere revertuntur.

Imperator ultimo die menſis Julii de Sancto Germano exiens in hora veſpertina, Aquinum ſe contulit.

Ea die peſtis quædam, quæ Bruchus dicitur, totam terram Monaſterii occupavit, quæ milia omnia, & quidquid viride rodendo devaſtavit.

Limbuldus Dux Auſtriæ, & Stiriæ die Dominico in feſto Sanctorum Nazarii, & Celſi apud Sanctum Germanum naturali morte defecit, cujus oſſa delata ſunt more Theutonico in Theutoniam, & caro apud Caſinum cum honorificentia tumulata.

Menſe Auguſto die primo Imperator ad Roccam Arcis ſe contulit. Qui tunc caſtrum Pontis-Curvi, & Pedemontis, & Caſtellum-novum reſtitui mandat Abbati Caſinenſi, a Dominis Aquini, qui ea ſervabant ad opus ſuum.

Eodem menſe literæ in Sancto Germano venerunt, quas quidam Magiſter Joannes de civitate Toleti omnibus per Orbem Chriſticolis vulgandas tranſmiſit, quarum tenor talis eſt:

„ Anno a Nativitate Domini MCCXXIX. uſque ad an-
„ nos 7. menſe Septembris Sole exiſtente in Libra, & cau-
„ da Draconis, ibidem erit admirabilis res rerum mirabi-
„ lium, & mutationis temporum ſignificata. In menſe il-
„ lo fiet terræmotus mirabilis, ac deſtruet multa loca per
„ Satur-

Digitized by Google

„ Saturnum, & Martem manentes in ſignis aeris, ac eri
„ infirmitas, & mortalitas valida, oſtendet etiam eadem
„ conjunctio ventura validum denigrantem aera, & obſcu-
„ rum reddentem, & venenis infectum, & repletum, & in
„ vento voces terribiles corda hominum obſtruentes, & a
„ regionibus arenoſis ſablonem ſublevans, ac ſupra civita-
„ tes ſitas proximas plagam deducens, & cooperiens eas,
„ ita etiam quod eas ſuffocabit. Et primo deſtruet civita-
„ tes Orientales, & nominatim Thetam Baldach, Capo-
„ lim Babyloniam, & omnes civitates arenoſis locis ſitas,
„ vel proximas, ita quod nulla earum evadet, quin are-
„ nis tota cooperiatur. Erit iterum eodem anno priuſquam
„ Planetæ conveniant in Libra, eclypſis Solis, quæ totum
„ corpus illius obſcurabit, & hac operatione præcedente Lu-
„ na tota patietur eclypſim. Erit eclypſis Solis ignei colo-
„ ris, & deformis, oſtendens maximum futurum bellum
„ cum effuſione ſanguinis prope fluvium in terra Orientis,
„ & ſimiliter in terra Occidentis, & erit dubietas, & igno-
„ rantia inter Saracenos, ita quod penitus Synagogas,
„ Maumerias, & Secreta eorum relinquent. Verumtamen
„ notum ſit omnibus, qui eclypſim Solis videbitis, cum
„ omnibus veſtris a terra exeatis, & ut hæc firmiora, &
„ certiora teneatis, antequam eclypſis Solis, & Lunæ fiat,
„ erit terræmotus, mortalitas, fames valida, prœlia, &
„ careſtia fere per totum Orbem, & tunc quidam maxi-
„ mus Imperator morietur. Et menſe Septembri poſt ecly-
„ pſim Solis, & Lunæ, mare ultra ſolitum creſcet, ac om-
„ nes fere venti flabunt ita quod nulla navis in mari eva-
„ det, arbores evellent, ædificia ſubvertent venti, & ter-
„ ræmotus. Unde ſi vultis evadere, in planis circumdatis
„ montibus facite coperturas trabium, & terram ſuperpo-
„ nite, quæ ſint longe a plagiis, & montanis locis, ac ubi
„ non ſint arbores prope, quibus os cavernæ poſſit operi-
„ ri, & in eis introite cum familia veſtra, & rebus neceſ-
„ ſariis per 30. dies, & plus abundanter vobis, & fami-
„ liæ

„ liæ veſtræ, & hæc ad redemptionem animarum veſtra-
„ rum ignorantibus denunciate. In his enim nobiſcum con-
„ cordes ſunt omnes Aſtrologi, & Geomantici, ſcilicet Hi-
„ ſpaniæ, Æthiopiæ, & aliarum provinciarum diverſarum
„ gentium, Chriſtianorum, Saracenorum, & Hebræorum,
„ & omnes Philoſophi hoc affirmant. Et hoc unum in ve-
„ ritate ſcimus, quod Rex Mathemelinus turrem facit cum
„ fabrica eminentiorem omnibus fabricis, & groſſiorem, &
„ ampliorem, ad inſtar maximi montis, ita quod omnes
„ ſui habent expenſas in ipſa fabrica. Et idem audimus
„ de Rege Siclo, quæ periculoſa videntur, &c.

Sabinenſis Epiſcopus, & Cardinalis Sanctæ Sabinæ die Lunæ quinto intrantis Auguſti recedentes de Sancto Germano, Cæperanum ſe conferunt, ad quos vadit ipſe Imperator, & exterius caſtrametatus eſt, præcepitque militibus ſuis oſtentationem facere in equis, & armis.

Ipſo menſe Auguſto in feſto Beati Bartholomæi Apoſtoli fulgur de cælo veniens, campanile Caſinenſe percuſſit, & totam ejus ſummitatem projecit in terram, ſalvis tamen campanis, quæ erant in ea. Interea laborantibus hinc inde Nunciis ex parte Papæ, & Imperatoris, Magiſtro domus Theutonicorum, Principibus Alemanniæ ſupradictis, pax eſt inter ipſum Papam, & Cæſarem reformata, & quædam Arces Regni traditæ ſunt ſervandæ Magiſtro domus Theutonicorum uſque ad certum tempus pro majori Eccleſiæ firmitate, & tunc Imperator ipſe in caſtris ante Ceperanum in capella Sanctæ Juſtæ die Mercurii in feſto Beati Augus ſtini per Sabinenſem eſt Epiſcopum ab excommunicationivinculo abſolutus. Similiter & omnes ſui, ac ultimo menſis Auguſti vadit Anagniam locuturus cum Papa. Interea ſuas per totum Regnum generaliter literas pro libertatibus Monaſteriorum Eccleſiarum, perſonarum Eccleſiaſticarum, & rerum illarum dirigit in hac forma.

Fridericus, &c. Comitibus, Baronibus, Juſtitiariis, Camerariis, & Bajulis in Regno Siciliæ conſtitutis, &c. fidelitati

veſtræ per præſentium ſcripta mandantes præcipimus firmiter, ut nullus veſtrum Monaſteriis, Eccleſiis, perſonis Eccleſiaſticis, aut rebus eorum talleas, vel collectas præſumat imponere, ſalvis illis ſervitiis, ad quæ certæ Eccleſiæ, vel perſonæ tenentur nobis, ſpecialiter obligatæ. Datum in caſtris ante Ceperanum 24. menſis Auguſti. Indictione 3.

Mittit etiam ſuos Nuncios, & literas ad omnes civitates, & caſtra de Marchia, quæ ſibi fidelitatem fecerant ſub comminatione diffidationis, ut ad fidem redeant Romanæ Eccleſiæ, & mandatum ejusdem.

Menſe Septemb. 1. die menſ. ejuſd. qui fuit dies Dominicus, Cæſar invitatus a Papa, cum eſſet in caſtris in pede Anagniæ magnifice comitatus a Cardinalib. & Nobilioribus civitatis intravit Anagniam, & eo die cum Papa ſedit in menſa, & ſolus cum ſolo, Magiſtro tamen Theutonicorum præſente, in Papali Camera conſilio longo ſe tenuere diu, ac die Lunæ ſequenti cum gratia Papæ, & Cardinalium ad caſtra reverſus eſt. Tunc Joanni de Poli conceſſit Comitatum de Albe propter civitatem Fundanam, quam abſtulit ei, & reddidit eam Rogerio de Aquila cum toto Fundano Comitatu. Tunc etiam Abbas Sancti Vincentii, & Prælati, qui Imperatori adhærentes excommunicati fuerant, ad preces Imperatoris a Papa abſoluti ſunt. Imperator a Papa diſcedens die Mercurii, applicuit die Jovis apud Sanctum Germanum, indeque diſcedens poſt prandium ſub celeritate ſe Capuam contulit, exinde verſus Melphiam profecturus. Rex Theſſalonicenſis obiit Melphiæ, & Prælati, & Principes Alemannniæ in ſua recedunt.

Beluacen. Epiſcopus, qui de Gallia venerat in auxilium Eccleſiæ, per Papam Dux Spoleti efficitur.

Raynaldus Dux Spoleti vadit Introducum ubi aliquamdiu moram faciens, in Apuliam ad Imperatorem redit.

Menſe Novembri Gregorius Papa revocatus a Senatore, redit ad Urbem. Eodem menſe Magiſter Guillielmus de Sancto Germano Domini Papæ Capellanus canonice electus in

Digitized by Google

in Archipresbyterum S. Germani aſſumptus eſt.

In Apulia Imperatoris juſſu capiuntur Matthæus Marchaſab. Magiſter Camerarius, Judex Philippus de Magdalone, Júdex Guillelmus de Salerno, Notarius Adam, & Notarius Joannes.

Tunc pro correctione, & honeſtate vitæ Clericorum generales idem Papa per totum Regnum ad Metropolitas, & eorum Suffraganeos literas dirigit in hac forma:

Gregorius, &c. Venerabilibus in Chriſto fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Regnum Siciliæ conſtitutis, &c. Si cavendum eſt vobis, ne ſanguis ſubditorum de veſtris manibus requiratur, Clericorum culpas, quæ periculoſæ ſunt, propter officii dignitatem, non debetis relinquere incorrectas. Horum enim quanto eſt gradus altior, tanto gravior caſus exiſtit, & exceſſus ipſorum vehementer in exemplum extenditur, dum in excuſationem illorum dicitur: Sufficit diſcipulo ſi ſit ſicut magiſter ejus, ſicque per eos facientes delinquere populum, nomen Domini blaſphematur, cum non ſoleant facere, qui ſequuntur, niſi quod eos, qui præcedunt, viderint facientes. Licet autem corrigendi ſint omnes Clericorum exceſſus, & mores eorum, & actus in melius reformandi, ſpecialius eſt tamen in eis incontinentiæ vitium exprobrandum, cum non deceat per immundos ſancta tractari, & fœdatos libidine menſæ Domini miniſtrare. Unde Abimelech Sacerdos David legitur reſpondiſſe, ſe ad manus panes laicos non habere, ſed ſolummodo panem ſanctum, quem mundis pueris, maxime a mulieribus, obtulit manducandum. Ut igitur judicium de domo Domini prodeat, præſentium vobis auctoritate mandamus, & in virtute obedientiæ diſtricte præcipimus, quatenus uſque ad tres menſes Clericorum veſtrorum, tam incontinentiæ vitium, quam exceſſus alios corrigentes, præſertim ſuper cohabitatione mulierum, eis diligenter, & ſollicite corrigere ſtudeatis, taliter circa vos ipſos invigilare curantes, quod commendatione magis, quam correctione dignum in vobis valeat inveniri, alioquin ſi qui veſtrum, quod non

Digitized by Google

credimus , præcepti noſtri fuerint contemptores , ex tunc infra menſem reſponſuri nobis de contemptu perſonaliter ad Sedem Apoſt. accedere non poſtponant , attentius præcaventes , ne in commiſſo nobis negotio , quæ ſunt noſtra , non quæ Jeſu Chriſti , quæratis , ſi proprium vultis periculum evitare . Cæterum vos Archiepiſcopi contra Prælatos veſtræ provinciæ, & alios , qui ſunt infecti vitio ſimoniæ , cum tales Dominus facto flagello de reſticulis de Templo ejeciſſe legatur , ac eos, qui Ultramontanos ſine commendatitiis literis Epiſcoporum ſuorum auſi ſunt ad ordines promovere , aut eos, qui dicuntur incontinentiæ vitio laborari , inquiratis ſollicite veritatem, & quod inveneritis , nobis infra prædictum tempus reſcribere procuretis , ut per veſtram viam relationem inſtructi , procedamus , prout viderimus expedire. Datum Anagniæ V. Kal. Novembris , Pontificatus noſtri Anno IV.

Menſe Decembri Imperator apud Precinam Natale Domini celebrat.

MCCXXXI. menſe Januario , ſuas Imperator literas mittit ad Stephanum de Anglone Terræ-Laboris Juſtitiarium , ut diligenter inquirat de promiſſis Imperiali Curiæ factis, & ſi qua poſt transfretationem ſuam facta ſunt conceſſionum privilegia per Raynaldum Ducem Spoleti , ſive ſuo, ſive ipſius Ducis ſigillo ſignata, aliquibus perſonis ea Imperiali Curiæ uſque ad feſtum Purificationis B. Virginis præcipiat præſentari, alioquin ex tunc in antea nullam habeant firmitatem. Præcipiat etiam omnibus Ravellenſibus, ut uxores , & familias ſuas uſque ad feſtum Pentecoſtes remittant Ravellam ſub pœna perſonarum, & rerum . Inhibeat etiam omnibus illis , quibus licentia data fuit ædificandi occaſione ortæ diſcordiæ inter Imperium , & Eccleſiam , ſub pœna prædicta , ne in terris , aut caſtris ſuis ædificare præſumant . Item mandat generaliter univerſis, qui de feudis ſervire tenentur, tam Prælatis, quam cæteris aliis , ut una decem feuda conferant , de quibus Comes , vel Baro , qui decem feudis præerit , & pluribus me-

melior, necnon ditior, qui inter participes, & poſſeſſores invenietur, eligi debeat, & taxari, & præparari ſe debeant in duobus equis, ſomario uno, & armis, ac cæteris proportionaliter, & habeat pro Corredo unius anni unc. L. præfixo termino proximi paſſagii menſ. Martii in portu Brunduſii præſentandus, ut abinde ſecundum ſuam diſpoſitionem debeat transfretare. Item ad inquirendum ſi qui fuerint a talleis, & collectis exempti, ſine potentia, prece, pretio, amore, vel timore cujuſque. Mittit Judicem Rogerium de Aſculo, & L. comeſtabilem Corneti, ut univerſis, & ſingulis prædictorum collectam imponant.

Menſe Februario Imperator verſus Tarentum properat, ubi diſponit Curiam regere generalem.

Eodem menſe nonnulli Paterenorum in Urbe inventi ſunt, quorum alii ſunt igne cremati, cum inconvertibiles eſſent, alii, donec pœniteant, ſunt ad Caſinenſem Eccleſiam, & apud Cavas directi.

Imperator pro capiendis Paterenis apud Neapolim mittit Reginum Archiepiſcopum, & Riccardum de Principatu Mareſcalcum ſuum, de quibus aliqui ſunt inventi, & vinculis mancipati.

Collecta ubique per Regnum juſſu Imperiali a Judicibus, & tabellionibus demanii exigitur.

Rex quondam Hieroſolymitanus de Francia rediens, & de partibus ultramontanis venit Peruſium, ubi venturum expectat Dominum Papam, cum quo loqui deſiderat, quia non vult ſe conferre ad Urbem.

Menſ. Aprilis Magiſter domus Alemannorum de Alemannia ad Imperatorem redit.

Eodem menſe Romanorum exercitus ſuper Viterbium vadit.

In Civitate Conſtantinopolitana terræmotus magni fuere, per quos Eccleſiarum, & domorum vaſtitas magna fuit.

In Apuliæ finibus, & aliis Regni partibus ad deſtruendam peſtem Brucorum innumeram, generale a Cæſare edictum

Digitized by Google

ctum exiit, ut ſinguli de ſingulis terris, in quibus invaluerat peſtis illa, ſummo mane ante Solis ortum deberent capere quatuor tumulos de Brucis ipſis, & aſſignare quatuor juratis de terra qualibet ad comburendum ſub pœna unius unc. auri unicuique, ſi ad hoc negligens fuerit, vel remiſſus, ac hoc ſingulis terris præcipi mandavit ſub pœna 100. unc. auri ad opus Fiſci Imperialis.

Menſe Maji dictus Rainaldus Dux Spoleti, cum non poſſet Imperatori ſufficientem ponere rationem, aut fidejuſſoriam cautionem præſtare, apud Fogiam juſſu Imperatoris captus eſt, & cuſtodiæ traditus, ac bonorum omnium amiſſione mulctatus; quare Bertholdus frater ipſius Ducis contra Imperatorem in Introduco ſe recepit.

Eodem menſe Romanorum exercitus ſuper Viterbium vadit, ab his de monte Flaſcone juratoria cautione recepta, ne ſubſidium aliquod illis de Viterbio conferre deberent.

Reginus Archiepiſcopus ab Imperatore Nuncius ad Papam vadit, & veniens ad S. Germanum, inquiſitionem facit fieri de infamibus, & ſuſpectis.

Menſe Junii primo die circa Meridiem, qui erat dies Dominicus, terræmotus factus eſt ſubito in S. Germano*, & per vicina loca, qui die ipſo nonnulla Eccleſiarum Campanilia, ipſas etiam Eccleſias, firmas turres, & domos plurimas in civitatibus, & caſtellis evertit, qui quod dictu, & auditu mirabile eſt terræ fundamentis concuſſis limpidos aquarum fontes de Sancto Germano, in fæcis fætulentæ colorem mutavit, & talis color aquarum per duas ferme horas duravit, ſaxa dirupit, propter quod homines timentes vivos a terra ſorberi in multa contritione, & luctu pœnitentiam agentes ſuas Domino præ timore mortis animas commendabant. Terræmotus iſte intonuit die illo, & hora prædicta, a Capua uſque Romam, & terra mota eſt. Et tunc de Colliſeo concuſſus lapis ingens everſus eſt, & quia duravit ultra menſem terræmotus hujuſmodi, in-

Digitized by Google

interdum plus, interdum minus, attoniti homines, dimiſſis laribus, & locis propriis, ne domorum illos ruina contereret, ad agros exibant. Tunc juſſu Landulfi Caſinenſis Abbatis, fit ad Caſinenſe Monaſterium de ſingulis terris ſuis proceſſio generalis, diſcalciatis pedibus in fletu, & planctu.

Ea die, qua terræmotus ipſe fuit, Gregorius Papa Urbem exiens, vadit Reate, ad quem Barenſis Archiepiſcopus, & Magiſter domus Alemannorum ex parte Imperatoris vadunt, & Mutinenſis Epiſcopus a Papa ad Imperatorem nuncius deſtinatur.

Rex quondam Hieroſolymitanus apud Reate ad Papam vadit, de cujus aſſenſu, ut cum filio Imperatoris Conſtantinopolitani de filia ſua contrahat, & ipſe ſit Curator Imperii, donec in minori conſtitutus ætate perveniat ad legitimam, Mare apud Venetias intrans vadit collecto exercitu Conſtantinopolim.

Tunc Imperator, domorum Hoſpitalis, & Templi poſſeſſiones, quæ in Regno ſunt, & earum fructus jubet capi ad opus ſuum.

Richardus de Principatu Mareſcalcus Domini Imperatoris, ipſo Imperatore mandante, ut in Syriam transfretet, quos vult de Regno ſibi aſcivit in ſocios.

Conſtitutiones novæ, quæ Auguſtales dicuntur, apud Melfiam, Auguſto mandante, conduntur. Menſe Junio inquiſitiones fiunt in Sancto Germano, & per totam terram Sancti Benedicti per Robertum de Baſſo juſſu Magiſtri Juſtitiarii Campangiæ, falſariis, aleatoribus, tabernariis, homicidis, vitam ſumptuoſam ducentibus, prohibita arma portantibus, & de violentiis mulierum.

Exercitus Imperialis Introducum, in quo Bertholdus ſe contra Imperatorem receperat, obſides & devaſtat.

Gregorius Papa requiſitiones ſolidorum a militibus, & ſervientibus Campaniæ fieri mandat, qui eos in fraudem retinuerunt tempore ortæ diſcordiæ inter Eccleſiam, & Imperium. Be-

Digitized by Google

Beluacenſis Epiſcopus, cui Ducatus Spoleti ab Eccleſia eſt commiſſus, congregato exercitu, ſuper Spoletum vadit, illam in exterioribus devaſtat, nec per hoc Spoletanos ad ſuam habere potuit voluntatem, & ſic inde diſcedens ſupra Mirandam vadit, ubi monetæ, & Bullæ Papalis eſſe falſarii dicebantur.

Exercitus Imperialis ab Introduco diſcedit.

Reatini juſſu Papæ ſuper Mirandam vadunt.

Menſe Auguſto de mandato Imperiali per totum Regnum ſeta cruda emi prohibentur, ſimiliter ſal, ferrum, & æs emi non niſi a Doana Imperiali mandantur.

Serra ſuper Cælanum firmata juſſu Imperiali diruitur.

Eodem menſe Magiſter domus Alemannorum in Lombardiam vadit.

Conſtitutiones Imperiales Melfiæ publicantur.

Menſe Septembri apud Sanctum Germanum, ſicut per totum Regnum pondera, & menſuræ mutantur, ponuntur Rotuli, & Turnini, Tinctorias omnes de Regno ad opus fiſci Imperialis recipi præcepit Imperator, & ſuper hoc ſuas mittit literas generales, quas cum Judæi pro Judeca Sancti Germani recipiendo detulerint, ipſam Reginus Archiepiſcopus capi prohibuit, mandans ipſis Judæis, ut ipſam in pacem dimittant Monaſterio Caſinenſi.

Menſe Octobri Marinus Caracciolus miles Neapolitanus, cum filio Annei de Rivo-Matricio venientes ad Sanctum Germanum cum literis Imperialibus, & mandato pro reparatione caſtrorum Imperialium, requirebant Caſinenſem Abbatem ex parte Cæſaris, ut homines terræ Monaſterii mittere deberet ad muniendum Atinum, caſtrum Cœlii, Roccam Bantræ, & Roccam Guillelmi.

Menſe Novembri Romani, comperto quod Imperator in eorum odium Viterbium receperat, & ad ipſius civitatis auxilium miſerat quemdam Rainaldum de Aquaviva Capitaneum, & de gente ſua cum eo pro tuenda Republica, magnam pecuniæ quantitatem Eccleſiis Urbis in odium Papæ imponunt. Men-

Digitized by Google

Menſe Decembri Imperator apud Ravennam Natale Domini magnifice celebrat, & eo die licentiam dedit omnibus de Regno, qui ſecum iverant, in propria revertendi.

Nummi aurei, qui Auguſtales vocantur, de mandato Imperatoris in utraque Sicilia Brunduſii, & Meſſanæ cuduntur.

MCCXXII. Menſe Januario. Præneſtinus Epiſcopus, & Dominus Oddo Cardinalis ex parte Papæ Legati ad Imperatorem vadunt, & eo menſe Thomas de Aquino, qui cum Imperatore iverat, ipſo Imperatore mandante, redit in Regnum, Regni Capitaneus inſtitutus, qui ad Sanctum Germanum veniens, Taſſurum quemdam civem Capuæ in Rocca Janulæ, quam uſque tunc Richardus de Guerra per fratrem Leonardum de domo Theutonicorum ſervaverat, & poſuit Caſtellanum.

Henricus de Morro Magiſter Juſtitiarius ad S. Germanum veniens inquiſitiones ibidem factas juſſu Imperiali per Robertum de Buſſo Baronem de Comitatu Moliſii, aperiri juſſit, & publicari, unicuique infamatorum exhibens libellum ſuæ infamiæ, & nomina infamantium illos, quod cauſa fuit magnæ diſcordiæ inter ipſos, & odii magni fomitem miniſtravit. Tunc de mandato ipſius Acerrarum Comitis, ſex electi ſunt in Sancto Germano, qui juraverunt dare Philippo de Citro Comeſtabili Capuæ fidele conſilium, & auxilium, qualiter munitio terræ Sancti Germani celeriter compleatur. Qui habito conſilio, providerunt munitionem ipſam per homines Sancti Germani, & alterius terræ Monaſterii in partes debere diſtribui, ſicque factum eſt, & pars operis quibuslibet aſſignata.

Tunc etiam mandato dicti Comitis, & Magiſtri Juſtitiarii, Bajuli Imperiales, qui Cavarretti vocantur, per D. Hectorem de Monte-Fuſculo tunc Terræ-Laboris Juſtitiarium, de Sancto Germano, & tota terra Monaſterii amoventur.

Menſe Februario in Sancto Germano Conſtitutiones Imperiales, quæ Auguſtales vocantur, publicatæ ſunt, qua-

Digitized by Google

rum initium eſt: *De Mercatoribus*, *Artificibus*, *Medicis*, *Aleatoribus*, *Damnis*, *Militibus*, *Notariis*.

Poſt Mundi machinam providentia Divina firmatam, &c.

Harum aliquot Richardus auctor Hiſtoriæ ponit, ſed nos remittimus lectorem ad Librum Conſtitutionum Regni Siciliæ.

Menſe Martio Imperator per Ravennam. Aquilegiam vadit per mare, ubi filium ſuum Henricum Alemanniæ Regem venturum expectat.

Munitio terræ Sancti Germani, ut citius fiat per Philippum de Citro cum conſilio juratorum terræ ejusdem, per homines terræ Monaſterii diſtribuitur.

Inquiſitiones ab Archiepiſcopis fiunt de Suffraganeis Epiſcopis, Papa mandante, & ab Epiſcopis de Clericis ſuis, ſi caſte vivunt, & continenter, & ut ceſſent prorſus cohabitatione mulierum.

Domus quædam in Coraria, & valle redimuntur, ut non diruantur, prout ſtatuerat Imperator, & datæ ſunt Philippo de Citro unc. auri 200. de quibus partem miſit pro ſolidis obſidentium Introducum, & partem reliquam Curiæ Imperiali perſolvit.

Soldanus Damaſci pretioſa mittit xenia Imperatori per quosdam Nuncios ſuos in Apuliam venientes.

Menſe Aprili Thomas Acerrarum Comes apud Sanctum Vitum de Melſa Baronum, & militum exercitum congregat, quos Introducum mittit contra Bertholdum fratrem Raynaldi ducis Spoleti, qui ſe in eo contra Imperatorem receperat.

Romani ſupra Viterbium vadunt.

Gregorius Papa de Reate apud Interamnem vadit, & inde vadit Spoletum, qui generales ad Regni Prelatos literas dirigit, ne quis eorum officialibus Imperatoris, occaſione defendendi Patrimonium Eccleſiæ, ipſos gravare volentibus, reſpondeant, & intendant.

Landus Reginus Archiepiſcopus in Meſſanenſem eligitur.

Joannes de Baruch civitatem Aconitanam recipit in odium Im-

Digitized by Google

Imperatoris. Menſe Madii Romani de Viterbio ad Urbem redeunt.

Imperator ab Aquilegia per mare redit in Apuliam, ſeque apud Melfiam contulit, ad quem mox Magiſter juſtitiarius, & dictus Acerrarum Comes accedunt. Ad Papam Nuncius, ex parte Imperatoris Magiſter Petrus de S. Germano dirigitur.

Eodem menſe Joannes Baruch cum Mareſcalco Imperatoris congrediens in partibus Syriæ, ipſum devicit in campo, & multos cepit ex ſuis.

Apud Spoletum Gregorius Papa quemdam Fratrem Antonium de Ordine Fratrum Minorum canonizavit, & Sanctorum Catalogo mandavit adſcribi.

Menſe Junii quidam Thomas de Pando civis Scalen. novam monetam auri, quæ Auguſtalis dicitur, ad Sanctum Germanum detulit diſtribuendam per totam Abbatiam, & per Sanctum Germanum, ut ipſa moneta utantur homines in emptionibus, & venditionibus ſuis juxta valorem ei ab Imperiali providentia conſtitutum, ut quilibet nummus aureus recipiatur, & expendatur pro quarta unc. ſub pœna perſonarum, & rerum: in Imperialibus literis, quas idem Thomas detulit, annotata Figura Auguſtalis erat, habens ab uno latere caput hominis cum media facie, & ab alio Aquilam.

Viterbienſes caſtrum quoddam, quod Vetorchanum dicitur, quod Romani tenebant, proditorie occupant, & evertunt, quibusbam, qui evaſerant de caſtro ipſo, conferentibus ſe ad Urbem, aliis Viterbium ſecedentibus.

Menſe Julio Gregorius Papa redit Reate. Romani in odium Papæ veniunt uſque ad Montem-Fortinum, intrare Campaniam diſponentes, ad quos tres ex parte Papæ venientes Cardinales, facta cum eis compoſitione per interventum pecuniæ, Romam reverſi ſunt.

Rogerius de Aquila Fund. Comes obiit, qui habitum ſuſcipiens Monachalem, apud Foſſam novam ſepeliri elegit.

git. Terram ipſius, videlicet, Fundos, Trajectum, & Sugium, recipi ad opus ſuum præcipit Imperator per Hectorem de Monte Fuſculo juſtitiario, & per Philippum de Citro. Giffridus filius Comitis ipſius ad Papam ſe contulit, turre Itri ſe tenente pro ipſo, quæ tandem ſtudio Philippi de Citro ad opus Imperatoris recepta eſt. Imperator pro ſuccurſu civitatis Aconitanæ, quam Joannes de Baruch occupatam tenebat, parte civitatis ſe pro Imperatore tenente, exercitum congregat militum, & Baronum.

Menſe Auguſto Gregorius Papa in Campaniam redit, & Apud Anagniam feſtum celebrat Aſſumtionis B. Virginis.

Imperator congregatum Brunduſii exercitum revocat, & ipſo mandante quilibet ſunt in ſua reverſi.

In Sicilia apud Meſſanam contra Imperatorem ſeditio orta eſt, occaſione Richardi de Montenigro pro Imperatore juſtitiarii in Sicilia conſtituti, quem cives contra eorum facere libertatem.

Decretales corriguntur a Gregorio Papa, reſecando ſuperflua, & utilia retinendo.

Bartholomæus de Sancto Germano Domini Papæ Capellanus, Papa mandante, Gajetam vadit pro compoſitione inter Imperatorem, & Gajetanos facienda, ut redeant ad fidelitatem ipſius, quod cum facere non poſſet, apud Sanctum Eraſmum ſeceſſit, & ibi uſque ad mandatum Domini Papæ elegit facere ſtationem.

Menſe Septembri Imperator a Melfia venit Fogiam, & generales per totum Regnum literas dirigit, ut de qualibet civitate, vel caſtro duo de melioribus accedant ad ipſum pro utilitate Regni, & commodo generali, ad quem de terra Sancti Germani ivit Roffridus de Monte Miles.

Fodrum de Regno juſſu Imperatoris apud Anagniam mittitur ad Dominum Papam.

Menſe Octobri in Sancto Germano hujuſmodi ſunt Imperiales Aſciſiæ publicatæ.

Ci-

Cives in terris eorum pro mercibus ſuis, quas intromittent, vel extrahent, nihil ſolvent, niſi quod olim ſolvebant, de pomis, caſtaneis, nucibus, avellanis, & aliis fructibus in jure Curiæ ſervabitur forma antiqua. Jus coriorum pro conzatura dimittitur in forma antiqua. Factum canapis omnino remittitur: vendentibus vinum, ſive ad minutum, ſive ad groſſum, nihil requiritur, ſed in eis ſervabitur forma antiqua. Statera erit in Fundicis, & nihil recipietur pro ea, nec amplius pro cantaro quam Gr. 5. Pro herbatico animalium, venditione equorum, & aliorum animalium ſimiliter ſervabitur forma antiqua. A piſcatoribus nihil requiritur, niſi ſecundum formam antiquam. Pro jure menſurarum victualii tam in Sauma, quam in Turninis ſervabitur forma antiqua, de jure caſatici remiſſa ſunt Gr. 3. pro unc. ita quod Mercatoribus, qui erunt pro eis, providebitur a Cuſtodibus Fundaci in lectis, luminaribus, palea, & lignis: de jure Bucceriorum pro bove, vel vacca remittuntur Gr. 3. pro porco Gr. 3. pro ariete Gr. 2. pro agno Gr. 1. de Tunninis, & Sardellis ſervabitur forma, de jure lini idem, de jure Cannarum idem, de lana Syriæ idem, de bambace, & de arcu cunctonis idem.

Eodem menſe Ægidius Verraclus Domini Papæ Subdiaconus, & Capellanus pro facto Gajetæ ad Imperatorem in Apuliam Nuncius vadit.

Menſe Novembris de Communibus Lombardiæ pro compoſitione cum Imperatore facienda, Legati apud Anagniam veniunt ad Dominum Papam.

Menſe Decembri pro facto Lombardorum, Henricus de Morro Magiſter Juſtitiarius ab Imperatore ad Papam nuncius mittitur, cum quo vadunt Magiſter Petrus de Vinea, Magiſter Petrus de Sancto Germano, & Magiſter Benedictus de Sernia, ut cum Magiſtro Juſtitiario coram Papa pro parte Imperatoris jus ipſius oſtenderent.

MCCXXXIII. menſe Januario Henricus de Morro Magiſter

giſter Juſtitiarius a Papa ad Imperatorem in Apuliam redit, quem ſubſecuti ſunt Landus Meſſanenſis Archiepiſcopus cum Regino Epiſcopo nuncii a Papa directi ad Imperatorem. Imperator omnibus generaliter Prælatis, Comitibus, Baronibus, militibus tam feudatis, quam non feudatis mandat, ut ad ſe cum toto ſervitio, quod facere tenentur apud Politorum, in futuris Kalendis Februarii accedere ſint parati. Tunc juſſu Imperatoris Lucerium civitas Saracenorum firmatur, Trojæ mœnia diruuntur.

Imperator menſe Februarii de Apulia in Calabriam ſe confert.

Magiſter Joannes de Sancto Germano, Guillelmo ejuſdem Eccleſiæ Archipresbytero ſponte cedente, in Archipresbyterum Sancti Germani aſſumitur.

Caſtella in Trano, Baro, Neapoli, & Brunduſio juſſu Imperatoris firmantur.

Menſe Martii Senator cum nonnullis de majoribus Urbis ad Papam apud Anagniam vadit, quorum inductus precibus, cum quibuſdam ex Cardinalibus ad Urbem redit, ubi cum honore maximo Romanorum receptus eſt, & pars reliqua Cardinalium apud Anagniam remanſit.

Magiſter Thomas Cardinalis de mandato Papæ cum... apud Viterbium vadit pro compoſitione inter Romanos, & Viterbienſes facienda.

25. Aprilis in feſto B. Marci Evangeliſtæ, die Lunæ circa Meridiem aeris ſerenitate mutata, quæ multa erat, tanta ſubito tempeſtas inhorruit, & inundatio facta eſt pluviarum de ſupernis veniens montibus admixta grandinibus, ad S. Germanum; quod domos nonnullas in valle replevit alluvio, domorum utenſilia, oleum, & victualia multa ſecum fluendo deduxit. Saxa etiam de montibus, tam grandia movit, quod ea trahere multa boum paria non valerent.

Rainaldus dictus Dux Spoleti mandato Imperatoris ducitur apud Introducum ſub cuſtodia ab Henrico de Morro Ma-

Magiſtro Juſtitiario, ut idem Dux caſtrum ipſum reddi faciat Imperatori a Bertoldo fratre ſuo, qui illud tenebat, quod facere idem Bertoldus ad interventum Meſſanenſis Archiepiſcopi repromiſit.

Pax inter Romanos, & Viterbienſes reformata eſt.

Imperator Meſſanam intrat, & de quodam Martino Mallone, qui caput fuerat motæ ſeditionis in Populo, & ejus complicibus, ſumſit debitam ultionem, de quibus quoſdam ſuſpendio, & quoſdam incendio condemnavit.

Menſe Maji pro ſervitio militum 60. & ſervientibus ducentis, in quibus ab Abbate Caſinen. ſibi ſerviri debere Imperator debebat, collectæ ſunt de terra Monaſterii unc. 400.

Florentinates ſuper Senas vadunt, poſt prohibitionem Papæ, propter quod eorum civitas ſub interdicto poſita eſt, & ipſi excommunicationis ſunt vinculo innodati.

Menſe Junio de quodam Sancto Virgilio miracula multa in ſcriptis redacta, de Alemannia miſſa ſunt ad D. Papam.

Eodem menſe quidam Fr. I. vili contectus tegmine, tamquam de Ordine Fratrum Minorum, ad S. Germanum veniens, cum cornu quodam convocabat populum, & alta voce cantabat tertio *Alleluja*, & omnes reſpondebant: *Alleluja*; & ipſe conſequenter dicebat: *Benedictu, laudatu, & glorificatu lu Patre. Benedictu, laudatu, & glorificatu lu Fillu. Benedictu, laudatu, & glorificatu lu Spiritu Sanctu, Alleluja. Glorioſa Domina.* Hoc idem alta voce reſpondentibus pueris, qui erant præſentes.

Imperator caſtrum quoddam in Sicilia, quod Ceturbium dicitur, ſibi rebelle, vi cepit, & deſtruxit, & incolas ad loca compulit alia demigrare.

Menſe Julio Bertoldus Introducum Magiſtro Juſtitiario reſignavit, & ipſe cum Duce fratre ſuo aſſecuratus abiit extra Regnum, quo voluit.

Civitas Gajetæ ad mandatum redit Imperatoris, & juramentum fidelitatis ſibi præſtat, & Conrado filio ejus.

Ad

Ad quam Hector de Monte-Fuſculo Juſtitiarius Terræ-Laboris accedens, juſſu Imperatoris Doanam inſtituit in ea, & Conſulatu privavit eamdem.

Imperator de Sicilia ſuas ad eumdem Juſtitiarium, & alios Juſtitiarios Regni literas dirigit ſuper moleſtiis, & injuriis Prælatorum, ut ipſi ſtatuto die, & loco Prælatos ad ſe convocent regionum, & audiant eorum clamores, & qui juſte poterunt expedire, expediant, reliqua vero per ſuos Nuncios ſibi ſignificent fideliter, & diſtincte, ut de ipſorum correctionibus provide ipſe diſponat. Item alias ad Caſertanum Epiſcopum literas mittit, pro inquiſitione facienda hæreticæ pravitatis, ut tam Paterenos, quam eorum fautores, quos invenerit hujus criminis reos, ſub ſuo, & Juſtitiarii Terræ-Laboris teſtimonio ſibi debeat intimare.

Gregorius Papa Urbem exiens, venit Anagniam.

Menſe Auguſto ad mandatum Hectoris de Monte-Fuſculo Juſtitiarii Terræ-Laboris apud Theanum Prælati iſti conveniunt in die ab eodem Juſtitiario conſtituto, ſcilicet Caſertanus, Calvenſis, Calinen. Venafranus, Aliſanus, & Nolanus, ſed nullus eorum ſe moleſtiam, vel inſuriam paſſum fuiſſe ab aliquo officialium conqueſtus eſt.

Eodem menſe mandatum de diruendo Burgo Capuæ ad Magiſtrum Juſtitiarium a Cæſare emanavit.

Hector de Monte-Fuſculo per Imperatorem a Juſtitiariatu amovetur, & Stephanus de Anglone ſubſtituitur illi.

Judex Petrus de Teleſia inquiſitionem facit in Abbatia de hominibus demanii Imperialis, quorum parentes, & avi de terris demanii originem duxerant, & eorum nomina redegit in ſcriptis, ut de illis, quod ſibi beneplacitum fuerit, faciat Imperator.

Menſe Septembri Thomas de Aquino Acerrarum Comes mandato Imperatoris in Lombardiam vadit ad Civitatem Cremonæ, quæ favet Imperatori.

Menſe Octobri Cardinales, qui ſe Reate contulerant, revocati a Papa ad Urbem redeunt.

Men-

•Menſe Novembri Greg. Papa de Anagnia redit ad Urbem.

Imperator diem natalis ſui per totum Regnum ſuum mandat in feſto B. Protom. Stephani magnifice celebrandum, qui menſe Decembri fuit ab hominibus Sancti Germani ad ipſius Imperatoris honorem magnifice celebratus, ita quod pauperes ultra quingentos manducaverunt, & ſaturati ſunt nimis, pane, vino, & carnibus in platea publica.

Imperator apud Syracuſam ſtatuit in Curia generali, ut nulli omnino liceat de filiis, & filiabus Regni matrimonia cum externis, & adventitiis, vel qui non ſint de Regno, abſque ipſius ſpeciali requiſitione, mandato, ſeu conſenſu Curiæ ſuæ contrahere, videlicet, ut nec aliquæ de Regno nubere alienigenis audeant, nec aliqui alienigenarum filias ducere in uxores, pœna appoſita omnium rerum ſuarum.

MCCXXXIII. Menſe Januario, apud Meſſanam ipſe Imperator regens Curiam generalem, ſtatuit in ſeptem Regni partibus per annum generales nundinas celebrandas, mandans, ut in ſingulis provinciis, in quibus erunt nundinæ conſtitutæ, quamdiu nundinæ ipſæ duraverint, nullus mercator, vel miniſterialis alibi cum mercibus, & rebus venalibus, quam in loco nundinarum inveniri præſumat. Primæ nundinæ erunt apud Sulmonam, & durabunt a feſto Sancti Georgii uſque ad feſtum Inventionis S. Archangeli. Secundæ erunt Capuæ, & durabunt a 22. Madii, uſque ad octavam Junii. Tertiæ erunt Lucerii, & durabunt a feſto B. Joannis Papæ, uſque ad octo dies. Quartæ erunt apud Barum, & durabunt a feſto B. Mariæ Magdalenæ, uſque ad feſtum Sancti Laurentii. Quintæ erunt Tarenti, & durabunt a feſto Sancti Bartholomæi, uſque ad feſtum Nativitatis Beatæ Virginis. Sextæ erunt Cuſentiæ, & durabunt a feſto Beati Matthæi uſque ad feſtum B. Dionyſii. Septimæ erunt Regii, & durabunt a feſto Sancti Lucæ uſque ad feſtum omnium Sanctorum in Kalend. Novembris. Statuit etiam ipſe Imperator apud Meſſanam bis in

anno in certis Regni provinciis generales Curias celebrandas, in quibus licebit quibuslibet contra Magiſtrum Juſtitiarium, Juſtitiarios, & quamcumque aliam perſonam, ſuam querimoniam inſtituere, ut omnes ſuam juſtitiam aſſequantur, & ibi erit pro parte Imperatoris Nuncius ſpecialis, qui omnium querelas in ſcriptis rediget, & eas Imperiali Curiæ præſentabit ſub ſuo, & quatuor bonorum virorum Eccleſiaſticorum ſigillis ſignatas. Clamores tamen contra eos factos, qui officiales non ſunt, decident Juſtitiarii Regionum: iis Curiis bis in anno, ut dictum eſt, celebrandis intererunt quatuor de qualibet magna civitate, de melioribus terræ, bonæ fidei, & bonæ opinionis, & qui non ſint de parte: de aliis vero non magnis, & de caſtellis duo, intererunt Curiis ipſis. Prælati vero locorum, niſi certam habeant excuſationem, quod intereſſe non poſſint, ſimiliter intererunt eiſdem Curiis, & durabit Curia per octo dies, in quibus niſi expediri negotia ipſa poterunt, prorogabitur in dies quindecim, qui autem intererunt, loco Prælatorum, qui intereſſe non poterunt denunciabunt, ſi qui ſunt in eorum provincia Patereni, vel hæretica pravitate infecti, ut ſeveritate debita puniantur. Loca autem, in quibus Curiæ ſtatutæ ſunt, ſunt hæc:

In Sicilia apud Platiam. In Calabria, terra Jordani, & Vallis gratæ apud Cuſentiam. In Apulia, Capitaniata, & Baſilicata apud Gravinam. In Principatu, Terra-Laboris, & Comitatu Moliſii uſque Soram, apud Salernum. In Juſtitiariatu Aprutii apud Sulmonam. Tempus autem quando congregandæ ſunt Curiæ, erit in Kalendis Madii, & Kalend. Novembris, in quibus Magiſter Juſtitiarius, Juſtitiarii, Magiſtri Camerarii, Camerarii Bajuli, & alii officiales Curiæ, Prælati, Comites, Barones, cives, & aliorum locorum habitatores, quilibet in ſua provincia tempore, & locis præfixis in præſentia Legati Imperialis convenire tenentur ſuper univerſis, & ſingulis, quæ conſtitutio continet, proceſſuri.

Men-

Digitized by Google

Menſe Februario de Sicilia in Calabriam transfretat Imperator, & exinde in Apuliam venit.

Hoc menſe, & menſe Januario præterito tanta fuit abundantia pluviæ, & nivis, quod pro tempeſtate famis multa millia ovium in Apulia morerentur. Silveſtres etiam beſtiæ, & ipſæ volucres præ fame deficerent, &, ſe quo verterent, ignorarent, cum ubique terrarum nix eſſet, & ipſa etiam flumina fuerint congelata, & etiam quod olivæ, & aliæ arbores fructiferæ areſactæ eſſent ex gelu nimio, homines deſperabiliter murmurarent.

Imperator de Apulia venit in Terram-Laboris, & tunc ab iſta parte Capuæ fieri ſuper montem Caſtellum jubet, quod ipſe manu propria conſignavit.

In Neapoli etiam munitionem factam præcipit ampliari. Operi caſtelli de Capua, ut citius fiat, præponit Nicolaum de Cicala, cui omnes jubet intendere a Miniano uſque Capuam.

In Gajeta pro Imperatore per Hectorem de Monte-Fuſculo fere 30. turres cuſtodiuntur. Menſe Madio Imperator per Sanctum Germanum habens tranſitum apud Reate ad Papam vadit ducens ſecum Conradum filium ſuum, & ſe ad ſervitium Eccleſiæ exponens contra Romanos.

Inquiſitio fit Imperatore mandante de opere Sancti Germani per totam Abbatiam per Judicem Adenulphum de Sueſſa, & Judicem Thomam de Caſerta.

Tunc Imperator apud Reate faciens moram, revocavit ad opus ſuum quidquid turbationis tempore de Regni pertinentiis occupaverant Reatini, & ipſe cum gente ſua, una cum Magiſtro Raynerio Cardinale Viterbium ſe confert, prædicto Conrado filio ſuo, & qui cum eo uſque Reate iverant, redeuntibus in Regnum Imperatore mandante.

Et tunc apud Raſpampanum, quod Romani cuſtodiebant, obſidionem ponit de Cardinalis conſilio Imperator, ubi per duos menſes faciens moram cum in capiendo caſtro ipſo non proficeret, menſe Sept. in Regno reverſus eſt Imperator.

 Illis

perator cum familiis ſuis, propter quod de Sancto Germano, & de tota terra Monaſterii nonnulli, qui inventi ſunt de demanio extitiſſe, apud Cumas ire cum ſuis familiis compelluntur.

Menſe Martio captivi de Apulia, qui tenebantur apud Canuſium, per interventum pecuniæ liberantur, & ex eis quidam digna ſunt pœna mulctati.

Menſe Aprili Imperator apud Brecinam Paſcha Domini celebrat, & conſequenter poſt Paſcha iter arripuit in Alemanniam profecturus, ducens ſecum Conradum filium ſuum, quem Magiſter domus Theutonicorum ipſo mandante præceſſit ad Papam, & Thomas de Aquino Acerrarum Comes Magiſter Juſtitiarius, & Juſtitiarii alii de Regno, necnon & Capuanus, Hydrontinus, & Panormitanus Archiepiſcopi, cum nonnullis de Regno uſque Fanum ſecuti ſunt, & de Imperatoris licentia ſunt in Regnum reverſi.

Turres in Gajeta, exceptis quatuor, diruuntur mandato Imperatoris. Rocca Janulæ ſupra Sanctum Germanum firmatur, Stephanus de Anglone cedit officio Juſtitiariatus, & Guillelmus de Sancto Raymundo ſuccedit eidem. Imperator cum Conrado filio ſuo, & de Regno admodum paucis, menſe Madio apud Ariminum mare intrat, & in Aquilegiam vadit, exinde in Alemanniam profecturus.

Pax inter Papam, & Romanos reformata eſt, captivi Romani, qui apud Viterbium tenebantur per Papam liberati ſunt, & qui tenebantur a Romanis, liberi dimittuntur.

Robertus de Buſſo e Juſtitiariatu Aprutii amovetur, & Hector Comeſtab. Montis-Fuſculi ſubſtitutus eſt illi.

Menſe Junio Panormitanus, & Capuanus Archiepiſcopi, Thomas de Agno Acerrarum Comes, & Henricus de Morro Magiſt. Juſtitiarius, qui pro Imperatore in Regno remanſerant, ſe Capuam conferentes, ſtatuerunt ibidem, qualiter Rocca Jani ſuper S. Germanum muniri turribus, & muris deberet. Ad quod faciendum quatuor elegerunt de terra Sancti Benedicti, quod homines deputatos ad opus

Roccæ

Digitized by Google

Roccæ ipſius aſſignare ſuis viribus Domino Philippo de Citro deberent Comeſt. Capuæ Magiſtro operis Roccæ prædictæ, & ter in die ipſos requirere quemlibet prædictorum, quorum nomina hæc ſunt: Jacconus Miles de Ponte-Curvo, Raymundus Pelegrini de Sancto Helia, Rogerius de Landenulpho, & Raymundus de Paterno de Sancto Germano, & ut Rocca ipſa citius muniretur, per ipſos dominos in terra fundata certa ſingulis menſibus pecuniæ quantitas eſt ſtatuta, & demum ſe apud Melphiam in Apuliam contulerunt.

Eodem menſe de felicibus Imperatoris auſpiciis literæ venerunt in Regnum, quomodo apud Sibidatum a Principibus Imperii magno fuerat cum honore receptus ipſo menſe, nullo obſtante, Alemanniam intrans, Henricum Regem filium ſuum redeuntem ad mandatum ſuum recepit, quem Duci Bavariæ cuſtodiendum commiſit. Philippus de Citro amotus eſt a Magiſtratu operis Roccæ Janulæ, & Jacobus de Mulino ſubſtitutus eſt illi.

Menſe Julio Imperator filiam Regis Angliæ duxit uxorem, quam apud Guarmacum magnifice deſponſavit.

MCCXXXVI. Menſe Januario Imperator filium ſuum Henricum ſub fida cuſtodia per Marchionem Lanceæ mittit in Regnum, & in Apulia in Rocca, quæ dicitur S. Felix, ſervandus traditur. Hoc anno juſſu Imperatoris Brundufii novi Imperiales cuduntur, & veteres caſſati ſunt. Generalis collecta in Regno ponitur, & tunc pro adoramento Imperiali collectæ ſunt de terra Monaſterii Caſin. unciæ CL.

Menſe Junio in vigilia Apoſtolorum Petri, & Pauli capta eſt Corduba nobiliſſima Saracenorum civitas, qua præter Romam, Conſtantinopolim, & Hiſpalim nulla major in Orbe dicitur a Ferrando Chriſtianiſſimo Rege Toleti, & Caſtellæ.

Menſe Julii in Feſto Sanctorum Nazarii, & Celſi, Landulphus Senabaldus Caſin. Abbas feliciter apud Caſinum obiit,

Digitized by Google

obiit, cujus obitus per fratrem Julianum Monachum Caſinen. Dominis Curiæ Imperialis, qui ſunt in Apulia, nuntiatur, a quibus eligendi licentiam Conventus accepit.

Eodem menſe Imperiale mandatum ad Urbem, & generaliter per Tuſciam, & Lombardiam, & per totam Marchiam mittitur, ut tam de Urbe, quam de ſingulis ipſarum provinciarum communitatibus in Lombardiam Legati vadant, poſtquam illuc Imperatorem ſciverint veniſſe, &c.

Menſe Auguſto Fr. Julianus, Fr. Robertus de Foreſta, & Fr. Joann. Gazolus de voluntate Henrici de Morro Magiſt. juſtitiæ per Vicedecanum, & Conventuum Rectores, terræ Monaſterii ſunt electi.

Imperator cum honeſto militum comitatu, relictis Imperatrice uxore ſua, & Conrado filio ſuo in Alemannia, tranſalpinavit, & venit Veronam, quæ ſuo favebat Imperio, & inde proſpere uſque Cremonam proceſſit in Lombardiam, licet Mediolanenſes cum ſuis viribus ſe ſibi opponerent, ne tranſiret. Domini Curiæ, qui in Regno remanſerant pro parte Imperatoris, cognito de adventu Imperatoris in Lombardia, prohibuerunt Vicedecanum, & Conventum Caſinen. ne in electione Abbatis facienda procederent; Legati Urbis, & totius Lombardiæ, & Tuſciæ ad Imperatorem vadunt. Menſe Octobris ex parte Caſinen. Conventus ad eum quoque duo vadunt, Fr. videlicet Simon de Præſentiano, & Fr. Amicus, qui tamen cum aliarum Nunciis civitatum uſque Cremonam procedentes & ultra, ipſum videre non potuerunt.

Cum menſe Novembris, capta civitate Vincentiæ, propere in Alemanniam rediviſſet, quam civitatem igne pro parte cremavit, unde verſus:

Pro meritis dignis Vincentia decremat ignis.
Subderis Imperio Cæſaris ingenio.

Thomas Acerrarum Comes, & Henricus de Moro Magiſter juſtitiarius vocati ab Imperatore vadunt ad ipſum menſe Decembri, ſed ipſum in Lombardia non invenerunt,

cum

Epiſcopus Oſtien. & Thomas Capuanus etiam S. Sabinæ Presbyter Card. Legati ad Imperatorem vadunt ex parte Papæ.

Menſe Junio dictus Fr. Simon per Dominum Guillelmum de Sancto Fraimundo Terræ-Laboris juſtitiarium, remanente ſecum in Rectoria Fr. Joanne Carolo, & duobus aliis caſſatis Rectoribus, ſcilicet Fr. Juliano, & Fr. Roberto de Foreſta, Rector Caſinen. inſtitutus eſt, qui Fr. Simon apud Avellinum vadens ad Dominos Curiæ ſupradictos, qui ibidem convenerant, obtinuit ab eis, ut pro inquiſitione facienda de perſona Caſinen. electi mittere, quem vellent, deberent, qui ad hoc faciendum mirum præjudicium Judicem Thaddæum de Sueſſa magnæ Imperialis Curiæ Judicem elegerunt. Menſe Julio veniens idem Judex ad S. Germanum de mandato prædictorum Dominorum tam de fide, quam ſufficientia jam dicti Caſinen. electi per ſingulos de caſtris ſingulis ad ſe ſub certo mandato vocatos homines, necnon & de anno, ubi ſe tempore diſcordiæ inter Eccleſiam, & Imperatorem receperat, inquiſitionem facere ſtuduit diligentem, quam in ſcriptis redactam ad eosdem Dominos per Magiſtrum Turriſium de Atino remiſit, ad quos & Fr. Joannes de Sancto Germano, & Magiſter Raymundus Judex, & Advocatus Caſinen. vadunt ex parte Conventus, & approbata per ipſos Dominos inquiſitione ipſam electionem factam de prædicto Fr. Pandulpho, juxta mandatum Cæſaris acceptarunt.

Eodem menſe Jacobus de Molin. captus a Magiſtro juſtitiario propter arma prohibita, & ſeditionem factam cuſtodiendus traditur in caſtello Neapolitano, & nonnulli alii ſeditioſi capiuntur, & ad caſtra alia in captione mittuntur.

Hoc anno Joannes Rex q. Hieroſolymitanus apud Conſtantinopolim naturæ conceſſit menſe Julio. Romani plebei populi communitates contra Joannem de Poli Senatorem Urbis (*conjurantes*,) ipſum Senatoriæ dignitati cedere compulerunt, & Joannem de Centio ſubſtituerunt eidem, pro-

pter quod ſeditio, & cædes multa facta eſt populi; cum inde Joannes de Poli ſe in turri ſua receperit contra Romanos, & Senatorem ſibi ſubſtitutum, & bellum contra eos moverit inteſtinum; tandemque pax reformata eſt inter eos, in Senatu de conſenſu jam dicti Joannis de Poli, Joanne de Centio remanente.

Menſe Auguſto pro confirmatione electionis jam dicti Patris Pandulphi obtinenda a Papa vadunt Fr. Richardus de Babulo, Fr. Joannes de Sancto Germano, Fr. Gregorius de Sancto Stephano, Fr. Stephanus de Carvaco, & Magiſter Raymundus Caira Judex, & Advocatus Caſinen. apud Viterbium, qui quoniam obtinere illam non potuerunt a Papa jam dicto, quia in electione non fuerat rite proceſſum, obtinuerunt ad multam inſtantiam, ne Monaſterium in deterius vergeret, ut electus ipſe adminiſtraret, uſque ad beneplacitum Papæ.

Eodem menſe de mandato Imperatoris de Luceria apud Ravennam vadunt decem millia Saracenorum in ſubſidium ejus, cum civitatem ipſam in odium Imperatoris, cujus partem fovebant Faventini, qui erant ex parte Mediolanen. graviter infeſtarent, ad cujus etiam defenſam acceſſerat Simon Comes Theatinus de mandato Imperiali cum quingentis militibus.

Menſe Septembris Henricus de Morro Magiſter juſtitiarius venit ad S. German. & occaſione inquiſitionis olim factæ ibidem de ſubtractis hominibus tempore Philippi de Citro ab opere munitionis terræ ipſius generaliter pro his, qui eos ſubtraxerant, per totam Abbatiam compoſuit cum eis ad majorem pœnam vitandam in 300. unc. auri, cum prædicto vero Philippo de Citro in centum, & ſic vocatus a Cæſare ad ipſum in Lombardiam vadit.

Menſe Octobris Imperator cepit Mortariam in Lombardia, & cum nollet habita Mantua alloqui Cardinales, ipſi Romam reverſi ſunt, ubi etiam biduo ante Gregorius Papa de Viterbio redierat, & cum honore multo receptus fuerat a Romanis.

Menſe

Menſe Novembris Ambaſciatores Romani ad Imperatorem in Lombardiam vadunt. Imperator cum fortunato exercitu ſuo cepit Monte-Clarum in Epiſcopatu Brixiæ, quod bonis omnibus ſpoliatum comburi jubet, propterea quod Brixienſes in ſuum auxilium Mediolanen. vocaverant, qui in manu valida militum, & peditum congregato exercitu verſus Briviam in ejus auxilium profecti ſunt, contra Imperatorem ſe temere opponentes, quos Imperator ipſe 4. ſtante eodem menſe Novembris, cum apud Curtem-novam ſua tentoria defeciſſent ab ipſius facie fugientes, audacter non minus, quam potenter invadens devicit in campo, & ex ipſis ſtragem non modicam fecit, & nonnullos cepit, & captivos Cremonam duxit. Ita quod inter vivos, & mortuos ad decem fere millium numerus computaretur. Tunc etiam Mediolani Poteſtas filius Ducis Veneti captus eſt ſimiliter, & Carrocchium cepit, & Cremonam duxit.

Menſe Decemb. Lauda ipſi Imperatori ſe reddidit, & ibi Natale Domini cum omni tripudio celebravit.

MCCXXXVIII. Menſe Januarii Henricus de Morro Magiſter Juſtitiarius de Lombardia redit in Regnum, & tunc generalis collecta per totum Regnum imponitur, & colligitur. Imperator in Alemanniam remeat, & ibi pro facto Lombardiæ exercitum congregat, Magiſtrum domus Alemannorum ultra montes dirigit pro ſoldariis retinendis, &c. Menſe Aprilis in Lombardiam redit, & apud Veronam filium Conradum ſuum cum Principibus Imperii, & copioſo exercitu præſtolatur. Carrocchium captum Romam dirigit Imperator in ſignum victoriæ.

Menſe Majo Imperator vocat ad ſe Thomam de Agno Acerrarum Comitem, & Henricum de Morro Magiſtrum Juſtitiarium, & omnes Barones, & milites infeudatos, quorum nonnullis, juxta ipſius mandatum, euntes ad ejus obſequium civitatibus, quæ venerant ad nutum ſuum, Poteſtates præfecit, & aliis cuſtodiam captivorum commiſit.

Menſe Junio Acerrarum Comes cum Magiſtro Juſtit. ad Im-

Digitized by Google

Imperatorem in Lombardiam vadit cum militibus Regni decenter paratis in equis, & armis, & cum pecunia de Regno collecta.

Gregorius Papa Urbem exiens venit Anagniam, &c.

Hoc menſe in Caſino celebratur electio, & quia in eligendo Monachi convenire non poterant, vota ſua dederunt in Archiepiſcopum Meſſanen. ut ipſe unum, quem vellet, de gremio aſſumeret Monaſterii.

Menſe Julii Conradus Rex filius Imperatoris apud Veronam venit ad patrem cum Principibus, & exercitu copioſo, cum quo ſe Cremonam conferens infeliciter in obſidione Brixiæ properavit: apud Veronam etiam Magiſtrum domus Theutonicorum infirmum redeuntem de partibus Ultramontanis recepit Imperator.

Hoc menſe Fr. Joannes Capuanus Caſinenſis Monachus in Abbatem S. Salvatoris de Teleſia per Papam Gregorium apud Anagniam conſecratus eſt, qui menſe Auguſto infirmitate correptus obiit.

Menſe eodem Auguſto Henricus de Morro Magiſter Juſtitiarius de Lombardia redit in Regnum. Panormitanus Archiepiſcopus Epiſcopus Reginus, Judex Thaddæus de Sueſſa, & Magiſter Rogerius Porcaſtrella de Lombardia ab Imperatore ad Papam apud Anagniam nuntii veniunt pro pace inter Eccleſiam, & Imperium reformanda, cum quibus pro parte Eccleſiæ Meſſanen. Archiepiſcopus ad Imperatorem dirigitur Reſponſalis a Papa.

Magiſter domus Alemannorum Salernum ſe confert pro ſanitate recuperanda.

Menſe Septembris Imperatrix de Lombardia venit in Regnum, & apud Adrium elegit juſſu Imperatoris facere ſtationem.

Menſe Octobris Gregorius Papa de Anagnia rediit ad Urbem, ubi novi confutati ſunt Senatores DD. Joannes de Poli, & ...

Imperator vaſtata in exterioribus Brixia ab ejus obſidio-

dione recedit. Conradus filius ejus in Alemanniam redit, & licentia data eſt in propria revertendi, ipſe tamen in Lombardia remanſit.

Henricus naturalis filius imperatoris in Sardinia duxit uxorem.

Menſe Novembris Landus Meſſanen. Archiepiſcopus, in quem Conventus Caſinen. eligendi quem vellet in Abbatem de gremio Monaſterii, ſua vota dederunt; Fratrem Stephanum de Corvan. cum illum idoneum inveniſſet in Abbatem Caſinenſem elegit, quem idem Conventus pariter acceptavit, & propter hoc ad repræſentandam ipſius electionem Domino Imperatori duos ex Fratribus, ſcilicet Fratrem Robertum de Foreſta, & Fratrem Joannem de Pontecurvo ad ejus præſentiam direxerunt, ut ſuum in eum dare dignaretur aſſenſum.

Idem Meſſanenſis Archiepiſcopus cum Berardo Panormitano Archiepiſcopo, & Thoma de Agno Acerrarum Comite, & cum Magiſtro Rogerio Porcaſtrella ab Imperatore remiſſus ad Papam Romam venientem pro pace, & forma concordiæ hinc inde tractata.

Guido Lorenus Epiſcopus legatus a Papa in Provinciam mittitur.

Menſe Decembris Imperator Imperatricem uxorem ſuam de Regno in Lombardiam reduci jubet ad ſe per Berardum Panormitan. Archiepiſcopum. Meſſanen. Archiepiſcopum, Comes Acerrarum; & Magiſter Rogerius Boccabella de Urbe a Papa digreſſi ſunt, quorum duo, ſcilicet Comes, & Magiſter Rogerius in Regnum redeunt; Meſſanenſis Archiepiſcopus vero ſe Anagniam confert. Imperator apud Parmam Natale Domini celebrat, ibique repræſentatæ ſibi electioni a prædictis Fratribus factæ de prædicto Stephano ab Archiepiſcopo Meſſanen. in Abbatem Caſinenſem ſuum dedit aſſenſum: prædictus Magiſter Rogerius cum reſponſo Papæ ad Imperatorem redit.

MCCXXXIX. Menſe Januarii, Generalis collecta per Re-

Regnum exigitur. Fratrer Raim. de Curci, Frater Richardus de Babuco electionem Fratris Stephani in Abbatem Caſinen. repræſentant Domino Papæ Gregorio in Urbe.

Imperiales novi cuduntur Brunduſii.

Menſe Februarii Gregorius Papa electionem fratris Stephani confirmat, eum per manus Oſtien. Epiſcopi facit in Sacerdotem promoveri in Feſto Sancti Barbati, & die altera benedictionis ſibi munus impendi, qui in Caſinen. Monaſterio in Feſto B. Matthiæ honorifice receptus eſt & cum gloria cathedratus.

Menſe Martii idem Abbas ad Imperatorem in Lombardiam vadit, a quo benigne ſatis receptus eſt., & ibidem fidelitatis ſibi præſtitit ſacramentum, qui Abbas antequam diſcederet e Monaſterio, Vicedecanum inſtituit fratrem Richardum de Septem-fratribus.

Eodem Menſe in die Sancto Jovis Gregorius Papa Imperatorem publice excommunicat, cui excommunicationi, quam judicabat injuſtam, Imperator non paret, ſed ſuas excuſatorias mittit ad Orbis Principes, quomodo Papa perperam contra ſe proceſſit.

Menſe Aprilis Monaſterium Caſinen. Imperatore mandante ſervientibus, & aliis ad Cuſtodiam neceſſariis committitur quibusdam Monachis ex eo excluſis.

Similiter & Pons-Curvus, Taſſurum Caſtellanum Roccæ Janulæ.

Menſe Majo in Marſia apud Talliacotium quidam Sanctus Oddo revelatur, qui miraculis multis claruit.

Eodem menſe Thomas de Agno Acer. Comes vocatus ad Imperatorem in Lombardiam vadit. Omnes de Regno, qui ſunt in Romana Curia, revocantur.

Denarii novi dati ſunt per terram Sancti Benedicti, pro quibus datum eſt aurum ad ſummam 170. unc.

Theanen. Caſinen. Venafranus, Aquinen. Epiſcopi de Regno exeunt, Imperatore mandante.

Tertio Junii circa horam nonam diei Veneris Sol eclypſim paſſus eſt. Eo-

Digitized by Google

Eodem menſe a Monaſterio Caſinen. ſicut a cæteris aliis de Regno Cathedralibus Eccleſiis, necnon & a ſubditis ejuſdem Monaſterii cellis, adjutorium pro Imperatore exigitur. Similiter & a Clericis Abbatiæ pro beneficiis ſuis, Obedientiales Monachi vocati a Taſſuro Caſtellano Roccæ Janulæ, ſicut & ipſi Clerici dare convenerunt medietatem omnium obedientiarum ſuarum, & exinde reddere Rogerio Landenulpho, & Jacobo Cazolo ad hoc conſtitutis per Juſtitiarium Terræ Laboris pro victu ſervientium, qui deputati ſunt ad cuſtodiam Monaſterii, & Pontiſcurvi.

Eodem tempore ſubſcripta capitula edita ſunt in Regno, quæ pro parte Imperiali obſervari jubentur. " In primis, „ ut fratres Prædicatores, & Minores, qui ſunt oriundi „ de terris infidelium Lombardiæ, expellantur de Regno, „ & ab aliis habeatur cautela, quod non offendant Imperatorem. Idem fiat de aliis perſonis Religioſis. Item ut „ Barones, & milites, qui faverunt aliquando Papæ contra Cæſarem, & præcipue qui ſunt in confinio Regni, „ inducantur, potentes, quod vadant ad ſervitium Curiæ „ in Lombardiam cum equis, & armis, impotentes ſimiliter a Curia Imperiali ſtipendia recepturi: item a Cathedralibus Eccleſiis per ſe exigatur, & imponatur pro „ Imperiali Curia adjutorium ſecundum modum, & potentiam divitiarum ſuarum. Nihilo minus & a Canonicis „ earum Diœceſum ſibi ſubditis, Presbyteris, & Clericis „ ſecundum facultates eorum, idem exigatur ab Abbatibus, „ Monachis nigris, & albis; item quod hi, qui ſunt in „ Romana Curia, præter excluſos, & ſuſpectos revertantur in Regnum: ſin autem, bona eorum infiſcentur, nec „ permittant poſt citationem reverti. Excipiuntur qui ſunt „ cum Cardinali Thoma, & cum Joanne de Capua Notario Papæ; item illorum Clericorum, qui de Regno non „ ſunt, bona, & beneficia, quæ habeant in Regno, infiſcanda ſunt; item quod nulli permittatur ad Romanam „ Curiam accedere ſine ſpeciali mandato Magiſtri Juſtitia-

„ rii;

„ rii; & qui acceſſerint, non permittantur redire ſine mandato Curiæ; item quod ſtatuantur exploratores, ne quis „ maſculus vel fœmina intrando Regnum portet Papales „ literas contra Cæſarem; item ut qui inventus fuerit con„ tra Cæſarem illas portantem, ultimo ſupplicio puniatur „ ſuſpenſus, & ſi portaverit literas de credentia, cogatur „ confiteri modum, & tenorem credentiæ. Et ſi confeſſio „ lædit Principem, eodem judicio puniatur ſive Clericus „ ſive Laicus fuerit.

Eodem menſe Junio Sanctagaten. & Calven. Epiſcopi Romam vadunt, miſſi ab Imperatore ad Cardinales, ſed a Papa repulſi in Regnum ſine effectu redeunt.

Civitas Tarviſii per Alterium de Romano, & Erolinum de Camino rebellat Imperatori.

Eodem menſe iterum alii, qui remanſerant Monachi de Caſinen. Monaſterio excluduntur, quatenus ſimul cum primis excluſis morari apud Vallem-lucis proviſum eſt, paucis admodum in Monaſterio remanentibus.

Menſe Julii Ravenna rebellatur Imperatori, quam Veneti recipiunt, & tuentur.

Eo menſe homines terræ Monaſterii, mandante Imperatore, abſenti Caſinen. Abbati, & Ser. in ſuo ſervitio commoranti per ſuam vitam aſſecurant, & membra.

Gregorius Papa de Urbe venit Anagniam.

Imperator de gratia conceſſit dicto Caſinen. Abbati, ut tam Monaſt. Caſinen. quam omnes Monachi, & cellæ ejus a generali, quod ab aliis exigitur Eccleſiis Regni, adjutorio eſſent immunes.

Eodem menſe tertia fit excluſio Monachorum de Monaſterio Caſinen. quorum quidam apud Vallem-lucis, quidam apud S. Petrum Monaſterii, & quidam moram facere in parentum domibus elegerunt, & in ipſo Monaſterio non niſi octo tantum Monachi ad celebrandum in eo divina officia remanſerunt, quorum nomina ſunt hæc, Frater Raimundus de Septemfratribus Vicedecanus, Fr. Seniorectus, Fr.

Digitized by Google

Fr. Robertus de Ora, Fr. Joannes Carolus, Frater Guillelmus de Pignataro, Frater Joannes de Marotta, & Frater Matthæus de Miniano.

Romæ apud Lateranum obiit R. . . . .

Epiſcopus Venafranus.

Eodem menſe Julii Imperator cum ſuo exercitu cepit in Epiſcopatu Bononien. caſtrum quoddam foſſatis, & aquis munitum, quod Plumacium vocabatur, quod totum igne crematum eſt, atque principales eorum, qui intus ſteterunt, ignis cremavit, & fere quingentos, qui evaſerunt ignis incendium, Imperator duxit captivos.

Romæ cecidit turris Cartellariorum.

Menſe Aug. Rex Navariæ cum copioſo Cruceſignatorum exercitu de Marſilia in Terram-Sanctam navigio transfretat.

In vigilia Aſſumptionis B. Mariæ Imperator in Epiſcopatu Bononien. cepit caſtrum Crepacor. quod igne crematum eſt, & nonnulli eorum, qui intus ſteterunt, evaſerunt, & pro majori parte ſunt ducti captivi.

Apud Anagniam Thomas Capuanus Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis 10. Septembris obiit, unde verſus:

In feſto, Magni feſtum, Thomas, perit Agni
Donatur Magno caro marcida, ſpiritus Agno.

Eodem menſe Aug. Henricus de Morro, Magiſter Juſtitiarius vocatus ab Imperatore, ad ipſum in Lombardiam per mare vadit, Imperator revocatus a Civitatibus, & Magiſtratibus Lombardiæ partem ſuam faventibus divertit ab Epiſcopatu, & depopulatione Bononiæ, & ad depopulandum in exterioribus Mediolanum accedit, cui Mediolanenſes ex civitate per octo fere milliaria obvios ſe opponunt. Imperator tamen cum invadere ipſos non poſſet, aut facere in eos inſultum, moram pertrahens in Epiſcopatu Mediolanen. per duos fere menſes Septemb. & Oct. & depopulatione facta non modica in extrinſecis diſceſſit ab inde, & ad devaſtationem pontis Placentiæ cum exercitu ſuo accedit.

Menſe Septemb. Juſtitiarii omnes, & Caſtellani Regno mutantur, & amoto Taſſuro de Capua de Rocca Janulæ Caſtellano, qui etiam curam agebat Montis Caſini, & Pontiscurvi, ſubſtituitur illi quidam Guillelmus de Spinoſa in Rocca Janulæ Caſtellanus, & in Caſino quidam Jordanus de Calabria ordinatur. Et amoto a Juſtitiariatu Terræ-Laboris Guillelmo-de Sancto Fraimundo, Ricchardus de Monte-nigro ſubſtitutus eſt illi. Barones, & milites infeudati de Regno per juſtitiarios ſingulos, ut ſe in equis, & armis præparent, ſummonentur.

Bononienſes poſt diſceſſum Imperatoris ab Epiſcopatu Bonienſi euntes temere ſuper Mutinam, quod Imperatori favebat, a Comite Simone Theat. & Parmenſibus devicti ſunt in campo, & nonnulli eorum capti ſunt, ac nonnulli gladiis interempti, & nonnulli amne ſubmerſi.

Henricus Rex Galluræ naturalis filius Imperatoris in Marchiam Aconitanam venit, contra quem mittitur a Gregorio Papa Joannes de Columna Cardinalis, menſe Octob. . . . . Præneſtinus Epiſcopus legatus a Papa ad Principes mittitur Orientis, qui in ſpecie Peregrini cum uno tantum ſocio per terram uſque Januam vadit, & in navigio transferavit.

Menſe eodem Andreas de Cicala a Porta Roſeti uſque ad fines Regni per Imperatorem Capitaneus conſtituitur. Ingeniaque Biddæ, Dominus, & Manganelli fiunt, Imperatore mandante, ad defenſam Roccæ Janulæ, & Caſini, propter quod & homines terræ Monaſterii ad incidenda lignamina ipſis machinis opportuna, & boves ad ea deferenda non modice ſunt gravati.

Roffridus Theanen. Epiſcopus apud Cornetum obiit.

Menſe Novembri Gregorius Papa de Anagnia redit ad Urbem, ubi a Romanis omnibus honorifice receptus eſt, in Octavis B. Martini ſententiam latam in Imperatorem confirmat, & excommunicat Henricum naturalem filium ejus, & omnes ſequaces eorum pro eo, quod Marchiam, quam juris eſſe dicebat Eccleſiæ, hoſtiliter eſt ingreſſus.

Men-

Digitized by Google

Menſe Decemb. Imperator apud Piſas Natale Domini celebrat. Quidam Frater Helias, qui in Eccleſia S. Franciſci apud Aſſiſium Magiſter Ordinis Fratrum Minorum extiterat, pro eo quod apud Gregorium Papam delatus a Fratribus quod male adminiſtraſſet, cum eum Papa ab adminiſtratione removerit: in odium Papæ Imperatori adhæſit. Vigiles de nocte per Richardum de Monte-nigro Juſtitiarium in Principatu Capuæ ſtatuti ſunt.

MCCXL. Menſe Januario per prædictum Capitaneum generalis collecta exigitur, Imperatore mandante, & tunc viſitatores caſtrorum per Regnum conſtituuntur, per quos de fidelibus deputati ſunt aliqui, qui caſtra Imperialia viſitent ſemel in hebdomata, & tam de factis Caſtellanorum, quam de numero ſervientium diligenter iniquirant ſimiliter, & defectu eorum.

Menſe Feb. per eundem Capitaneum per totum Regnum fit inquiſitio generalis contra impoſitores, & collectores collectæ Imperialis anni præteriti, ut de ſua malitia pro meritis puniantur. Imperator venit Fulignum, ubi magnifice a civibus receptus eſt. Appellum, & Coction. venerunt ad ſuum mandatum: recipit tunc etiam Viterbium.

Eodem menſe Februarii Ortam, Civitatem-Caſtellanam Cornetum, Sutrum, Montem-Flaſconem, & Tuſcanellam . . . . Imperatrix cum Richardo Panormitano Archiepiſcopo in Regnum venit.

Stella cometes apparuit.

Menſe Martii Imperator, relicto Capitaneo apud Viterbium comite Simone Theatino cum exercitu ſuo, & in Marchia naturali filio ſuo Henrico Rege Galluræ, cum his, qui de Regno ſecum in Lombardia fuerant, redit in Regnum, tunc Stephano Caſinen. Abbate ad terram Monaſterii redeunte.

Menſe Aprilis Imperator apud Fogiam Colloquium celebrat generale. Specialis collecta a Clericis Regni pro beneficiis Eccleſiaſticis exigitur.

Digitized by Google

Eodem menſe filius Regis Caſtiliæ ad Imperatorem apud Fogiam venit.

In S. Germano Magiſter Joannes Archipresbyter terræ ejuſdem, & Magiſter Petrus frater ejus juſſu Imperatoris per Philippum de Suriento militem Capuanum, & per quemdam Judicem majorem capti ſunt, & eorum ſunt mobilia infiſcata, immobilia vero omnia annotata. Civitas Ferrariæ a civitatibus Lombardiæ Imperatori contrariis, necnon & a Venetis impugnatur, & obſidetur per terram, & aquam, in qua pro Imperatore erat quidam Azolinus. Imperator a ſuis officialibus certam exigit pecuniæ quantitatem.

Menſe Maji Imperator congregato exercitu de Apulia venit Capuam, &, ipſo mandante, Beneventum in exterioribus devaſtatur.

Menſe Junio Imper. cum exercitu ſuo, quem de Regno collegerat, venit ad Sanctum Germanum, ubi per ſex dies moram pertrahens, e veſtigio per Agnum tranſitum faciens, & ſecum ducens Pandulphum Dominum Agni, apud Inſulam Pontis-Salarati poſuit caſtra ſua, Campaniam intrare diſponens, quam non intravit uſus conſilio ſaniori, ſed per Soram, & Marchiam direxit in Anconæ Marchiam greſſus ſuos.

Eodem menſe Thomas Moliſii Comes apud Spoletum, quod ſe pro Papa tenebat, cum ducentis militibus a Papa dirigitur. Henricus Rex Imperatoris filius tentus in Rocca Sancti Felicis in Apulia in Calabriam cuſtodiendus apud Neocaſtrum juſſu patris dirigitur, & exinde apud Marcoranum miſſus eſt.

Menſe Julio per totum Regnum, juſſu Imperatoris, ab his omnibus, quibus per officiales ſuos aliqua fuere commiſſa officia, certa exigitur pecuniæ quantitas. Et tunc quidam de S. Germano per quemdam Octavianum ſimiliter taxati fuerunt in 200. unc. auri.

Stephanus Caſinen. Abbas movens de Sancto Germano ad Im-

Digitized by Google

ad Imperatorem, qui erat in obſidione Aſculi, in Marchiam vadit.

Eodem menſe juſſu Capitanei in Sancto Germano certus militum numerus congregatus, tunc amoto de Rocca Janulæ Guillelmo de Spinoſa Caſtellano quidam Joannes de Trentenar. per Imperatorem eſt ſtatutus in ea. Imperator caſtra ſua movens ab Aſculo proceſſit verſus civitatem Firmanam, a quo Stephanus Caſinenſis Abbas cum ipſius licentia diſcedens infirmus, ad Eccleſiam ſuam S. Liberatoris ſe contulit, ubi donec convaluit moram fecit. Eo menſe captus eſt juſſu Imperatoris Magiſter Raimundus de Caira.

Menſe Auguſti civitas Beneventana obſidetur juſſu Imperatoris. Ipſe vero civitatem Faventiam arctat, & obſidet.

Menſe Septembris galeæ Venetiæ diſcurrentes per Regnum in odium Imperatoris, Termulas, Veſtam, & quaſdam alias Apuliæ terras capientes deſtruxerunt, & bonis omnibus ſpoliarunt. Apud Brunduſium euntes prædictæ galeæ navem quamdam redeuntem ab Jeroſolymis, cum non poſſent capere vi, igne cremarunt. Milites, qui ſteterant in S. Germano, ad Imperatorem vadunt apud Faventiam, ex eis quibuſdam in propria recedentibus.

Menſe Octobris galeæ ipſæ multis onuſtæ ſpoliis in ſua redeunt.

Menſe Novembris Fratres Prædicatores, & Minores omnes de regno exeunt, Imperatore mandante, duobus tantum relictis, qui ſint de Regno nativi in ſingulis quibuſque illorum domibus ad cuſtodiam earundem.

MCCXLI. Menſe Januario per totum Regnum generalis collecta exigitur. Joannes Columna Cardinalis discors factus cum Gregorio Papa in parte cedit Imperatoris, & Laguſtam in Urbe, & extra Urbem alia caſtra ſua firmari jubet.

Menſe Februarii, Imperatore mandante, per totam Regni maritimam juxta curſum galeæ armantur.

Menſe

Menſe Martio milites, & pedites ad defenſam & cuſtodiam maritimæ ubique per Regnum ire jubentur.

Eodem menſe, galeæ prædictæ verſus Piſas vadunt.

Menſe Aprilis civitas Beneventana, quæ Romanæ Eccleſiæ ſuberat, arctata, & neceſſitate compulſa Imperatori ſe reddit, cujus mœnia Imperatoris juſſu funditus evertuntur, & turres civitatis ejusdem uſque ad ſolarum. Arma hominum civitatis ipſius ad opus recipiuntur Imperatoris.

Eodem menſe Faventia per annum obſeſſa, & arctata ab Imperatore venit ad mandatum ipſius, ſalvis perſonis, & rebus hominum civitatis ejusdem; in qua poſtea Imperator ipſe fieri munitionem mandat.

Menſe Maji in feſto inventionis Sanctæ Crucis galeæ Imperiales cum galeis Januenſium conflictum habentes nonnullos Prælatos occidentales, qui erant in eis, habita victoria de Januenſibus, ceperunt, & duxerunt apud Piſam captivos cum duobus Legatis, Præneſtino ſcilicet Epiſcopo, & Oddone S. Nicolai in Carcere Tulliano Diac. Card. de quorum mandato veniebant ad Papam. Inter quos fuerunt Ciſtercienſis, & Clarævallenſis Abbates, necnon Rotomagen. Archiepiſcopus, & alii, quos ignoro. De galeis quoque Januenſium captæ ſunt ultra 20. & nonnulli Januenſes in eis, & quamplures ſunt ob metus cauſam in mari ſubmerſi, qui omnes poſtea, Imperatore mandante, tam Prælati, quam alii cum Legatis ipſis in Regnum apud Neapolim per mare in captionem ducti ſunt, & in cuſtodiam per Regni Caſtella transmiſi. Milites, & pedites nonnulli apud Agnum, & apud S. Germanum conveniunt ad Regni cuſtodiam.

Menſe Junio Prælati de Regno vocati ab Andrea de Cicala Capitaneo, & Magiſtro Juſtitiario apud Melfiam apud eum vadunt, a quibus Theſauri Eccleſiarum ſuarum tam in auro & argento, quam veſtibus ſericis, & lapidibus pretioſis in commodato pro Principe exiguntur,

Imperator diſcedens a Faventia venit Fanum, quam circum-

Digitized by Google

cumpoſita obſidione cum flectere ad ſua vota non poſſet, in exterioribus vaſtat, & diſcedens invadit Spoletum, quod recipit ad mandatum ſuum. Aſſiſii civitatem ſibi renitentem ſimiliter vaſtat exterius.

Eodem menſe fama de Tartaris ad Imperatorem pervenit, quod jam victo Rege Ungariæ eſſent in foribus Alemanniæ, & ipſe Rex Ungariæ ſignificavit eidem Imperatori per Guacien. Epiſcopum Legatum ſuum, & per literas ſuas, per quas ſe ipſum, & Regnum ſuum Ungariæ ſuæ promittit ſubjicere ditioni, dummodo per ipſum Imperatorem ab ipſis Tartaris protectionis ſuæ munimine defendatur, & ob hanc cauſam Imperator metuens Chriſtianitatis excidium, ut componat cum Papa Gregorio verſus Urbem dirigit feſtinanter greſſus ſuos, & tunc propter hoc generales mittit literas ad univerſos Principes Occidentis, quarum tenor talis eſt.

Illuſtri Regi Francorum tamquam fratri ſuo Fridericus, &c. Perfectæ ſolicitudinis zelus, quos ſicut Pater Imperii ſtatum ejusdem diligere cogimur, &c. & tueri propenſius nos inducit non tam manifeſta pericula, quam ſuſpecta vereri, &c. per quas literas Principes ipſos animat, & hortatur ad fidei Chriſtianæ defenſionem, & Eccleſiæ Sanctæ ſuccurſum. eodem Menſe Imperator veniens apud Interamnen. civitatem ipſam recipit ad mandatum ſuum.

Menſe Julio Imperator venit Narniam, quam ſibi renitentem invenit, propter quod, facta in exterioribus vaſtitate, inde diſceſſit, & verſus Reate concito vadit, quam ſibi ſimiliter reſiſtentem invenit, & tunc Imperator vocatus a Joanne de Columna Cardinale feſtinat ad Urbem.

Eodem menſe Andreas de Cicala Capitaneus juſſu Imperatoris captivos legatos, & alios transferri de Neapoli Salernum facit per Richardum de Monte-nigro Juſtitiarium Terræ-Laboris, & ipſe Capitaneus vocatus ad Imperatorem vadit, a quo rediens per totum Regnum certum exigit numerum militum, & ſervientium, & omnes theſauros Eccle-

Digitized by Google

cleſiarum ſuæ jurisdictionis apud Sanctum Germanum congregari jubet.

Joannes de Columna Cardinalis diſcors a Papa diſcedit, ſeque confert in Præneſtum, Monticellum, & Pontem-Lucanum contra Romanos recepit in odium Papæ, ad quem Imperator milites, & ſervientes de Regno mittit.

Matthæus Ruſſus per Gregorium Papam Senator efficitur, qui apud Laguſtam, quam Joannes de Columna firmaverat & tenebat; per ſuos obſidionem ponit.

Menſe Auguſto Imperator recipit civitatem Tiburtinam, & exinde verſus Urbem vadit, & tunc Caſtrum quod dicitur Mons-Albanus, quod erat Sancti Pauli de Urbe, vi cepit; & igne conſumpſit: caſtra etiam quædam Farſen. Monaſterii occupat, & devaſtat. Burgum novum deſertum incolis igne crematur, & apud Cryptam-ferratam ponit caſtra ſua, & in exterioribus Urbem devaſtat. Et tunc de Gregorio Papa, quod obierit Romæ 21. Auguſti, pro certo accepit, de cujus licentia Cardinales omnes, qui extra Urbem fuerant, pro electione Papæ facienda ad Urbem redeunt.

Eodem menſe juſſu Imperatores vaſtatores de Regno apud Inſulam Pontis Salarati, & apud Sanctum Joannem de Incarico, ut intrarent Campaniam congregantur. Cardinales, qui in Urbe ad Papæ electionem convenerant, per Senatorem, & Romanos apud Septiſolium includuntur, ut ad creandum Papam inviti procedant.

Matthæus Ruffus Urbis Senator Lauguſtam Romanorum obtinuit: theſauri omnes Eccleſiarum Regni Capitaneo juſſu Andreæ de Cicala a porta Roſeti, uſque ad fines Regni capiuntur, ii apud Sanctum Germanum in Eccleſia Sanctæ Mariæ terræ ejusdem congregantur, & reponuntur, quorum cuſtodiæ deputati ſunt IV. de ditioribus, & melioribus hominibus ipſius terræ, & tunc tabula aurea, quæ ante Altare B. Benedicti ad ornatum diu ſteterat, & altera tabula argentea Altaris Beatæ Mariæ, & Icona cum ſmal-

Digitized by Google

ſmaltis, quæ ſuper Altare fuerat Sancti Benedicti, & omnis alius theſaurus ipſius Monaſterii, in auro, argento, pannis ſericis, & lapidibus pretioſis, necnon & aliarum Eccleſiarum terræ Monaſterii ad Sanctum Germanum in prædicta Eccleſia Sanctæ Mariæ portatur, & deponitur, cujus theſauri capti ab Eccleſiis Regni pars pretio redimitur, & pars reliqua apud Sanctam Mariam de Crypta-ferrata ad Principem deputatur.

Præneſtinus Epiſcopus, & Oddo Cardinalis cum Magiſtro Joanne Toletano ſub Ducatu Thiboldi de Dragone, apud Tiburim ducuntur.

Menſe Septembris vaſtatores apud Inſulam congregati mandato Cæſaris in propria redeunt.

Imperator, relictis apud Tiburim ſub cuſtodia ſuorum, quos ad tuitionem & defenſam civitatis ipſius reliquerat, Epiſcopo, & Cardinale prædictis, per Campaniam redit in Regnum, & veniens apud Inſulam Salaratam, civitatem novam in fronte Ceperani conſtrui jubet, ad cujus civitatis fundationem ſtatuit Dominum Richardum de Monte-Nigro, Terræ-Laboris Juſtitiarium, & mandat, ut homines arcis Sancti Joannis de Incarico, Inſulæ Pontis Salarati, & Paſtinæ illuc ire ad habitandum cogantur. Statuit inſuper, ut ad opus civitatis ejuſdem venire debeat certa quantitas hominum de Abbatia Caſinen., Abbatia Sancti Vincentii de Vulturno, Comitatu Fund. Comino, & Comitatu Moliſii per hebdomadam, & tunc recto tramite per Sanctum Germanum, & Beneventum in Apuliam vadit, mandans, ut theſauri Eccleſiarum ad ipſum apud Fogiam deferantur.

Menſe Oct. Goffridus Mediolan. in Cœleſtinum Pap. eligitur.

Eodem menſe theſauri Eccleſiarum apud Fogiam per eos de S. Germano, qui eorum fuerant cuſtodiæ deputati, mandante Cæſare, deferuntur, excepta tabula Altaris Sancti Benedicti, & ut redimi debeant a Prælatis ſingulis, & Eccleſiis, quarum erat pro certa pecuniæ quantitate ab Im-

peratore mandatum: his diebus jubetur a Cæſare, ut nullus de Regno equos aut arma vendere vel trahere extra Regnum præſumat.

Inquiſitio fit in S. Germano de Medicis, qui mederi auſi ſunt, & in tota Abbatia niſi de licentia Imperialis Curiæ, & per eam fuerint approbati.

Civitas Accon rebellat Imperatori.

Menſe Novembris Cœleſtinus Papa Romæ apud Sanctum Petrum obiit, & de Cardinalibus quidam, eo inſepulto, de Urbe fugerunt, & contulerunt ſe Anagniam.

Menſe Decembris Imperatrix apud Fogiam obiit, & apud Andriam ſepelitur.

MCCXLII. Menſe Januario generalis collecta per totum Regnum exigitur, de qua tertia pars remittitur, ſicut anno præterito. Inquiſitiones fiunt ubique per Regnum contra infideles inventos tempore turbationis, contra forbanitos, & forjudicatos, contra aleatores, prohibita arma portantes, & ſuper multis aliis articulis.

Menſe Februarii Richardus de Monte-nigro a Juſtitiariatu Terræ-Laboris amovetur, & Giſulphus de Mannia ſubſtituitur illi: turres civitatis Barri quæ erant in civitat. Imperator dirui jubet. Biſcottum fieri jubet per loca maritima, & loca alia pro fodro 150. galearum, & 20. navium, quas armari mandat ſuper Piſanos, & Venetos: ad Romanam Curiam Magiſtrum domus Theutonicorum creatum noviter Archiepiſcopum Barenſem, & Magiſtrum Rogerium Porcaſtrellum pro pace Legatos mittit.

Patriarcha Aquilejenſis pro facto Tartarorum ad eum venit.

Eodem menſe Henricus primogenitus Imperatoris tentus apud Martoranum naturali morte defungitur, pro cujus exequiis celebrandis Imperator ad omnes Regni Prælatos ſuas dirigit literas in hac forma. *Fridericus, &c. Abbati Caſin. &c. Miniſterio pii Patris ſeveri Judicis exuperante judicium, Henrici primogeniti noſtri fatum lugere compellimur lacry-*

Digitized by Google

lacrymarum ab intimis elicente natura diluvium, quas offenſæ dolor, & juſtitiæ rigor intrinſecus obfirmabat. Mirabuntur forſitan dixi Patres Januenſes publicis hoſtibus Cæſarem dolore domeſtico potuiſſe convinci ſubſtitutus eſt tam cujuslibet Principis animum quantumvis rigidus noſtro durante Imperio, qui dum vices ſuas exercet in quemlibet, leges, & Cæſarem non agnoſcit: fatemur, quod qui vivi Regis ſuperbia prolecti, nequimus ſcimus ejuſdem filii noſtri caſu convicti ſumus, tamen eorum, nec primi, nec ultimi qui detrimenta pertulerunt transgredientium filiorum, & nihilominus illorum funera deplorarunt (*); *luxit namque David triduo primogenitum Abſalonem, & in Pompeji ſui cineres generi fortunam, & animam ſoceri perſequentis, magnificus ille Julius primus Cæſar primæ pietatis effectum, & lacrymas non negavit; nec dolor acerrimus ex transgreſſione conceptus eſt efficax parentibus medicina doloris, quod in obitu filiorum natura pungente non deleatur contra naturam a filiis, licet irreverenter, &c. offenſi. Nolentes igitur Nos, & non valentes circa prædicti filii noſtri funus omittere, quæ ſunt Patris, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus per totam Abbatiam cunctis Clericis, & cæteris fidelibus noſtris injungas, ut ejus exequias omni cum devotione ſolemniter celebrantes animam ejus cum declaratione Miſſarum, & aliis Eccleſiaſticis Sacramentis divinæ Miſſæ raccomendent manifeſtis inditiis ordinatis, quod ſicut in gaudiorum noſtrorum tripudiis exultant hilariter, ſic & doloribus noſtris condolere fideliter videantur, &c.*

Menſe Martio Juſtitiarii remoti a ſuis officiis apud Fogiam ab Imperatore vocantur, & tunc Richardus de Monte-Fuſculo, qui fuerat Juſtitiarius Capitaniatæ, cogitur reddere rationem, & tam contra ipſum, quam contra alios fit inquiſitio Imperatore mandante.

 Eo-

(*) Locum hunc mire vitiatum ſola conjectura reſtituere noluimus.

Eodem menſe Thomas de Monte-nigro apud Tiburim Capitaneus ab Imperatore dirigitur.

Menſe Aprilis Præneſtinus Epiſcopus, & Oddo Cardinalis de Regno apud Tiburim ſub ducatu Thiboldi de Dragun. mittuntur &c.

Brixien. Epiſcopus, & Bergamen. electus vocati ab Imperatore de Lombardia in Regnum veniunt, apud Sanctum Germanum moram facere elegerunt, expectantes ibidem Imperatoris adventum.

Menſe Maji Andreas de Cicala Regni Capitaneus juſſu Cæſaris congregato exercitu tam militum, quam ſervientium de Regno ſuper Reate vadit, quam exterius totam devaſtat. Dux Spoleti pro parte Imperatoris ſuper Narniam vadit, & quam poteſt facit in exterioribus vaſtitatem. Denarii novi dantur in Sancto Germano.

Romani ſuper Tiburim vadunt, & illam in olivis, vitibus, & aliis comedibilibus devaſtant.

Eodem menſe exercitus Imperialis de Marchia vadit ſuper Aſculum, & ipſam civitatem obſidet exterius, & devaſtat.

Mediolanenſes, & Brixienſes cum eorum complicibus, qui ſunt eis adverſarii, & qui partem favent Imperatoris, hoſtiliter impugnant caſtrum quoddam; quod Iſeus Frater de Epiſcopatu Brixien. vi obtinet, & recipiunt ad mandatum ſuum.

Reginus, & Thaurinus de Lombardia Epiſcopi ad Imperatorem in Apuliam vadunt. Homines Demanii ubicumque inventi per Abbatem Caſinenſem revocantur, & compelluntur de mandato Principis ire ad habitandum ad Civitatem-novam.

Menſe Junio Aſculum ſe reddit, & venit ad mandatum Imperatoris.

Thomas Comes Acerrarum Capitaneus in Syriam transfretat.

Ber-

Digitized by Google

Bernardus Comes Manupelli juſſu Principis in Sardiniam vadit.

Patriarcha Aquilejen. qui pro facto Tartarorum ad Imperatorum venerat, licentiatus ab eo in ſua recedit. Imperator ipſe de Apulia tunc venit Capuam, & inde per Sanctum Germanum, & per Agnum tranſiens vadit ad Civitatem-novam, ubi per dies aliquot moram faciens, verſus Soram vadit, & inde procedit in Marchiam, ubi apud Avezanum per totum ipſum menſem Junii moratus eſt. Et menſe Julii congregato exercitu copioſo ſuper Urbem vadit, & hoſtilem faciens in exterioribus vaſtationem, menſe Auguſto in Regnum reverſus eſt.

Eo menſe Oddo Card. liberatur, & Epiſcopus Praeneſtinus cum Magiſtro Joanne Toletano reducti a Tibure in Roccam Jani, quae eſt ſuper Sanctum Germanum, ſervandi traduntur Philippo de Sancto Magno tunc Caſtellano, duobus poſtmodum Baronibus ad eorum cuſtodiam deputatis.

Eo menſe Imperator ante receſſum ab obſidione Urbis ſtatuam hominis aeream, & vaccam aeream ſimiliter, quae diu ſteterant apud Sanctam Mariam de Crypta-ferrata, & aquam per ſua foramina artificioſe fundebat, in Regnum, apud Luceriam Apuliae civitatem, ubi Saraceni degebant, portari jubet.

Menſe Septembris Comes Toloſanus apud Melfiam in Apulia ad Imperatorem venit, qui per totam hyemem fuit in Regno. Hoc anno Henricus de Morro Magiſter quondam Juſtitiarius in Apulia naturali morte defecit.

MCCXLIII. Menſe Januarii collecta per totum Regnum exigitur.

Menſe Febr. milites omnes, qui ſervire tenentur, jubentur ex parte Caeſaris in equis, & armis bene parari, ut ire debeant in Kal. Apr. primo futur. ad ſervitium ſuum.

Menſe Aprilis Imperator de Apulia congregato exercitu venit in Terram-Laboris, ad quem ſubmoniti milites in equis,

equis, & armis omnes conveniunt, nec non & certus numerus de qualibet terra de Regno, qui menſe Maji de Capua movens & per Sanctum Germanum tranſitum habens, mox per Agnum apud Flagellam ſe contulit, ubi faciens aliquandiu moram, inde per Campaniam ſuper flumen Ceperani tranſitum habens ſuper Urbem vadit, ubi turres nonnullas funditus fecit everti, faciens in aliis etiam quam potuit vaſtitatem, & tunc ad preces Cardinalium ab Urbe diſcedens, eſt reverſus in Regnum.

Eo menſe Prænestinus Epiſcopus, Imperatore mandante, liberatus eſt, apud Anagniam ad Cardinales cum honore remiſſus.

Menſe Junio Sinibaldus Titulo Sancti Laurentii in Lucina Cardinalis apud Anagniam in Papam Innocentium creatus eſt, voluntate & conſenſu omnium Cardinalium; quo audito Imperator, qui tunc erat Melfiæ, ubique per Regnum laudes juſſit Domino debitas decantari.

Menſe Julii Imperator ad Papam mittit apud Anagniam Bernardum Panormitanum Archiepiſcopum, Magiſtrum Petrum de Vinea, & Magiſtrum Thaddæum de Sueſſa pro bono pacis, a quo benigne ſatis recepti ſunt, & benignum ad Principem retulerunt reſponſum.

Eodem menſe diſcurſus Siderum de nocte viſus eſt in Feſto Sancti Jacobi, ita ut unum contra alterum quaſi hoſtem inſurgerent, & inter ſe hoſtiliter dimicarent. Tunc civitas Viterbii, pertractante Magiſtro Raimundo Cardinali, venit ad mandatum Eccleſiæ, menſe Auguſto, Comite Simone Theatino pro Imperatore ſe tenente in ea, quo audito Imperator mox ſine moræ periculo, ſe perſonaliter contulit menſe Septembris ad ſuccurſum prædicti Comitis, & ad recuperationem civitatis ipſius, qui congregato exercitu copioſo obſedit eam, & ſtatutis machinis, tam minis, quam viribus dire ſatis impugnavit eamdem, qui cum in nullo proficeret, recepto, & libero dimiſſo Comite prædicto, & ſuis, qui cum eo erant, ab obſidione receſſit, & inde

Digitized by Google

inde Groſſetum ſe contulit, ubi quaſdam edidit ſanctiones contra Judices, Advocatos, & Notarios, quas per totum Regnum publicari præcepit, & tenaciter obſervari, quarum initium tale eſt: *Nihil veterum authoritati detrahitur*, &c.

Menſe Septembri &c. Comes Toloſanus de Apulia venit ad S. Germanum, ibique moram protrahens ire verſus Agnum, & poſtea apud S. Vitum de Melfia ſe contulit, ibique per dies aliquot venationem exercuit.

Menſe Octob. circa Feſtum omnium Sanctorum Innocentius Papa Urbem intrat, cum honore Senatus, Populique Romani magno receptus, ad quem dictus Comes vadit, tractans inter ipſum & Imperatorem bonum pacis.

Finis Chronici Richardi de S. Germano.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO
ANDREÆ DE S. CRUCE.

Digitized by Google

IN ORATIONEM

ANDREÆ DE S. CRUCE

COMMENTARIUS PRÆVIUS

ALEXII AURELII PELLICCIA.

ORationem hanc, hactenus in Archivorum latebris delitescentem, publici juris facimus ex Codice Membranaceo autographo optimis caracteribus concinne exarato, quem apud nos ſervamus; cum haud parum luminis ex illa in Neapolitani Regni Hiſtoriam, Regumque Siciliæ citra Pharum ſucceſſionem derivari queat. Quamobrem operæ pretium duximus, nonnulla in anteceſſum præfari, ut lectori viam ſternamus iis expendendis, quæ paſſim in Oratione illa ſcitu digniora videntur.

Norunt philohiſtorici magnas exarſiſſe contentiones inter Andegavienſis ducatus Principes, & Alphonſum, atque Ferdinandum Aragonienſes de Regni hujus Siciliæ citra pharum ſucceſſione. Lis primo judiciorum controverſiis agitata, tandem armis definita eſt. Quamobrem cum Æneas Piccolomineus Anno MCCCCLVIII. in Romanum Pontificem electus fuiſſet, atque ſequenti anno MCCCCLIX. Mantuæ Concilium indixiſſet, Andegaviæ Dux de controverſa ſucceſſione litem eò ad Pontificem deferre per Oratores ſtuduit, ratus e re Pii II. eſſe Andagavienſium partes ſectare. Eo ſane in Concilio duo præſertim ſpectabat Pontifex, unum, ut Ludovico Galliarum Regi Pragmaticæ *Sanctionis* abrogationem ſuaderet, cujus voti compos plane fuit; alterum ut Chriſtianis Principibus, ac præſertim Galliarum illis de gerendo adverſus Turcas bello auctor eſſet. Hinc Andegaviæ Dux ſuos ad Concilium illud miſit oratores, ut propria jura Pontifici exponerent, quem in ſuas nullo ne-

Digitized by Google

gotio partes deflectere putabat, ſpe facilius Ludovici Galliarum Regis animum alliciendi, quo ad optatam Pragmaticæ illius abrogationem deveniret. Hæc cum intellexiſſet Ferdinandus, qui undecima Februarii die ejusdem anni MCCCCLIX. Regia corona redimitus fuerat a Cardinale Latino Urſino, ejusdem Pii II. Legato, ad Mantuanam Dietam miſit Andream de S. Cruce, e Regiis oratoribus unum, qui eò orationem hanc recitavit, qua luculente jura Ferdinandi contra Andegaviæ Ducem adeo tutatus eſt, ut Pontifex, quamquam a Galliarum Rege, qui ex eadem gente erat, voti compos factus fuiſſet, nihilominus Ferdinandi partes ſecutus ſit, eique non modo verbis, judiciiſque, ſed & conatu omni ſuppetias tulerit, ipſo etiam Epiri Rege Schanderbergo (cui equidem antea Alphonſus in bello contra Turcas copias in auxilium e Neapolitano Regno miſerat) in Ferdinandi ſubſidium enixis precibus accito, cujus ope Ferdinandus, pulſo Andegaviæ Duce, qui armis maxima Regni parte potitus fuerat, hoſtem penitus devicit.

Hæc itaque Oratio magni profecto facienda eſt vel ex eo, quod coram Pontifice Romano, Cardinalibus, atque omnium fere Chriſtianorum Principum Oratoribus fuerit recitata; atque, quod primum eſt, optatum finem ſit conſecuta. Quare nemo inficias ibit omnem omnino fidem hiſtoricis monumentis, quæ continet, adjiciendam eſſe, in iis potiſſimum tum quæ ſucceſſionis jura, tum quæ controverſias Romanum inter, & Neapolitanum Regnum ſpectant; nemo enim ſanæ mentis in dubium ea revocaverit, quæ Regis Orator, cui cordi maximopere erat Pontificis benevolentiam captare, ipſo coram Pontifice dixit: immo optatus rei exitus Orationis etiam veritatem magis magiſque confirmat. Qua quidem in re animadvertendum eſt, oratorem tempori ſerviiſſe iis præſertim in *articulis*, quorum dubitatio quin e re Ferdinandi foret, Pontificis Romani, cujus ope indigebat, animum abalienaſſent; quamobrem paſſim Orator Sici-

Siciliæ Regnum Romanæ Eccleſiæ feudum appellat, illudque jure directo ad eandem Eccleſiam omnino pertinere ſuadet: Ferdinandum ſiquidem imprimis inane jus illud Eccclеſiæ Romanæ ſartum, tectumque ſervare intererat, ut Pontificem vel ea ſaltem de cauſſa ad ſui defenſionem devinciret.

Atque ante omnia fatendum mihi eſt, de hujus Orationis auctore altum penes noſtrates ſilentium in cauſſa fuiſſe, quin de illius conditione aliquid aliud dicere poſſim præter ea, quæ ipſemet in Orationis epigraphe ſcripſit, fuiſſe nimirum *utriuſque juris Regium Doctorem*, & *Sacri Apoſtolici Conſiſtorii Advocatum*. Cognomen *de S. Cruce* undenam illi fuerit, hæret æqua; in eam ſane veni dubitationem, fuerit ne ille ex Judæo Chriſtianus, quandoquidem id genus homines ea ætate ejuſmodi cognomina accipere ſolerent, præſertim inter Hiſpanos, ut Hieronimus a S. Fide, Paulus a S. Maria, nonnullique alii clariores illius ævi Scriptores: At forte cum advocatus eſſet Conſiſtorialis, cognomen illud ex aliquo Beneficii titulo accipere potuit; vel tandem ſi Gallicana illum gente exortum velis, facile inter Gallos id genus cognomina tunc temporis invenies. Num autem Alphonſi, atque ejuſdem Ferdinandi Hiſtoriam, quam in præfatione Orationis pollicitus eſt, aliquando revera ſcripſerit, ignoramus; niſi forte opus illud, quemadmodum hactenus de Oratione iſta fuit, in aliquo chartarum involucris tegatur Archivo. Oratio autem hæc ſcripta videtur in ipſiſſimo membranaceo codice (ex quo illam evulgavimus) quem Ferdinando Regi ipſemet Andreas obtulit; id quod tum characterum elegantia, atque pro ea ætate nitor, tum imprimis Arma Ferdinandi, quæ in prima Orationis litera minio expreſſa viſuntur, plane teſtantur; quæ ſane fidem vel magis codici conciliare videntur. His autem generatim dictis tum de occaſione, atque natura hujus Orationis, tum de ipſomet Oratore, ad ea tandem expendenda hujus Orationis monumenta, quæ rerum

rum

Digitized by Google

rum noſtrarum ſpectant hiſtoriam, deveniamus.

Ac primo quidem ex Orationis hujus exordio intelligimus non unum dumtaxat Andegaviæ Ducem, Renatum nimirum, ſed & ipſum etiam Galliarum Regem Ludovicum XI. de Regni Siciliæ ſucceſſione pro Andegavia gente diſputaſſe. Jus ſane hoc ſucceſſionis Galliarum Reges veluti proprium habebant, quare mortuo tandem Ferdinando, Carolus VIII. Ludovici XI. filius, atque in Galliarum Regno ſucceſſor, antiquo fretus jure, armis, atque ope Neapolitanorum Dynaſtarum potiſſimam Regni partem in deditionem accepit. Merito itaque in Mantuana Dieta Oratores Ludovici XI., Galliarum Regis, jura Renati Ducis Andegavienſis tutati ſunt apud Pium II. Romanum Pontificem. Quamobrem Andreas *de S. Cruce* reſpondere ſe dicit: *ad ea, quæ per illuſtres Chriſtianiſſimi Principis Francorum, aliorumque Principum Galliarum* (quos inter potiſſimus erat Andegaviæ Dux) *oratores* contra jura Ferdinandi dicta fuerant. Primo itaque Orator haſce in Concilio intempeſtive delatas querelas oſtendit, in quo de expeditione Principum Chriſtianorum contra Turcas potiſſimum erat agendum; quæ quantum urgeret res ex eo oſtendit, quod, ut ait: *hoſtes fidei veniunt contra nos . . . unita potentia, quorum exercitus ſtrepitum audimus*. Ex quibus patet Turcarum arma imminere Chriſtianis Principibus. Id autem vel ex eo pertimuiſſe videntur, quod ſeptem ante annos jam Mahometes II. Turcarum Imperator Pera potitus, atque inde Conſtantinopolitanam Urbem aggreſſus, illam die XV. Maji igne ferroque vaſtaverat, Græcis omnibus, aliiſque, quos ea in Urbe invenit ad xxmillia Chriſtianorum interemtis. Heic autem animadvertendum, falli Spondanum, qui & ipſe a ſubleſtæ fidei græculo ſcriptore Phranze falſus ad Ann. 1453. narrat, Mahometem II. benevolo erga Græcos animo fuiſſe, Patriarcham delectum honoribus proſecutum eſſe, atque Chriſtianam Religionem mire foviſſe. Hæc porro ſi Spondanus cum Mantuani Concilii occaſione, atque hac, de

Digitized by Google

de qua ſermo nobis eſt, Orationis hujus periocha contuliſſet, Phranzeio omnem omnino fidem procul dubio denegaſſet. Qui enim Pius II. tam alacri ſtudio Mantuæ Concilium indixiſſet, ut ad Chriſtianos Turcarum ſervitute liberandos incenderet omnes, quot quot erant, Chriſtiani nominis Principes, ſi tanta reverentia ipſam Religionem, ejuſque aſſeclas proſecutus fuiſſet Turcarum Imperator? Quin itaque fidem græculo illo adjiciamus, merito ad hiſtoriæ veritatem intelligendam expendendus videtur Mantuani Concilii ſcopus, in quo (quemadmodum Pontifici, qui Concilio præerat, noſter Orator loquitur) Pius venerat, ut: *Devotiſſimos Chriſtianæ Religionis Principes conveniret, exortareturque, ut murum ſe facerent in die belli; ut uno ſpiritu, anima una, mutuaque caritate bellum contra fidei hoſtes inirent*. Ex hac itaque Orationis hujus ſententia plane intelligimus, non modo falſam eſſe de Mahometis II. pietate fabellam, a Phranzeio, ceteriſque pene omnibus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptoribus propinatam; immo, quod caritate monumentorum haſtenus omnes fugerat hiſtoricos, Turcas arma contra Chriſtianos Principes moviſſe in tantum, ut imminentem armorum vim noſtri metuerent: quemadmodum ex his, quæ eadem in oratione ſequuntur, manifeſte patet; ait enim Orator: *Veniunt* (Turcæ nimirum) *contra nos unita potentia, quorum exercitus ſtrepitum audimus, & utinam ſolum de propagandis finibus, tollendis ſedibus, hominum, natorumque noſtrorum ſervitutibus ageretur: ſed de Templis, de Sacramentis, de ſepulchris, de parentum oſſibus, de ymaginibus, de annalibus; de litteris, de legibus noſtris delendis, atque perdendis intendunt*. Audacior itaque faſtus Mahometes II. ob partam de Græcis victoriam, atque proſtrato cum Conſtantini Græcorum Imperatorum ultimi morte Græcorum Imperio, arma forte parabat, atque ipſos minabatur Occidentis Principes, ut Oratoris verba liquido teſtantur. Hæc prætereunda minime duxi, ut novo hoc ſynchrono monumento veritati

Digitized by Google

ritati hiſtoricæ præſto eſſem, quam perperam Hiſtorici obtruſerant, decepti auctoritate Phranzei, qui neſcio qua mente ſua profuderat malæ fidei elogia Mahometi II. Quid ai & Phranzeium ipſum inter græculos, qui, abjurata Religione, ad Mahometanos tranſiere, referas?

Ad noſtrarum vero rerum, quod pertinet, hiſtoriam, mirum nemini erit ea ætate inter Principes, qui undique Pontificis Romani benevolentiam captare ſtudebant, conveniſſe, Regnum Siciliæ citra phar. ab initio veluti Eccleſiæ feudum habitum fuiſſe. At memoratu dignæ videntur conditiones, quibus a Clemente IV. Siciliæ Regnum Carolo I. Andegavienſi traditum fuit, ut nimirum, verba ſunt Oratoris noſtri: *ſuis armis, & impenſa Manfredum ex Frederici jure venientem ex Regno eiceret*. Id ſane quam quod maxime Pontificem intererat, quem Manfredus tum ſuis, tum auxiliaribus Saracenorum copiis minabatur, de eoque vindictam capere nitebatur, tum ob latam ab Urbano IV. ejus prædeceſſore in eum excommunicationem, tum ob Cruciatam adverſus ejus copias indictam, adeo ut Manfredi exercitus ad Phruſinonem uſque Romanæ ditionis Urbes, agroſque devaſtaverat.

Altera conditio, ut *quadraginta octo milia ducatorum annis ſingulis Romanæ Eccleſiæ pro cenſu daret*. Senſim pro re nata Pontifices cenſum auxere; quare illi ſpontaneam, quemadmodum initio fuerat, oblationem, cenſus nomine primo appellaſſe mihi videntur, ut tandem re ipſa cenſus naturam acciperet. Secundo, prout ſe ſe obtulit occaſio, illum augere non dubitarunt. Primum ſane eo *cenſus* nomine hanc oblationem appellavit Pontifex Romanus in Bulla Inveſtituræ Frederici II. Imperatoris, quam Frederico adhuc impubere Pontifex ſcripſit; quare temporis opportunitate arrepta Pontifex Innocentius III. ea, quæ ſponte Romanæ Eccleſiæ Principes Normandi obtulerant, cenſum veluti deſignavit. Id profecto vel ex eadem hujus Inveſtituræ phraſeologia cuique patet, quæ quidem prima adhuc ſapit Romanæ Curiæ ea in re tenta-

Digitized by Google

tamina ; quare latum hanc inter , atque Andegavienſium Inveſtituras diſcrimen intereſt, cujuſmodi illud erat , quod legitimum inter Frederici jus in Siciliæ Regno , & ſubreptitium Caroli I. Andegavienſis plane intererat. His itaque verbis Pontifex jus illud primo ſtatuere in laudata Inveſtituræ Frederici Bulla ſtuduit : *Hac igitur conſideratione diligenter inducti , ac credentes quod Prædictorum Regum veſtigia veſtra Regia ſerenitas in devotione , ac obſequiis Eccleſiæ imitetur , vobis , & hæredibus veſtris , qui ſicut Rex Willelmus quondam frater tuus felic. m. Andriano Papæ prædeceſſori noſtro exhibuit , nobis , & ſucceſſoribus noſtris , & Eccleſiæ Romanæ fidelitatem , & Dominium exhibere &c.* Deinde ea inter , quæ illi *exhibuerant*, refert ; *Cenſum vero ſexcentorum ſquifatorum de Apulia , & Calabria , quadringentorum vero de Marſia , aut equivalens in auro , & argento &c.* Notatu dignum profecto eſt vocabulum *exhibuit* , quod procul dubio redolet ſpontaneam oblationem : Sic pacta inita apparent cum legitimo Regni hærede. At, ut Regno Carolus inveſtitur , in quo nullum aliud jus , niſi uſurpationis illud , atque Pontificis favor ei inerat ; tunc Pontifex , priſtinum *exhibendi* vocabulum oblitus , cenſum conditionibus ex jure contractus deſumptis , atque ſanctionibus firmatis ſtabilire videtur. Confer allata hec Inveſtituræ Friderici verba, cum formulis Bullarum inveſtituræ Andegavienſium, atque hinc tum Romanæ curiæ ea in re progreſſus , tum & maximum inter utraſque diſcrimen aperte noſces.

Quod vero ad cenſi *quantitatem*, eumdem vides progreſſum. In Frederici ſane allata Bulla erat *ſexcentorum ſquifatorum* . Quid autem ſibi velit hoc numi genus ignorant Cangius , Muratorius , Angelus a Nuce in Not. ad Chronic. Caſſin. Mea autem de hujus *ſquifati* ſignificatione tentamina proferam in ſingulari diſſertatione , quam una cum nonnullis Diplomatibus brevi typis edam : *De Chronico Leonis Hoſtienſis , ejuſque hiſtoricis , atque Diplomaticis monumentis*. At quanti quanti fuerint hi *ſquifati*, numquam, ut

in laudata Diſs. oſtendam, ultra quatuor mille ducatos valuiſſe fatendum erit. Ab hac autem oblatione, cum Carolo Andegavenſi ad cenſum ducatorum quadraginta octomillium ventum eſt; ac tandem cum Roberto Anno MCCCXIII. ad uncias auri decem mille, nimirum ducatos ſexaginta millia; quamquam in ſua Bulla aurea uncias octomille Pontifici ſpopondiſſet.

Tertia, ut *Beneventanam Civitatem pro Sede Summi Pontificis deſignaret*. Quid autem ſibi velit phraſis iſthæc non video, niſi Pontificium jus in Beneventi Urbe repetendum maluiſſet Clemens IV. ex eo, quod Beneventum veluti Pontificia Sedes haberetur. Hæc autem conditio ſatis abunde teſtari videtur jus Pontificium in Beneventana Urbe adhuc nutans ad Caroli Andegavienſis ætatem fuiſſe. Hinc obiter heic animadvertendum, luxata nimium, atque dubia videri antiqua, quæ pro Romana Curia, in medium afferuntur monumenta Pontificii juris in Beneventana Civitate. Antequam enim innoteſceret Leonis Hoſtienſis Chronicon, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores jus illud a Diplomate quodam Donationis Othonis I. Imperatoris deſumebant, quæ *Bulla Aurea Othonis I.* appellatur. In ea ſane Imperator Romanæ Eccleſiæ parum eſt quin & univerſum donet Orbem: hinc inter Civitates Eccleſiæ Romanæ dono datas, recenſetur *Ducatus Beneventanus*. At fabellam prodit ipſa formula donationis, in qua Imperator donat: *Ducatum Spoletanum*, *ſive Beneventanum*, *una cum Eccleſia S. Juſtinæ poſitum prope Paduam*. Is profecto, qui Diploma illud cuderat, neque diſcrimen inter Beneventanum, & Spoletanum Ducatum novit, atque Beneventum cum Padua conjunxit.

Verum juri huic ex Othonis Bulla Aurea ſponte ceſſere Romani Pontifices, poſtquam Leonis Oſtienſis nomine evulgatum Monaſterii Caſſinenſis Chronicon ſcripſiſſe comperierunt, Beneventanam Urbem Eccleſiæ Romanæ obtigiſſe ob permutationem cum Imperatore Henrico I. factam,

qua

Digitized by Google

qua Pontifex Imperatori ceſſit jus, quod acquiſierat in Bambergenſem Epiſcopatum, atque Imperator pro jure illo Pontifici Beneventum dederat. At Cencius Camerarius firmiſſimum hoc jus perturbavit; is enim in ſuo Diurnali Innocentii III., cujus a cæremoniis erat, inter Epiſcopatus juris Romanæ Eccleſiæ & Barbergenſem etiam refert: Atqui Cencius ſcripſerat ſæculo [illegible], poſt integrum ſcilicet a permutatione illa ſæculum. Quid ergo de hac dicendum erit permutatione? Quid de auctoritate Leonis Hoſtienſis? At de hoc obiter ſatis: Plura dicemus in noſtra de Leonis Hoſtienſis Chronico Diſſertatione.

Poſtrema tandem, ut *certam militiam, ſua impenſa pro ſingulis Romanæ Eccleſiæ neceſſitatibus paratam haberet*. Hæc autem conditio haud generatim Infeudationi appoſita videtur; quandoquidem Carolus, cui Papa Regnum Siciliæ, ſuppoſititium nempe Eccleſiæ feudum, largitus erat, illo legitimo hæredi ablato, Carolum juramento obligaverat Manfredo expellendo, atque Marchiæ Anconitanæ, quam ipſe Manfredus armis obtinuerat, Eccleſiæ Romanæ rurſum acquirendæ: ceteroqui numquam in illius ævi hiſtoria legimus Carolum copias pro Romana Eccleſia habuiſſe.

Ex epocha ſucceſſionis Roberti, prout illam deſcribit noſter Orator emendanda eſt Regum noſtrorum Chronologia; ait enim Andreas noſter de Roberto, Caroli II. ſucceſſore: *Hic ſapientiſſimus Robertus poſt patris obitum in Siciliæ Regno ſuccendens, a Clemente Quinto extitit inveſtitus, & coronatus Anno* MCCCV. Ex quo equidem emendatur *Genealogiæ Caroli I.* Auctor (quem aliquot rerum noſtrarum hiſtorici ſecuti ſunt) qui a Bonifacio VIII. Regni infeudationem Robertum accepiſſe ſcribit; ſane Bonifacius VIII. obiit Anno MCCCIII. nimirum Carolo II. adhuc ſuperſtite, qui Anno MCCCIX. obiit. Falli præterea vides eumdem Auctorem (quem nonnulli Triſtanum Caracciolum putant) ſcribentem, ſententia hujus Pontificis definitam eſſe quæſtionem inter Robertum, & Carolum

rolum Roberti nepotem, atque Caroli Martelli Regis Hungariæ Filium, qui primogenituræ jura pro Regni Siciliæ ſucceſſione oſtentabat; lis ſane iſthæc nonniſi Carolo II. demortuo oboriri poterat, qui adhuc Bonifacio Pontifice vita, ut dictum eſt, fruebatur.

Hinc quoque emendandus error noſtrorum Hiſtoricorum, qui Carolum I. obiiſſe narrant Anno MCCLXXXIV.; poſt decimum nonum a Regno annum; is enim Regni Siciliæ coronam accepit a Clemente IV. Anno MCCLXVI., quibus ſi novemdecim annos addas, erunt MCCLXXXV. Id enim præter omnem dubitationis aleam patet ex Bulla Inveſtituræ ipſius Caroli I.; quæ ſignatur: *Data die ſecunda Novembris Indictione VI. Anno MCCLXVI. Anno primo Pontificatus noſtri*: Clemens ſane IV. menſe Martio Anni MCCLXV. Pontifex electus eſt, adeoque annus milleſimus biscenteſimus ſexageſimus ſextus in primo caderat anno ſui Pontificatus: computus quippe Pontificius fieri conſuevit ab ineunte novo anno, qui electioni ſequebatur; quare November Anni ſexageſimi ſexti, in quo Indictio ſexta numerabatur, in primo habetur Anno Pontificatus Clementis IV.

Duo autem adhuc expendenda ſuperſunt ad Regum noſtrorum Chronologiam illuſtrandam. Primum, amanuentium oſcitantia in noſtro codice pro anno MCCCIX. ſcriptum fuiſſe anno MCCCV. Robertum coronatum fuiſſe, idque factum eſſe poſt Patris obitum. Atqui Carolus II., ut diximus, obiit anno MCCCIX.. Ipſamet præterea Bulla aurea Roberti eodem anno milleſimo tercenteſimo nono ſignatur. At hæc eadem Bullæ aureæ appoſita dies, ſubſcriptioniſque formula non erit ſicco pede prætereunda. In ea ſane, prout habetur in Regeſto Roberti anni MCCCIX. Indict. VIII. *fol.* 1. *litera A*, *ſeu H* (cum non bene diſcerni queat), legimus: *Datum Avinioni Anno Domini MCCCIX. die XXVI. Menſis Auguſti ſeptimæ Inditionis Regni mei anno X.* Robertus ſane, mortuo Carolo II. Patre, Neapoli diſceſſit, ac primum *Provincia* Galliæ, quæ ſui

ſui erat juris, luſtrata, Avinionem petiit, quo Clemens V. ſedem habebat, a quo perhonorifice exceptus, die Septembris octava coronam Regni Siciliæ accepit, eique debitam a Patre, atque Avo Romanæ Eccleſiæ pecuniam ad uncias auri tercentum mille remiſit. At in eo tota verſatur quæſtio, eodem anno, quo Robertus Coronam accepit, *decimum ſui Regni annum* computari. Id autem alia explicari nequit ratione, niſi quod Carolus II. ejus Pater illum Regni ſocium fecerit jam tum ab Anno MCCLXXXIX., de qua equidem re altum penes hiſtoricos noſtros ſilentium: At huic conjecturæ aditum præbere videtur Chronicon S. Antonini, Anno ſiquidem (narrat ille *parte ſecunda*, §. IV.) MCCLXXXVIII. Carolum II. e Neapoli in Siciliam transfretaſſe una cum Dongiano contra Fridericum. Ea itaque occaſione Roberto Calabriæ Duci Regni habenas commiſit, tum quod maxima, etſi juvenis, prudentia floreret, tum etiam quod jam in Hugariæ Regem ſalutatus fuerat primogenitus Carolus Martellus, qui ea de re Neapoli diſceſſerat. Hæc profecto Roberti epocha magni uſus in noſtra erit Hiſtoria; neque fruſtra illam heic me delibaſſe putes, cum illius uſum brevi oſtendam in explicatione quorumdam Diplomatum ipſius Roberti, ex quibus non parum luminis noſtra conſequetur hiſtoria.

Poſt Robertum noſter Orator ad Johannam ejus neptem venit, quam, ait, aufugiſſe *in provinciam Provinciæ, & Civitatem Avinionenſem, quæ ſuæ erant*, jure nimirum hæreditario. Hinc vides Avinionenſem Urbem Regum noſtrorum Andegavienſis Dynaſtiæ fuiſſe ad annum ſcilicet uſque MCCCXLVII. Hoc ſane anno Duces Andegavienſes *Provinciam* a Johanna accepere, atque Romana Eccleſia Civitatem Avinionenſem. Hanc autem Urbem *partim ob delicti pœnam, partim pecunia recepta Romanæ Eccleſiæ*, ut noſter ſcribit Orator, Johanna, *relaxavit*, de illius ævi more, quo peccata pecuniis adhuc redimebantur. Hinc vides falli Hiſtoricos, qui a Clemente VI. Urbem hanc coemtam ſcribunt; quamquam enim Bzo-

Bzovius ad Ann. 1347. Inſtrumentum venditionis ex Archivis Vaticanis; atque Hadriani Molis exhibeat, attamen ſtandum magis eſt auctoritati noſtri Oratoris, qui partim pro culpæ redemptione, partim *recepta pecunia* Avinionem Pontifici traditam ſcribit; id quod tum genio illius ævi, tum nimiæ, ac præcoci, quam Pontifex Johannæ impertitus eſt, veniæ, tum Curiæ Romanæ moribus, quam nuſquam fines dilatandi occaſiones præteriere, ſatis reſpondet. Quibus equidem argumentis & illud addendum ex ipſius Clementis VI. Bulla petitum, qua jura Regni Siciliæ Johannæ reſtituit: in ea ſane Bulla inter conſuetas de more *reſervationes* ne verbum quidem de Avinione habes; quod utiquam Pontifex expreſſe feciſſet, ſi revera juſto pretio Civitatem emiſſet. Hinc paulo poſt, re nimirum jam adulta, in Bulla Infeudationis Caroli III. inter loca, Romanæ Eccleſiæ *reſervata* ipſam perinde leges Avinionenſem Civitatem.

His autem miſſis, quæ noſter Orator de Carolo III., Ladislao, atque Johanna II. ſcribit, in Alphonſi jure parumper immorari lubet. Sic itaque Andreas noſter de Alphonſo loqui exorſus, ſcribit: *Vexata Johanna præfata a Ludovico Andegaviæ Duce, & ejus gentibus oppreſſa, glorioſæ memoriæ Alphonſi Regis Aragonum, contra infideles bellum agentis, bello ſtrenui proximitate Regni ulterioris Siciliæ vicini præſidia imploravit.* Ex vulgatis Auctoribus quodnam fuerit bellum hoc ab Alphonſo contra infideles geſtum, ac quonam non ſatis liquet; verum hanc Oratoris noſtri periocham aperit Alphonſi medicus, atque ſyncronus biographus, cujus opus brevi typis publicæ Literariæ rei bono excudendum curabimus ex codice unico autographo, quem non vulgari labore acquiſitum, magna diligentia ſervamus. Hic ſane Auctor Libro IV. *De Alphonſi geſtis* narrat, Regem ex Valentina expeditione reverſum, contra Tunetanos, qui in Girba Tunetani Regni Inſula erant, bellum adortum eſſe, deque inſulanis victoria parta, Inſula eadem potitum fuiſſe. In ea autem erat expeditione, quam

bellum

Digitized by Google

bellum contra infideles Andreas appellat, cùm illum Johannæ nuncii adiere, ut Reginæ, a Ludovico Andegavienſi ad extremas anguſtias redactæ, opem præſentiſſimam ferret. Quo equidem in loco animadvertendum eſt, Auctorem noſtrum de altera vice loqui, qua Johanna Alphonſi auxilium imploravit; tum enim illum ex Inſula Girba (quam *Gerbos* Alphonſi ineditus biographus appellat, a quo primum novimus Inſulam illam in Alphonſi ditione fuiſſe; id quod nonnullis Diplomatibus Regeſtorum Aragonienſium lumen affundit, ut oſtendemus) ad Neapolitanam expeditionem revocavit. Idem Alphonſi Biographus Libro I. epiſtolas, quas Neapolitanis Johanna II. de proximo Alphonſi adventu poſt nunciorum reditum dedit, profert, quas heic afferre Lectoribus philohiſtoricis acceptum fore puto: *Fideles noſtri dilecti ad ineffabilem, immenſamque lætitiam noſtræ fidei intimamus, quod hodie prima hora diei feliciter redit a Sereniſſimo filio noſtro domino Rege Aragonum &c. Magnificus vir Raymundos de Perilionibus miles Regiæ Claſſis Capitaneus, comitatum Ceritaniæ, & Roſilionis Gubernator, una cum viro fratre Romeo magiſtro militiæ Sanctæ Mariæ, & S. Georgii de Monteſio Regio collaterali, & conſiliario, ac Ammirato &c., pluribuſque aliis magnatibus, & militibus, Regiiſque oratoribus ituris tam ad Dominum ſummum Pontificem Martinum, quam ad Commune Florentiæ cum galeis quatuor, & cum magna pecuniæ quantitate, tam pro conducendo Brachio, quam pro aliis oportunis ad ſtatum noſtrum, ac cum notitia, & expeditione omnium horum, pro quibus ad dictum Dominum Regem tranſmiſimus pro conſervatione, defenſione, & augmento ſtatus noſtri, ſed pro finali confuſione & ruina noſtrorum hoſtium, & rebellium quorumcumque; poſt quos admiratum & Capitaneum intra proximos hos dies ad hoc Regnum Dei præſidio feliciſſime proficietur omnino præfatus Sereniſſimus Dominus Rex cum maximo apparatu navium, galearum, & fuſtium, cetérorumque oportunorum ad imponendum finem optatum præſentibus novitatibus. Exultate, & congratula-*

tulamini itaque, & veſtra corda letitia replete; advenit namque illa optata dies, qua videbitis pacem perpetuam, bonorum renumerationem, & pravorum repreſſionem & penam. Data in Caſtro novo Neapolis ſub anulo noſtro ſecreto die menſis Aprilis decima quartæ Indicionis. Hactenus Johannæ epiſtola, ex qua vides Alphonſum *filium* a Johanna appellari ob futuram adoptionem, quam illi per nuncios pollicita erat, ut laudatus ſcribit Biographus; quapropter publico tandem diplomate adoptio iſthæc firmata eſt, quod in Archivis noſtris habes. Neque antiquo hoc jure deſciviſſe Alphonſum dices ob hujus adoptionis revocationem, quam Serjanni Caraccioli cauſa Johanna poſtmodum fecit; tot enim bellici, quos pro Reginæ defenſione ſuſtinuerat, labores ampliſſimum certe illi jus in Siciliæ Regnum conquiſierant.

Quod vero ad Eugenii IV. in Alphonſum odia ſpectat, ejuſdemque Pontificis erga Renatum benevolentiam, ea profecto neque ex Eccleſiæ bono erunt repetenda, neque ex Renati Andegavienſis jure, cujus adoptio poſterior Alphonſi illa erat, quæ nullo titulo revocari poterat ob inita inter Johannam, Alphonſumque pacta. Eugenius ſane IV. cum Pontificatum ſortitus fuiſſet, diſſentiente Cardinale Urſino, magno Columnenſes odio proſequebatur; hinc cum hi partes Alphonſi in Siciliæ Regno enixe foverent, ea de cauſſa Eugenius Alphonſo omni reſtitit conatu, veritus Columnenſium vires, ſi quando Alphonſus pleno jure Siciliæ Regno potitus fuiſſet. Quamobrem magni nominis Ducem Jacobum Caldolam Pontifex ſuis conduxit ſtipendiis, ut Alphonſo reſiſtere valeret; in eumque obdurate odia fovit ad Annum uſque MCCCCL., quo nimirum apoplexia Caldolius Dux interiit; tum enim, *jure, & neceſſitate ſtatus Eccleſiæ tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus exigente*, ut Andreas noſter loquitur, in gratiam cum Alphonſo rediit: Ea quippe phraſe ſatis modeſte Orator noſter innuit animum, mentemque Eugenii, qui, afflictis undique rebus ſuis, Alphonſi opem imploravit; quemadmodum nuncii ipſius Pon-

Digitized by Google

Pontificis, qui Alphonſum adiere, loquuntur apud laudatum anecdotum Biographum, Regi patefacientes Columnarum in Eugenium conatus, Imperatoris in eundem minas, atque Baſileenſis Concilii tentamina; quibus equidem omnibus deterritus Eugenius, tempori, haud equidem Eccleſiæ inſerviens, priſtinam, quam rebus ſuis florentibus foverat, contra Alphonſum remiſit ſimultatem; eumque per Cardinalem Tarentinum, ut apud Blondum legimus, corona Regni Siciliæ citra pharum tandem donavit.

Jure autem meritoque Eugenium Regni Siciliæ donationem (ſic eo abuſi ſunt juris vocabulo Pontifices olim Romani) Renato factam revocaſſe, nedum ab Oratore noſtro, ſed & ad ipſomet Pio Secundo intelligimus; qui eadem pacta, quorum fidem Renatus ſolvere neglexerat, in ſua recenſet Oratione, quam Gallicis Oratoribus eodem in Mantuano Concilio habuit, quæ incipit: *Reſponſuri &c.* apud S. Antoninum in III. parte Chronici.

Leges autem, quibus pax illa Alphonſum inter, & Eugenium IV. inita eſt, ipſemet Æneas Piccolomineus, deinde Pius II., in Hiſtoria ſuorum temporum his verbis deſcribit apud Fernium c. 28. *Eugenius Pontifex Alphonſum Regem Neapolitanum declarat, appellatque: Ferdinaado Regis filio, cui Rex poſt mortem Regnum deſtinaverat, poteſtatem ſuccedendi faciat: Terracinam Regno adjiciat: Alphonſus e contra Eugenii auctoritate ſe ſubjiciet, atque opituletur ad agrum Picenum, quem Franciſcus Sforcia occupaverat, vendicandum. Si quando Pontifex adverſus Turcas aut Aphros bellum ſuſcipiat, Rex cum claſſe adjuvet. Sacerdotes Regnorum ſuorum ſub Concilii prætextu Baſileam profectos revocet: nec patiatur tres ex ſuis, qui Cardinales ſub Amodeo Subaudenſi creati fuerant, revertentes, pro Cardinalibus ſuſcipi, haberique. Matricem, Civitatem Ducalem, atque Accumulum in Marſis oppida Romanæ Eccleſiæ tradat.*

His itaque ut ſtaret convenctis Alphonſus, omnia geſſit, quæ Orator noſter enarrat. Pontifex interea data Bul-

Digitized by Google

la Ferdinandum legitimavit; Erat enim is nothus Alphonſi filius, Valentiæ natus Anno MCCCCXXX. ex quadam, ut apud illius ævi Hiſtoricos fertur, Vilandona Carlena muliere Valentiana; id quod non ſatis convenit cum verbis Bullæ Legitimationis, in qua natus dicitur Ferdinandus ex *Alphonſo conjugato, & conjugata*. Quare nonnullis ſuaſum eſt, Alphonſum genuiſſe Ferdinandum ex Caterina, Henrici fratris ejusdem Alphonſi uxore, atque Mariæ Alphonſi uxoris ſorore. Verum quicquid ſit de Ferdinandi matre, nothum illum fuiſſe Pontifici faſſus eſt Alphonſus, ab eoque illius legitimationem expoſtulatus eſt, quæ lata fuit ab Eugenio Anno MCCCCXLIV., cum nimirum decimumquartum ætatis annum Ferdinandus ageret. Hinc pro philohiſtoricis noſtris hanc legitimationis Bullam publici juris facere non piget, quam veluti unum ex Hiſtoriæ noſtræ infimi ævi monumentis heic excribimus ex apographo Regeſti Archivi Apoſtolici in Regeſto Eugenii IV., cui titulus: *Regeſtum Aragonum*.

Legitimatio Ferdinandi.

„ Eugenius &c. Dilecto Filio nobili viro Ferdinando de „ Aragonia Cariſſimi in Chriſto Filii noſtri Alphonſi Ara„ gonum Regis Illuſtris nato ſalutem, & Apoſtolicam be„ nedictionem. Illegitime genitos, quos morum decorat „ honeſtas, naturæ vitium minime decolorat, quia decus „ virtutum geniture maculam abſtergit in filiis, & pudi„ citia morum pudor originis aboletur. Cum itaque ſicut „ exibita nobis nuper pro parte prædicti Regis Patris tui „ petitio continebat, tu, qui defectum natalium pateris de „ cariſſimo in Chriſto filio noſtro Alphonſo Rege prædicto „ conjugato genitus, & conjugata, defectum hujusmodi vi„ tæ, ac morum honeſtate, aliiſque multiplicum honeſta„ tis, ac virtutum meritis recompenſas, redimens favor „ virtutum, quod in te ortus odioſus adimit: Et propte-

„ rea

„ rea volentes te horum intuitu favore proſequi gratiæ ſpe-
„ cialis, prædicti Regis Patris tui ſupplicationibus inclina-
„ ti, tecum ut ad quaſcumque dignitates, honores, admi-
„ niſtrationes, & officia ſæcularia, publica, & privata va-
„ leas rite recipi, & aſſumi, illiſque præfici, & præeſſe
„ libere, & licite poſſis; nec non in Regno prædicto Sici-
„ liæ citra Pharum, ejuſque Civitatibus, Terris, Caſtris,
„ Fortellitiis, oppidis, villis, juribus, & actionibus ſucce-
„ dere, utque in Regem poſt dicti genitoris tui obitum con-
„ ſtitui, & deputari, ſalvis ſemper Eccleſiæ Romanæ ju-
„ ribus, illiuſque regimen, & Dominium regere, & exer-
„ cere, tenere, & poſſidere valeas, perinde ac ſi primo-
„ genitus, ac unicus, & principalis hæres dicti Regis de
„ legitimo matrimonio procreatus exiſteres, ac prout aliis
„ de legitimo Matrimonio ex Rege cognatis, & agnatis
„ pro tempore procreatis, per quos agnatos, & cognatos
„ tibi nullum in proximis præjudicium volumus generari,
„ per te illis penitus conferre defectum prædictum, ac
„ Conſtitutionibus Apoſtolicis, legibus Imperialibus, nec
„ non municipalibus, ac quarumcumque Provinciarum,
„ Civitatum, ac terrarum & locorum ſtatutis, & conſue-
„ tudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica,
„ aut quacumque firmitate alia roboratis, etiamſi de eis,
„ & comunitatis tenoribus, ac de verbo ad verbum ha-
„ benda foret mentio ſpecialis, quibus, hac vice dumta-
„ xat, quoad præmiſſa derogamus, ceteriſque contrariis
„ nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore
„ præſentium, ſpeciali gratia diſpenſamus. Nulli ergo
„ &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno MCCCCXLIV.
„ Idib. Julii Pontificatus noſtri Anno XIV. "

At in pactis Eugenium inter, & Alphonſum initis paululum immorari non pigeat; Pontifex enim Eugenius Alphonſo promittit: *Terracinam Regno adjicere*: De hac ſane re heic obiter animadvertendum erit, Terracinam ab Eugenio una cum Civitate Beneventana traditam fuiſſe

Alphonſo *in perpetuum*, ut loquitur Nicolaus V., Eugenii ſucceſſor in Bulla, de qua mox dicturi ſumus; illas autem urbes Alphonſi Regno adjecit Eugenius, acceptis *pro illarum permutatione Matricem*, *Civitatem Ducalem*, *atque Acumulum in Marſis*. Verum eodem anno milleſimo quatercenteſimo quadrageſimo ſeptimo, defuncto Eugenio, Nicolaus V., ſucceſſor in Pontificatu, Regi Alphonſo reſtituit Acumulum, Civitatem Ducalem, & Lagoneſſam in Monte Amatricis, *datis ab Alphonſo* (ſunt verba Bullæ) *Eugenio IV. pro permutatione Civitatis Beneventi*, *& Terracinæ in perpetuum*. Bullam hanc ſcribit Nicolaus V. die xx. Maji Anno MCCCCXLVII., paucos nimirum poſt menſes ab inito Pontificatu; in qua ſane Bulla ne verbum quidem de Terracinæ, atque Beneventi reſtitutione habetur; quandoquidem Alphonſus ad extremam uſque vitæ diem utramque poſſedit Civitatem. Hoc profecto noſtræ jurisdictionalis Hiſtoriæ caput nemo noſtrum adhuc expendiſſe mihi videtur, ad cujus hiſtoriæ intelligentiam maxime confert Oratoris noſtri, quæ ſequitur, periocha: Narrat enim ille, Alphonſum præter alia, quæ Romanæ Eccleſia impertitus fuerat, beneficia, Nicolao Papæ *terras omnes*, quibus nimirum in Tuſcia potitus erat, *relaxaſſe*, *& Pontifici*, *qui cum maxima paupertate pontificium ingreſſus fuerat*, *ducatos quadraginta quinque millia* mutuatum eſſe. Mutuationem itaque hanc Pontifici, in ipſo Pontificatus ingreſſu factam, ſtatim ſequitur Bulla ejuſdem Pontificis, qua Alphonſo reſtituit tres illas Regni Civitates ab Alphonſo Eugenio traditas; Pontifex dum has Alphonſo reddit, Terracinam, Beneventumque minime repoſcit, quemadmodum procul dubio facturus fuiſſet, ſi ſua quiſque jura ad priſtinum redigere voluiſſet; Igitur liquido patet, Nicolaum pro accepta pecunia, cui reddendæ impar erat, Alphonſo Acumulum, Civitatem Ducalem, & Lagoneſſam reddidiſſe, neque vel ex eadem cauſſa ab eo repetitis Benevento, Terracinaque, quæ in Alphonſi ditionem manſere.

Vide

Vide itaque qua ratione luce meridiana clarius patet, Alphonſum & Beneventum, & Terracinam Regno Siciliæ adjeciſſe, & pro mutuatis *quadraginta quinque millia ducatis*, ſolutionis loco, a Nicolao recepiſſe tres illas ejusdem Regni Civitates, quas pro Beneventi, atque Terracinæ permutatione ab Alphonſo Eugenius acceperat.

Hinc ipſemet Ferdinandus, cum Alphonſo in Siciliæ Regno ſucceſſit, easdem adhuc retinebat Beneventi atque Terracinæ Urbes: Verum enimvero quantum e re Romanæ Curiæ oborta de Regni hujus ſucceſſione inter Andegavienſes, atque Ferdinandum jurgia fuerint, nemo non videt; Pius etenim II. occaſionem de more nactus, Ferdinandum, qui Pontificium inhiabat favorem, ne is partes Andegavienſium foveret, Benevento rurſus Eccleſiæ reſtituendo adegit; & ut recuperandæ etiam Terracinæ viam quodammodo ſterneret, in Inveſtitura, quam Ferdinando ſcripſit, vicario jure illi Terracinam poſſidendam eſſe ſtatuit; quem quidem Vicariatum a Pontifice confirmandum eſſe decrevit *de quinquennio in quinquennium cum annua equi albi* pro eodem vicariatu *præſtatione*. Vide qua methodo aditum Romanis Pontificibus Pius fecit, ut tandem & Terracina, ut evenit, potirentur. Hæc animadvertiſſe juvabit præſertim in re, quæ quantum noſtra intereſt jura, eo omnium fere hiſtoricorum noſtrorum diligentiam fugiſſe mihi videtur.

Ab Alphonſo tandem Andreas noſter ad Ferdinandum venit, quem *trium Pontificum auctoritatibus ad Regni Siciliæ ſucceſſionem admiſſum*, ait, nimirum Eugenii IV., Nicolai V., & Callixti III. Unum autem ex hac Orationis periocha ad noſtrorum Regum Chronologiam maxime redit, Alphonſum nimirum, ut Andreas hic noſter loquitur, cum ſe *morti proximum videret . . . Ferdinandum filium heredem teſtamento inſtituiſſe, eumque in ſolio Regio ante obitum videre voluiſſe*. Ex hoc enim tempore repetenda eſt epocha Diplomatica Regni Ferdinandi Aragonienſis, quam cum noſtrorum nonnulli non attendiſſent, anachro-

Digitized by Google

chroniſmi, vel falſitatis notam facile quibusdam Diplomatibus inuſſere, in quibus Ferdinandi Regis nomen habetur, Alphonſo adhuc ſuperſtite.

Alphonſus itaque menſe Januario Anni MCCCCLVIII., morbo correptus, Regnum Ferdinando renuntiavit; etſi exinde adhuc ille ſuperſtes fuerit per integros *quinque* ſecutos menſes, ad menſis nimirum Junii diem vigeſimam ſeptimam ejusdem anni MCCCCLVIII., quo vita functus eſt.

At idem ille Callixtus III., qui, Alphonſo adhuc ſuperſtite jura ſucceſſionis Ferdinando denegare auſus non fuerat, ſtatim ab illius obitu, bellum Romanæ Curiæ armis in Ferdinandum movit, atque edita in illum Bulla ſucceſſionis jure carere decrevit, Regnumque Eccleſiæ Romanæ devolutum: ingrati profecto animi homo, qui tanto odio in eum ferebatur, quem Alphonſus Regni ſucceſſorem teſtamento inſtituerat, cujus equidem Alphonſi ope, cui ipſemet Callixtus a ſecretis fuerat, in Cardinalium cœtum allectus fuerat.

Qua vero de cauſſa Ferdinandum Callixtus III. vexaverit, non convenit inter Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores, qui vel ſinchrona monumenta nuſquam conſuluere, vel fictis quandoque verbis hiſtoricam veritatem obtegere curarunt. Ex iis enim, qui ea ætate hiſtorica adverſaria domi exarabant, novimus, Alphonſum Borgiam, qui Callixti III. nomen in Pontificatu aſſumſit, eo animum intendiſſe, ut arrepta mortis Alphonſi occaſione, Siciliæ Regnum Petro Aloyſio ejus ſive nepoti, ſive, ut alii ſcripſere, filio veluti Eccleſiæ Romanæ feudum donaret. Hæc profecto innuere videtur ipſemet Orator noſter, cùm ea, quæ Oratorem Romano coram Pontifice locutum modeſtia decet, de Calixti in Ferdinandum geſtis ait: *Quantum Divina, pontificaliſque auctoritatis, ceremoniarumque forma Regiæ dignitati Ferdinandi Regis, ejuſque ſucceſſioni acceſſerint, repentina cominantis Pontificis mors, & Divina V. S. electio illico poſt Alphonſi Regis obitum*,

tum, *non humanæ cogitationi*, *ſed miraculis ultra vires*, *&* *potentias naturales emanantibus adſcribenda*, *judicium perhibent*. Divina nimirum providentia Calixtum III. repentina morte obiiſſe dicit, ne inquam incepta contra Ferdinandum perficeret. Quamobrem Orator noſter jure optimo hanc ſic concludit periocham. *De quibus plura commemorarem*, *quæ ad Divinam voluntatem & miracula aſcribi neceſſario fore concluderem*, *niſi defunctorum piacula ſuaderent ſylentium*. Quibus ſane verbis aperte oſtendit, ſe *Defuncti* Pontificis Calixti *piacula* præterire. At qua fronte Orator ipſo coram Pio II. ejuſque Cardinalibus, defuncto Pontifici piaculum de oppugnatis Ferdinandi juribus, deque denegata illi in Siciliæ Regnum ſucceſſione feciſſet, ſi Calixtus mentis laboraſſet, haud vero animi errore? His igitur verbis Orator noſter abditas Calixti cogitationes deſignavit; quandoquidem is Ferdinandi nunciis, ut ex noſtro diſcimus Oratore, Duce nimirum Andriæ, Comite S. Angeli, Carolo de Campo Vaſio, Beneventano Archiepiſcopo, ac duobus e Regiis Oratoribus, quos ille Romam ad expoſtulandam de more Inveſtituram miſerat, bona verba dederat, quo facilius conceptam animo ideam exequeretur; ut ex fere ſynchronis Diurnalibus Ducis Montisleonis colligimus. Jure itaque Andreas noſter *Divinum judicium* in repentino Calixti obitu *coruſcaſſe* dicit; ne ſi quando is diu ſuperſtes fuiſſet, Siciliæ citra pharum Regnum in privatæ gentis feudum deſciviſſet.

Hinc itaque Orator, ut omnium civium ordines in Ferdinandi electionem conſpiraſſe, unanimi conſenſu oſtenderet, *in Capuana Civitate* (1) *omnibus Regni Principibus*, *comunitatum-*

(1) Cauſſam hiſce Comitiis eo habendis gravis peſtilentia, quæ eodem anno Neapoli graſſata eſt, dedit. Sic Jovianus Pontanus *De Bello Neapolitano* Lib. I. *Reguli*, *Civitateſque miſſis Oratoribus Capuæ conventu habito* (*nam peſtilentia Neapolim infeſtabatur*) *in Ferdinandi verba de more juravere*.

tumque Oratoribus convocatis , *leto animo Ferdinandum* , *in Regem* electum fuiſſe , ſcribit , eiſdemque in Comitiis *Tarentini Principis Oratores* interfuiſſe . Id ſane notatu dignum eſt , quandoquidem rerum noſtrarum plerique Scriptores id pernegarunt . Initio igitur Johannes Antonius Urſinus Tarenti Princeps Ferdinandi jura ſecutus eſt , & nonniſi ad exitum vergente eodem, quo Ferdinandus coronam Regni acceperat , anno in apertam prodiit in Regem inimicitiam: cui ceteroqui occaſionem præbuit Ferdinandi ipſius imprudentia , cum ſæpe is queſtus fuiſſet tum de Principis Tarenti nimiis viribus ; tum de immodico decem mille ducatorum auri ſtipendio , quod ex *publicis functionibus* eidem Principi quotannis, tamquam magno Regni Comeſtabulo, ſolvebat; quare Tarentinus Princeps Ferdinandi artes veritus, Johannem Andegaviæ Ducem ad Regnum Siciliæ e Ferdinandi manibus præripiendum advocavit; unde tot enata bella , tot Ferdinando , ejuſque ſucceſſoribus incommoda emerſere .

Noſtro præterea Oratori cæremoniarum coronationis Regum Noſtrorum notitiam vel primum acceptam referimus. Is enim de Ferdinandi Coronatione, quæ Baruli facta eſt, locutus, ait : *Ordine* , *& modo* , *ut legibus injunctum eſt Vexillo S. Romanæ Eccleſiæ pro inveſtituræ ſigno eidem devotiſſime tradito* , *per ipſum S. Romanæ Eccleſiæ & S. V. legato .... juramentum fidelitatis ... præſtitum eſt . Præcedentibus jejuniis* , *pœnitentia & lotione corporis diebus ſeptem* : *Preparatis ſacris inter Miſſarum ſolemnia oleo ſacro unctus* , *Regiis inſignibus decorato ... gladio* , *& armis ... Trabea veſte .. regia corona ... Pomo Regio &c.*

Antequam itaque Rex Coronam acciperet, diebus ſeptem jejuniis , atque pœnitentia illum comparari fas erat, ac ſeptima tandem die corpus lavare; qui quidem ritus , ab Hebræorum Liturgia deſumptus, noſtris medio, atque infimo ævo communis fuit, ut pluribus docet Alemannus ; quare diutius in illius explicatione immorari ſupervacaneum eſſet . His itaque

Digitized by Google

que tranſactis diebus Pontifex Romanus, vel, qui ejus gerebat vices, legatus in Sacrô quodam Templo, quo omnis peragebatur cæremonia, primum Regi *vexillum Romanæ Eccleſiæ* tradebat. Hæc autem vexilli traditio inter noviſſimæ ætatis ritus referri nequit, quandoquidem id moris in Romana Eccleſia a Caroli magni ætate obtinuiſſe conſtat. In vetuſto enim Triclinio Leoniano (quod laudatus Alemannus in ſuo *de Lateranenſibus Parietinis* opere Leoni III. Rom. Pontifici vindicavit) in opere muſivo, quod Carolo adhuc vivente conſtructum fuit, ad dexteram perinde ac levam figura Caroli Magni proſtat, qui genu flexus e S. Petri, qui medius ſtat, & ad cujus genua Imperator provolvitur, manibus vexillum accipit, cum ſubjecta inſcriptione: *Beate Petrus dona vita Leoni Pape Bictoria Carulo Regi dona*. Ex ipſa autem figura Carolo adhuc vivo muſeum compoſitum fuiſſe patet, cum Caroli imago quadratum habeat diadema, qua equidem ratione medio ævo tum pictores, tum muſivarii viventem hominem deſignabant.

Ex hoc autem muſivo conjiciendum mihi videtur, olim, tum nimirum cum in Carolovingicam familiam Pontifices Occidentalis Imperii jura transtulere, inter Coronationis ritus & vexilli Romanæ Eccleſiæ traditionem recenſendam eſſe. Hinc, ſi liceret limites commentarii hujus parumper excedere, heic exquirendum mihi proponerem, qua de cauſſa ritus iſte inter coronationis Imperatoris illos reliquus ſecuto ævo minime fuerit, cum de eo tum Majolus, tum Albertinus Muſſatus, Oſius, aliique, qui de ritibus hujus Coronationis ſcripſere, plane ſileant. Unum dumtaxat obiter dicere non piget, vexilli traditionem *homagii* jus ſecumtuliſſe; quamobrem non niſi ei traditum, qui *homo Papæ* (juxta illius ævi phraſem, de qua plura in meo dicturus ſum Commentario *ad Ritus Urſinianos Eccleſiæ Neapolitanæ*, ubi de Neapolitani Archiepiſcopi vaxalis ediſſerendum mihi erit) fiebat. Quamobrem, cum Carolus magnus, ſui temporis hiſtoria teſte, Pontifici acceptum Imperii jus de-

Digitized by Google

beret, merito ab illo tamquam a Petro vexillum accipiebat; id quod noviſſimo tandem ævo neglexere Imperatores.

Cum itaque (ut ad Regum noſtrorum coronationis ritus redeamus) vexilli traditio illius quodammodo teſtaretur jus, qui illud tradebat; hinc factum eſt, ut Romani Pontifices, qui Siciliæ citra pharum Regnum veluti Eccleſiæ feudum reputabant, cum Regni illius jus traderent, vexillum Eccleſiæ Romanæ a Pontificis, vel ejus Legati manu accipiendum Regi eſſe ſanxerint. Quamobrem Andreas noſter vexillum Romanæ Eccleſiæ Ferdinando traditum fuiſſe, ait, *pro Inveſtituræ ſigno*. Ea itaque ratione *homagium* fiebat, atque is, qui vexillum acceperat *homo ligius Papæ* dicebatur. Hoc itaque Rex manu vexillum tenens *juramentum fidelitatis* tradebat, illudque ex concepta formula (quam paſſim vides in Regum Noſtrorum Bullis aureis) recitabat. Huic profecto cæremoniæ, quæ *vaxallagii* apertiſſimum ſpecimen præſeferebat, temporum conditionem noſtros illius ævi Reges adegiſſe fatendum eſt.

Poſt hæc *inter Miſſarum ſolemnia oleo Sacro* ungebatur Rex. Leviticum hunc ritum Pontifex Romanus, vel ejus Legatus perſequebatur; is enim Pontificali veſte indutus Miſſam exordiebatur, ac cùm ad Evangelium ventum erat, Rege ad Altare genuflexo, Litania legebatur, quæ *omnium Sanctorum* dicitur, eaque perducta ad formulam *ut nos exaudire digneris*, Conſecrator dicebat: *Ut hanc famulum tuum N. in Regem eligere digneris*. Deinde: *Ut eum benedicere, ſublimare, & conſecrare digneris*. Tertio: *Ut ad Regni faſtigium perducere digneris*; Quibus chorus reſpondebat: *Te rogamus Domine*. Mox Conſecrator Epiſcopus Regem ſciſcitabatur: *Vellet ne Chriſtianam, & Catholicam Religionem retinere: Chriſtianam, Catholicam Eccleſiam defendere: Juſtitiam adminiſtrare: Viduas, & pupillos tueri; & Pontifici Romano debitum honorem præſtare, atque exhibere*. Quæ ſervaturum ſe cum Rex juramento ſpopondiſſet; tandem Sacro oleo ungebatur vel in capite, pectore, atque manu, ut olim factum eſt, vel, quod poſtea obtinuit, in una

dum-

Digitized by Google

dumtaxat dextera manu, ea prolata formula: *Ungo te in Regem oleo Sanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Amen.*

Peracta unctione, Miſſa proſequebatur, qua abſoluta, *Regiis inſignibus* manu ipſius Epiſcopi induebatur. Inter inſignia Orator noſter Solium Regium, Sceptrum, Gladium, veſtem Trabeam, Regiam Coronam, atque Pomum Regium refert.

Solium veluti Regium inſigne in ipſo parabatur Templo; in eo ſiquidem ſtatim poſt unctionem ſedebat Rex. Mos ſane vetuſtiſſimus, unde orta phraſis illa in *Regem elevari*, cum ſolium præ ceteris Eccleſiæ ſubſelliis elevaretur. Hinc factum ut a penitiſſimus uſque temporibus ſedes Regia, ſive Regium ſolium, Majeſtatis potiſſimum inſigne diceretur. Virgilius *de Sella Regni* meminit. Hinc & *ſedem Majeſtatis* habes apud Bekam in Othone III. Epiſcopo Ultrajectenſi de Wilelmi coronatione locutum, qui illam appellat: *Decus ampliſſimum Auguſti, & inſigne præcipuum Regni.*

Sceptrum, vetuſtiſſimum Regiæ dignitatis inſigne, e manu Conſecratoris Rex ſolio ſedens recipiebat, de quo nil notatu dignum dicere occurrit, cum de ejus antiquitate, atque figura innumeri ediſſerant optimæ notæ ſcriptores. Eadem dic & de gladio, qui tertio loco ea inter inſignia recenſetur: Gladium ſane etiam Imperatori in illius Coronatione a Duce Saxoniæ traditum, ſcribit Bekas apud Oſium, quem *lanceam* appellat Gherardaccius in ſuo Hiſtoriæ Bononienſis libro XXVI.

Quarto: Rex Trabea veſte induebatur. Hoc ſane indumenti genus Romanorum proprium fuiſſe, omnes norunt. Sed & inter prima olim fuiſſe Regiæ dignitatis inſignia, teſtari videtur Virgilius verſu illo Ænead. XI. v. 334.

Et ſellam, regni, trabeamque inſignia noſtri.

Num autem peculiare Regum noſtrorum infimo ævo inſigne illud fuerit, dubitandi occaſionem altum præbet de ea ſilentium apud alios hiſtoricos, qui de id genus inſignibus tum medio, tum eodem infimo ævo ſcripſere. Quamobrem

Digitized by Google

in eam veni ſuſpicionem, fuerit ne inſigne hoc a Romano Pontifice Regibus Siciliæ citra pharum collatum ob Senatoriam dignitatem, quæ præſertim poſt Carolum I. Andegavienſem Regum noſtrorum veluti propria reputabatur. At de ejusmodi re nil certi ſtatuimus; quare conjecturam hanc lectorum arbitrio plane permittimus.

Quinto: a Pontifice, vel ejus legato Rex *Coronam* accipiebat. Ea ſane aurea erat; immo noſtrorum Regum illa tanti erat ponderis, ut pignori Andegavienſium ævo data quandoque fuerit pro quadraginta octo mille ducatos. Id ſane colligimus ex diplomate quodam Regis Caroli I. Andegavienſis; qui cum Romæ moraretur, ut Pontifici annuum ſolveret cenſum, uni ex ſuis familiaribus epiſtolam dedit, qua jubet ut cuſtos Caſtri S. Salvatoris, nunc Ovi Caſtrum, in quo Regia Corona ſervabatur, illam ei tradat, pignori pro octomille uncias aureas obligandam. Hinc itaque conjici poteſt magni certe pretii Regum noſtrorum fuiſſe Coronam, quam in munitiſſimo ea tempeſtate S. Salvatoris Caſtro cuſtodiebant.

Poſtremum tandem Regis inſigne erat *Regium Pomum*. Fuerit ne illud Conſtantino antiquius inter Regia inſignia, aſſirmare non audeo; in quibusdam enim tum Conſtantini Magni, tum aliorum, qui in Orientali Imperio illi ſucceſſere, Imperatorum numis paſſim Regium Pomum habes, quod ſiniſtra gerunt, dum dextera Crucem tenent; etſi in medii ævi Græcorum Imperatorum numiſmatibus plerumque illi dextera manu *pomum*, de quo ſermo eſt, teneant, cui Crux ſupereminet. At quicquid ſit de origine, atque vetuſtate hujus Regii inſignis, nemo inficias ibit illud noſtros a CPolitanis Imperitoribus mutuatos eſſe; quamobrem inter Occidentalis Imperii potiſſima inſignia & illud invenies, quod in ſolemni Imperatoris Coronatione Bavariæ Dux illi tradit hiſce verbis: *Accipe globum ſphericum, ut omnes terræ nationes Romano Regno ſubjicias, & glorioſus Auguſtus appellari valeas*. Lege hanc formulam apud laudatum Bekam. Et de eodem *globo ſpherico* laudatus etiam Gherar-

rardaccius loquitur, illudque *Pomum aureum*, perinde ac noſter Orator, appellat. Quemadmodum autem Pomum aureum Imperatori traditum Romani Imperii jura deſignabat, ita & illud idem Regi Siciliæ citra pharum datum indicabat: *eo*, ut noſter loquitur Orator, *Regni* (quod pomo illo deſignabatur) *poſſeſſionem ſub ſua poteſtate teneret*. Atque hæc ſatis ſit de Coronationis cæremoniis dixiſſe, quæ tum ad monumentorum noſtrorum medii, atque infimi ævi, tum ad eorundem temporum Hiſtoriæ intelligentiam faculam quandam præbere puto.

Una tandem reſtat pro Commentarii hujus coronide expendenda noſtri, nimirum, Oratoris periocha, quæ conditiones, quibus Pius II. Regni Inveſtituram Ferdinando Aragonio impertitus fuerat, patefacit. Notatu certe digna ſunt Oratoris verba, quibus Pontificem ſic alloquitur, ut illum, poſtquam jura Ferdinandi expoſuerat, metu etiam futuri mali ab Andegavienſium ſtudio prorſus deterreret: *Inveſtivit, & coronavit S. V. eorum jurium* (Ferdinandum ſcilicet) *quæ Alphonſo Regi competebant, & in quorum poſſeſſione pacifica jugi* XX. *annorum totius Chriſtianitatis, & ipſius Francorum Regis approbatione pacifica fuerat. Conquiſivit ſibi* (Pontifex nimirum) *cenſum Eccleſiæ debitum; & Beneventanam Civitatem; ipſius Ferdinandi Regis filialem obedientiam; ac beneficium maximum, cum ſuis pecuniis ſuo imperio* (nimirum juſſu) *Jacobus Piccininus ſtrenuiſſimus Capitaneus Civitatem Aſſiſii, & terram Gualdi, quas, ut aſſerebat, ſuo jure occupaverat, liberaliter reſtituit.* His recenſitis, quæ pro Inveſtitura a Ferdinando Pontifex acceperat, beneficiis, hæc ſubdit noſter Orator: *Tractemus, ſi ſapimus, de eorum retractatione, reſtituemus & Beneventanam Urbem, reſtituemus & Aſſiſium, & Gualdum; renuntiabimus & cenſus promiſſioni; vendicabimus amicum vicinum Regem in hoſtem acerrimum; cum jure ſuadente, cum de contractus reſciſſione agitur, oporteat omnia, quæ facta ſunt revocare, & in priſtinum caſum reducere.*

His ſane minis Pontificem ab Andegavienſium rationibus aba-

Digitized by Google

abalienare conatur Orator noſter, quas ſingillatim ad examen brevi revocare noſtrarum rerum hiſtoriam intereſt. Atque imprimis præmonendum eſt, non ſine gravi cauſſa Oratorem noſtrum omnia, quotquot congerere poſſet, undique validiſſima conquiſiviſſe argumenta, quibus animum Pontificis erga Ferdinandum confirmaret. Quamquam enim Pius II. tum vi juris Ferdinandi adductus, tum ſpe allectus futuri matrimonii (quod Ferdinandus ſpoponderat, inter Antonium Piccolomineum ejuſdem Pontificis nepotem, atque Regis illius neptem, cui dotis nomine Rex Celani Comitatum, atque Amalphitanum Ducatum promiſerat) partes Ferdinandi tueretur; merito attamen Rex Inveſtituræ revocationem verebatur ob novam quandam, atque præteritis in Inveſtituris inſuetam formulam, quam callide Pius in Ferdinandi illa apponendam curaverat. Dum enim in Inveſtitura Regnum Siciliæ citra pharum Ferdinando, veluti Alphonſi ſucceſſore tradit, clauſulam, ut ajunt, addit: *Nullius juri derogando*. Quam ſane formulam ipſemet Pius in Oratione, quam eodem in Concilio Mantuano ad Regis Galliarum oratores habuit, a ſe primum in Inveſtitura Ferdinandi appoſitam fuiſſe fatetur, ut videre eſt apud laudatum Fernium *Hiſtoriæ compendiariæ Regni Neapolitani* cap. XXIX. Ea itaque de cauſſa Ferdinandus, verebatur quin Pontifex, ſi Andegavienſium partes ſectari maluiſſet, appoſita illa uteretur formula, ejuſque juribus derogaret. Quamobrem Orator noſter qua argumentis, qua & minis jura Ferdinandi tueri conatur.

Nunc autem ad inita ob traditam Ferdinando Regni inveſtituram Regem inter, atque Pium II. pacta deveniamus. Primum fuit *de Cenſu Eccleſiæ debito*, de quo ſupra aliqua delibavimus. Alterum de tradenda Pontifici Romano *Beneventana Civitate*. Ex hoc ſane pacto vides Civitatem Beneventanam, quam ex Pontificis manu recuperatam Regno adjecerat Alphonſus, ut jam diximus, adhuc Ferdinando Regi parere. Qua ſane in re animadvertendum erit, Romanum Pontificem Pium II. hanc præripuiſſe occaſionem, ut Benevento rurſus potiretur; quemadmodum enim ex Nicolai V. Bulla,

la, atque Oratoris noſtri teſtimonio ſupra diximus, Beneventum Alphonſo primum ob Lagoniſſæ, Acumuli, atque Civitatis Ducalis permutationem ab Eugenio traditum, ei tandem *in perpetuum* reliquum fuerat ob mutuatam Nicolao V. pecuniam, quam Pontifex minime reſtituerat; quare Alphonſus una cum Siciliæ citra pharum Regno Beneventum Ferdinando ejus ſucceſſori reliquerat. At Pius II. temporis conditione abuſus, in quo Ferdinandum externa, quibus comminabatur, Andegavienſium bella premebant, quique Pontificia protectione ſummopere indigebat, de recuperanda rurſus Beneventana Urbe conſilium perfecit. Hinc legimus Ferdinandum Romæ miſiſſe Matthæum Johannem Regium ſecretarium, & Antonium de Alexandrò Juriſconſultum Neapolitanum, qui pacta ob futuram Incoronationem iniere cum Berardo Epiſcopo Spoletano, & Acapito de Ruſticis Sacri Palatii Auditore a Pio II. delegatis, quæ ſane *Capitula* firmata legimus *Romæ die XVII. Octobris Anno MCCCCLVIII. Pontificatus Pii Anno I.*, ut habes in libro *Vicariatus* Pii II. In his autem *Capitulis* quinto loco habes: *Quod Civitas Beneventana per præfatum Dominum Regem libera dimittatur, & SS. Domino Noſtro actualiter per realem poſſeſſionis traditionem reſtituatur*. Verum quibusnam conditionibus iſthæc facta fuerit reſtitutio, ſatis non video, cum Anno MCCCCLXXXIII., vigeſimo quarto ſcilicet ab initis hiſce pactis Anno, adhuc Beneventanos Ferdinandi *Vaxallos* appellari compertus ſim in quadam ejusdem Regis Epiſtola, Capitulo Eccleſiæ Beneventanæ data eodem Anno MCCCCLXXXIII. in qua Rex Beneventanæ Eccleſiæ Canonicos laudat, eo quod, verba ſunt Ferdinandi in laudata epiſtola: *facto aveano quello, che ſe convene ad amorevoli, boni, & Fedeli Vaſſalli*. De Epiſtolæ autem autentia dubitandi locus non reſtat, cum illam ipſe exſcripſerim ex autographo, quod in Archivo Capituli Beneventani ſervatur, eamque publici juris fecerim in Præfatione primi tomi collectionis monumentorum Hiſtoriæ Neapolitanæ. Ferdinandus forſan in concertationibus, quas cum Paulo II.,

Pii

Digitized by Google

Pii ſucceſſore, habuit, Beneventanam repetiit Civitatem. At de hac re alibi.

Septimum tandem *Capitulorum* Pium inter II. & Ferdinandum caput eſt, quod: *Præfatus Dominus Rex mandabit, & operabitur effectualiter, quod Comes Jacobus Piccininus infra terminum unius menſis... reſtituat SS. Domino Civitatem Antii, Nuceriam, Gualdum, Terras, & Caſtra, & quæcumque alia loca, quæ de bonis Eccleſiæ Romanæ recepit &c.* Ut itaque Ferdinandus fidem, quam hoc pacto dederat, liberaret, a Jacobo Picinino, quem ſuis ſtipendiis accepit, coemtis Patrimonii Romani Terris, præſertim Aſſiſio, & Gualdo, ut noſter ait Orator, illas Pio II. reſtituit. Quamobrem Orator dicit, Ferdinando, ſi quando revocanda foret Inveſtitura, tum Beneventanam Civitatem, tum Aſſiſium, atque Gualdum reddendas eſſe.

Unum poſtremo prætereundum non erit, ex quo Italici juris quæ tunc temporis fuerit conditio, intelligi queat; ait ſane noſter Orator: *Eſt potentiſſima orbis terrarum caput Ytalia Pontificio, Imperiali, Regioque jure decorata; & ſine horum jurium auctoritate indiviſibilis*. Ex hoc profecto Italici juris ſiſtemate maximum derivatur lumen ad Hiſtoriam rerum noſtrarum intelligendam. Quamobrem, ut ex innumeris ea de re exemplis unum ſeligam, eo ex jure repetendus eſt Regum noſtrorum primæ Dynaſtiæ titulus, *Regum* nempe *Italiæ*, qui paſſim occurrit in Rogerii, aliorumque Regum noſtrorum e gente Normanda diplomatibus. Hunc itaque titulum ex unico in Italia Monarchici juris Regno, quo jure Siciliæ illud potiebatur, deſumſerant illi, ut fuſius in eadem de Leonis Chronico diſſertatione oſtendam.

Hæc itaque ſatis ſit dixiſſe pro hujus Orationis prævio Commentario: innumera ſane quæ ceteroqui expendenda adhuc ad pleniorem illius intelligentiam forent, merito miſſa faciam, cum meæ non ſit Provinciæ rerum noſtrarum Hiſtoriam heic ſcribere, ſed paucis, quæ ſecundam adhuc egere manum videbantur, pro viribus perſequi.

ORA-

O R A T I O

ANDREÆ DE S. CRUCE

Ferdinando Regi Sicilie Andreas de Sancta Cruce Advocatus.

SCribit Plinius I. Socratem viginti talentis unam ſuam vendidiſſe orationem, Demoſtenem vero quinquaginta; ego juſſu tuæ Majeſtatis Mantuam ad Univerſalem omnium Criſtianorum Regum & Principum conventionem per Pium II. Pont. Maximum indictam acceſſi, ubi orationem infra deſcriptam pro tuorum Regnorum defenſione diſſerui. Scio nec materie, nec perſonis nec loco aliquam per quenquam habitam orationem majori premio dignam, niſi quædam pronuntiantis & verborum ornatus inequalitas eſſe poſſet. Recipiat eam. M. tua, in qua titulos omnes tui principatus aſcripſi; & tue perſone ad regium ſolium meritum, poſtquam noſtrorum temporum geſta rem publicam concernentia per me fideliter ſcripta, ſi hæc ſuo pretio compenſabitur, deſtinare curabo; in quibus tui genitoris in Italia geſta, ac tuos ad tui regni adeptionem ſucceſſus per leges ad tuorum conſiliorum ingerendis normam, cum ut plurimum ex preteritorum notione preſentia, & futura prudentius & accuratius, ordinantur.

Digitized by Google

Digitized by Google

Reſponſio facta oratoribus Regis & aliorum Principum Gallie pro Ferdinando Rege Sicilie in Dieta Mantuana per Andream de Sancta Cruce utriuſque juris doctorem Regium & ſacri Apoſtolici Conciſtorii Advocatum.

Reſponſurus Sanctiſſime Pater ad ea, que per illuſtres Criſtianiſſimi Principis Francorum Regis, aliorumque Principum Galliarum oratores pridie hoc in loco contra jura Sacratiſſimi Principis Ferdinandi Regis Sicilie V. Sanctitatis devotiſſimi filii dicta fuere, deducam breviſſime ejusdem in regno Sicilie jura, per que omnium aliorum jura hoc loco expoſita, inefficacia eſſe maniſeſtiſſime apparebit, verbis caritate plenis ad pacem, & ad armorum depoſitionem tendentibus, & ad finem hujus ſancte congregationis, & deſiderii V. S. facientibus. Si primo hoc unum præmiſero, quod ea quæ per dictos oratores pridie hic dicta fuere, nec hujus ſancte conventionis loco, nec tempori, nec eorum dominis, pro quibus verba fecere, conveniſſe. Venit S. V. maximo cum ſui corporis, eccleſiaſticique ſtatus incommodo, zelo tutandæ Criſtianæ religionis incenſa, ad hanc Mantuanam civitatem, ut devotiſſimos Criſtianæ religionis Principes conveniret, exortareturque ut murum ſe facerent in die belli. Ut uno ſpiritu anima una, mutuaque caritate bellum contra fidei hoſtem inirent, dimiſſo contentionis tribunali judicio Rome, ne V.S. mens huic ſancte rei intenta, privatis contentionibus turbaretur. Nec conveniebat hoſtibus fidei, quorum exploratores plurimos hic eſſe credendum eſt, noſtras, Criſtianorumque Principum infirmitates detegere, ſed unanimi voluntate principum Criſtianorum eos terrere: qui ergo hoc in loco Criſtianorum principum contentiones adducunt, rem loco impertinentem faciunt, & contrariam eis ad quæ hec con-

Digitized by Google

ventio extitit inſtituta. Tempore hoc Chriſtianæ religioni bellum indictum eſt per hoſtes fidei in pudicitias noſtrarum virginum debacchantes, veniunt contra nos unita potentia, quorum exercitus ſtrepitum audimus, & utinam ſolum de propagandis finibus, tollendis ſedibus, hominum natorumque noſtrorum ſervitutibus ageretur. Sed de templis, de ſacramentis, de ſepulchris, de parentum oſſibus, de ymaginibus, de annalibus, de litteris, de legibus noſtris delendis, atque perdendis intendunt. Sanctorum patrum editæ conſtitutiones ſunt, ac per duos immediatos predeceſſores S. V. litteræ publicatæ omnibus Criſtifidelibus, quibus mandatur hoc tempore per Criſtianos Principes contentiones, & arma deponi. Qui ergo inter Criſtianos Principes novas contentiones adducunt, & arma, rem tempori inconvenientem agunt, ac contra expediens Criſtianæ religioni de directo mandatis apoſtolicis adverſantes. Principes hii quorum nomine agitur, ſunt ex Criſtianiſſima Galliarum gente contra potentiſſimam Italie partem, a quibus duabus poteſtatibus potiſſima ſperantur hujuſmodi belli preſidia. Sacris litteris mandatum eſt populo Dei bellum agente, qui non venient, gladio eſſe perdendos, ut de Jabes, Galaath. Judicum XIX. legitur eſſe factum; & Ceſar in quinto commentariorum libro in fine aſſerit, hoc eſſe moris gallorum, ut qui ad commune bellum vocatus noviſſimus venit, in conſpectu multitudinis, cruciatibus omnibus affectus, necatur. Si qui ad bellum non veniunt, aut ultimi, gladio perdendi ſunt. Quid contra eos qui bellum contra hoſtes ordinari impediunt, ut bellum fidelibus inferant? Qui ergo hoc tempore de bello inter fideles agunt, rem eorum dignitatibus inconvenientem attemptant, ac divinas ipſorumque gallorum conſuetudinis penas incurrunt. Concluditur ex hiis, que pridie hoc in loco dicta fuere: nec loco nec tempori: nec dominis eorum qui premiſſa expoſuere dignitatibus conveniſſe: & hoc pro reſponſo dari ſufficeret. Sed ut auribus V.S., & aliorum qui premiſſa audierunt de jure

re

re prefati Sacratiſſimi Regis Ferdinandi ſatisfaciam, non ut judiciales contentiones adducam, ejus jura breviter enarrabo. Referamque primo in quibus ambo convenimus, demum veras juris concluſiones eliciam. In hoc Beatiſſime Pater ambe partes pariter convenimus Sicilie regnum ad Romanam ſpectare eccleſiam jure directo Criſtiano Principi infeudandum. Hoc Rogerii Primi Regis & Guilhelmi Primi recognitiones, & inveſtiture demonſtrant, qui regnum hoc ſignis, armis, & impenſa Romane eccleſie acquiſitum ab eccleſia Romana reverentiſſime receperunt. In hoc etiam ambo convenimus ad Fredericum Secundum Germanie Principem Romanorum Imperatorem ut Romanæ eccleſie feudum deveniſſe, ac eo ſuis demeritis, ac ſententiali judicio fuiſſe privatum. In hoc etiam pariter convenimus Carolo ſecundogenito Francorum regis pro ſe ſuiſque filiis maſculis tantum, & una femina, deficientibus maſculis, per Clementem Papam IV. primo fuiſſe conceſſum, ita ut ſuis armis & impenſa Manfredum ex Frederici jure venientem regno eiceret, quadraginta octo milia ducatorum annis ſingulis Romane eccleſiæ pro cenſu daret, Beneventanam civitatem pro ſede Summi Pon. deſignaret, certamque militiam ſua impenſa pro ſingulis Romane eccleſie neceſſitatibus paratam haberet: hiis modis, & conditionibus in Lateranenſi eccleſia Clementis Pape IV. auctoritate extitit inveſtitus, & coronatus Anno MCCLXV. Cui Carolus Secundus ejus filius ſucceſſit in regnum, qui de eodem a Celeſtino V. extitit inveſtitus & coronatus Anno MCCLXXXXV. hic Rex quinque (1) filios procreavit, cujus primogenitus Ca-

(1) Præteriit heic Andreas quatuor alios Caroli II. filios, nimirum Raimundum Berengarium, Johannem Clericum, Triſtanum, & Petrum Gravinæ Comitem: Hi ſane nullo loco in Hiſtoria habentur, tum quod Raimundus Berengarius, Johannes Clericus, ac Triſtanus Patri præmortui ſunt; tum quod Comes Gravinæ ſatis juvenis, annorum nimirum XXVI. obiit in prælio Florentinorum ad Montem Catinum, ut ex auctore *Genealogiæ Caroli I.* colligimus.

Digitized by Google

Carolus Martello cognominatus in Regem Ungarie electus eſt. Secundus filius Ludovicus ſanctam Religionem Minorum profeſſus, & ſanctorum cathalogo aſcriptus. Tertius vero filius Robertus ſapientiſſimus Princeps in Sicilie regno patri ſucceſſit. Quartus in principatum Tarenti. Et quintus in Ducatum Durachii eſt evectus. Hic ſapientiſſimus Robertus poſt patris obitum in Sicilie regno ſuccedens a Clemente Quinto extitit inveſtitus & coronatus Anno MCCCV. Cumque unicus filius Calabrie Dux patri premoreretur, relictis duabus filiis Johanna primogenita, & Eliſabeth, licet fratres & fratrum filios in regno haberet, cupiens primogenituram fratri Regi Ungarie & ejus filiis reſtituere, primogenitam Johannam ex filio Andree ſecundogenito Regis Ungarie in uxorem dedit, ut tam primogeniture jure, ac matrimoniali vinculo Andreas in regno ſuccederet, ſecundogenitam neptem primogenito fratris Regis Ungarie matrimonio copulavit; ſicque ſapientiſſimus Princeps neptes ambas Reginas fecit & Sicilie regnum primogeniture reſtituit, & ſue proli conjunxit: & in hoc Beatiſſime Pater pariter convenimus. Succedentibus in regno Andrea, & Johanna, ut ſupra relatum eſt, mortuo Roberto Rege cum Juvenculus puer in Neapolitano palatio inter puellares delitias verſaretur, ut virum cum uxore decet, prefata Johanna ſpiritu diabolico incenſa factione plurium aſtantium puellarum virum Juvenculum laqueo apud feneſtram ſuſpendit. Cunque ob ſceleſtiſſimum facinus Romane Eccleſie vindictam, cujus auctoritate plurimi interempti fuerunt facinoris conſcii, Johanna vereretur; ac timens exercitum Ludovici, qui ex regno Ungarie ad vindicandam fratris mortem magno cum exercitu veniebat, ipſa in Gallias in provinciam Provincie, & civitatem Avinionenſem, que ſue erant, aufugitur, ducto ſecum Carolo filio Ducis Durachii ſibi conſobrino patruele. Cunque ob Caroli pueritiam eum bello preficere non poſſet, ut ſibi preſidia conciliaret Andegavie Ducem adoptavit. Hoc eſt Andegavie domus juris prin-

Digitized by Google

principium ex viricida, e regno exule, Romanæ Eccleſiæ hoſte, nullo in regno jus habente; cum viro competiſſet ex Roberti patris inſtitutione, & ſi quod jus habuiſſet, feudorum jure ex homicidio ipſo jure privata extitiſſet. Abeuntibus Ungaris Regina Johanna preparata claſſe in regnum reverſa eſt, ac per regnicolas ſpe Caroli patruelis filii Durachii Ducis Juvenis in regnum recepta. Hec videns Carolum Ducis Durachii filium patruelem in virtutibus adoleſcere, ad quem regnum de jure ſpectabat, ſemotis Regis Ungarie filiis, adoptionem de Andegavie Duce . . . . videret, eidem provinciam Provincie in compenſam dedit, Avinionenſe Civitate partim ob delicti penam, partim pecunia recepta Romane Eccleſiæ relaxata: Ea mortua Carolus Durachii Dux ex filiis Caroli ſecundi Tertius cognominatus ſucceſſit in regnum, de quo per Urbanum VI. extitit inveſtitus, & coronatus Anno MCCCL. Hic, mortuo Lodovico Rege Ungarie, in regnum Ungarie vocatus eſt; Illucque accedens, Ungarie regnum pacifice aſſecutus, aliquorum factione extitit interemptus, remanente ſibi Ladislao, & Johanna filiis. Cunque Ladislaus minor eſſet, Andegavie Dux adoptione Johanne prime ad regnum aſpirans regimine deſtitutum, exercitum potentiſſimum paravit, ac regnum quaſi totum occupavit; Sed a Ladislao Caroli filio ſuffragio Gajetane Civitatis, que eum in Regem recepit & recognovit, Andegavie Dux cum omni exercitu extitit ex regno expulſus. Ipſeque Rex Ladislaus pacificus per Bonifacium Papam IV. in Eccleſia Principis Apoſtolorum Rome extitit inveſtitus & coronatus Anno MCCCC. Hic ad Ungarie regnum, & ad patris vindictam aſpirans & cum maximo ac potentiſſimo exercitu progrederetur, veneno interemptus eſt, abſque filiis decedens, cui Johanna ſoror ſua cognominata ſucceſſit in regnum. Que fe. re. Martini Pape V. auctoritate extitit inveſtita, & coronata Anno MCCCCXVII. Et licet contra eandem Ludovicus Andegavie Dux bellum movere preſumpſiſſet, nullo jure ſuffultus eam in Reginam reco-

Digitized by Google

recognovit, & veneratus eſt. Et cum ipſe Ludovicus Andegavie Dux ipſi Regine predeceſſerit, omnis ſpes ſue adoptionis, quam ſibi vendicare preſumpſerat, ſua morte evanuit, Johanna Regina omnium approbatione omni jure Andegavie domus excluſo manente. Vexata Johanna prefata a Ludovico Andegavie Duce, & ejus gentibus oppreſſa, glorioſe memorie Alfonſi Regis Aragonum, contra infideles bellum agentis, bello ſtrenui proximitate regni ulterioris Sicilie vicini preſidia imploravit: prefatus glorioſiſſimus Rex videns ſe juramento aſtrictum viduis oppreſſis auxilia petentibus non deeſſe, ſed eas pro poſſe tueri; ſua impenſa & militia perſonaliter ad regni protectionem venit, quo factum eſt, ut maternalem affectionem adoptioniſque jus in dicti regni ſucceſſione merito conquiſierit. Eaque mortua ad regni gubernacula protectionis jure vocari meruerit. Et licet ſancte memorie Eugenius Papa IV. pro Ro. Eccleſia non pro principe aliquo regnum acquirere optarit, deſtitutus ſpe certas conditionales diſpoſitiones in Renatum Ludovici filium fecit: videlicet ſi pragmatica contra Eccleſie libertatem facta ex regno Francie tolleretur: Andegavienſis & Arelatenſis Eccleſiarum poſſeſſio eis, quibus apoſtolica ſedes contulerat, pacifice aſſignarentur, & certa pecuniarum ſumma infra tempus certum pro neceſſitatibus recuperationis ſtatus Eccleſie incumbentibus ſolveretur: & Baſilienſe concilium ad ſciſma anelans diſſolveretur. Hiis non ſecutis, ut dominorum & populorum regni Sicilie deſideriis ſatisfaceret, ne deſtrueretur, ipſique regno, & terris Ro. Eccleſie pacem daret, revocatis quibuſcumque aliis diſpoſitionibus ut dictum eſt conditionaliter factis, & non impletis, jure, & neceſſitate ſtatus Eccleſie tam in temporalibus quam in ſpiritualibus exigentibus, regnum ipſum prefato glorioſiſſimo Principi Alfonſo Regi, qui pietate vocatus venerat, qui regnum protexerat, a quo recognoſcebatur in Regem, qui Eccleſiæ terras a Tyrannis oppreſſas protegere ſperabatur concedere ſtatuit, ac eum in Regem preficere; deſtinato

que

que Legato Apoſtolico in Terracenam Civitatem de regno inveſtivit, ac per bone memorie Cardinalem Sancti Pauli vulgariter nuncupatum, ad eum Regem miſſum, bullam deſtinavit, qua ut ab omni catholico Antiſtite coronam recipere poſſet permiſit. Hic glorioſiſſimus Rex volens ſibi Ro. Eccleſiam & regni jura benemeritis vendicare, videns Marchiam Anconitanam, precipuaſque Ro. Eccleſie terras Aſſiſium & Tudertum pluresque in patrimonio beati Petri a Tyrannis oppreſſas; propriis regni ſumptibus, laboribuſque non parcens, magno cum exercitu perſonaliter in Marchiam profectus eſt. Quo factum eſt ut omne patrimonium Eccleſie ad ſancte memorie Eugenii Pape manus & obedientiam redire coegerit, ipſo Eugenio, ejuſque fidelibus ſe non mediocriter juvantibus. Reverſoque in regnum dicto rege mandatis Eugenii Pape obtemperante, iterum congregato exercitu prope urbem venienti ad Civitatem Tyburtinam ut hyemaret injunctum eſt. Quo tempore prefatus Pont. Eugenius e vita aſſumptus eſt, ac ab hoc ſeculo migravit, in cujus pontificatus vacatione tanta cum reverentia ad Eccleſie unitatem & pacem ſe habuit, Sacrum collegium exortando ad futuram liberam ſanctam futuri Pont. max. electionem, optimos cives patrie monendo, diſcolos aſtantes minis & terroribus comprimendo, ut maxima pars pacis patrie, & pacifice electionis ſecute ſibi aſcribi potuerit; relaxatiſque omnibus terris ſancte memorie Nicolao Pape Pontifici aſſumpto, dimiſſaque libere Tyburtina civitate & pro receptis, dignis muneribus pro reparatione publicorum locorum compenſata, mutuatiſque eidem Pontifici, qui cum maxima paupertate Pontificium ingreſſus fuerat, ducatis xxxxv. millibus, dandis certis armigeris, qui civitatem Eſium Marchie occupabant; eaque recepta per Pontificem, omnibuſque in pace dimiſſis, illatoque bello ad penam hiis, qui Eccleſie occupatoribus preſidia publica preſtiterant, eiſque patratis, pro afflictis in regnum Sicilie rebus reverſus eſt. Demum Ytalicorum dominos de mutua occupatione certantes

adeo exercitualibus tumultuationibus terruit ut arma deponere, & ejus timore federa ligamque inire didicerint, quam ipſe ut pacis amator amplexus eſt, totamque Italiam federe pacis vinxit (1), Romanum Pontificem pro pacis conſervatore deputari voluit, omneſque qui ſibi adverſati fuerant ad gratiam recepit. Tantaque juſtitia & pace ipſum regnum, ejuſque populum gubernavit, ut non lictoribus, non faſcibus, aut ſecuribus, non armatis militibus, ſed inermis ephebum Principum juvenumque caterva comitatus ſpatiaretur in ſilvis, ibidemque ut plurimum pernoctaret. Auditaque Conſtantinopolitane civitatis clade, omnium populo ex grecis qui Criſtianam religionem tuebantur, preſidia non mediocria preſtitit, tandemque a S. V. predeceſſore Calixto Papa excitatus calicem (2) aſſumpſit & niſi ipſe Pontifex ſecum de prudentia & certis privatis affectibus contendiſſet, talia Criſtiane religioni preſidia preſtitiſſet, quod pericula quibus agitamur, & pro quibus hec ſancta conventio facta eſt minime imminerent. Poſtremo cum ſe morti proximum vidit, Ferdinandum filium, trium ſummorum Pontificum auctoritatibus ad regni Sicilie ſucceſſionem admiſſum, & quem ad regni gubernacula adeo inſtruxerat, ut figuli more alterum ſibi conſtituiſſet, heredem teſtamento inſtituit, eumque in ſolio regio ante obitum videre voluit, ac per eum primo, demum per alios omnes aſtantes Principes adorari;

(1) Loquitur hein Andreas de pace, quæ inter Venetas, atque Alphonſum peracta eſt, Anno nimirum MCCCCL. menſe Auguſto, quæ Neapoli evulgata fuit in Cathedrali Eccleſia. Quo quidem anno objere Rainaldus Urſinus Plumbini Dominus, & Americus Sanſeverinus Capacci Comes. Quamobrem Alphonſus, rebus undique pacatis, voluptatibus unice ſeſe dedidit cum Lucretia de Alagnio filia Dynaſtes Turris Annuntiatæ. Lege Diurnalia Ducis Montis Leonis.

(2) Expeditionem nimirum contra Turcas aggreſſus eſt. Cum enim Principum quis hanc aggrederetur expeditionem a Pontifice Romano, qui Miſſam celebrababat, communionem recipiebat; quæ ſane miſſa dicitur in illius ævi ſacramentariis; *Miſſa contra infideles*, & alibi: *Miſſa ad ſuſcipiendam Cruciatam*.

Digitized by Google

ri; conſignatiſque eidem ſceptro, fortiſſimis ac inexpugnabilibus arcibus, omnique regia ſupellectili, religioſiſſimus Princeps animam Deo dedit. Et licet defecta omni Caroli prole, omnique Andegavie domus jure ſublato, triumque ſummorum Pontificum auctoritatibus jus ſuum uſque ad obitum fuiſſet firmatum, ac ſtabilitum, ut ſibi jus in nullo deeſſet, & ne ea, que eo vivente facta fuerant, ejus reverentia facta fuiſſe per aliquos dici poſſet, Calixtus Pontifex poſt ejus obitum, cum contra eum ejuſque prolem minas, & odia fulminaret, bullam edidit, pro qua & ſi contra Ferdinandum filium injuſte inveheret, jus Regium Alfonſi Regis comprobavit, & ſtabilivit, ſtatuens uſque ad ejus obitum ipſum Regem fuiſſe. Quisque ex iis faciliter quod juris eſt poteſt elicere; & quante differentie ſit Andegavie domus principium, medium, & finis ab Alfonſi Regis principii, medii & finis juribus. Inchoavit Andegavie dux a Johanna expulſa (1) nullum habente jus, vocatus ad regni occupationem & Italice partis perturbationem; Alfonſus Rex a vera Regina, in quam vera Caroli Primi progenies declinaverat, & finierat, vidua oppreſſa ad defenſionis jus naturali jure promiſſum ad regni tutelam & pacem; medium Andegavie domus fuit jus nullum habuiſſe, ſi quod jus ſibi pollicitum fuiſſet jure legitimo perdidiſſe, & Siciliæ regnum & Eccleſie terras ſepius bello turbaſſe atque inquietaſſe; medium Alfonſi Regis extitit regnum quietaſſe, delinquentibus peperciſſe, Eccleſiam tutaſſe, ac optimis meritis jura regni continuo auxiſſe; finis autem noſtrorum temporum eſt Andegavie domus, ut defecto omni jure ſucceſſionis Caroli primi, & ſic nullo exiſtente ex ipſius Ca-

(1) Expulſa Johanna dicitur eo, quod poſt illatam Andreæ necem a Pontifice Romano fuerat excommunicata, atque edita Bulla *Regno* privata. Orator itaque, illius ætatis ſiſtema ſecutus, nullum dicit eſſe jus Andegavienſis Ducis, quippe qui a Johanna, quæ Regio jure ex Papæ edicto carebat, adoptatus, atque ad Regni ſucceſſionem advocatus fuerat.

Caroli vocatione, jure ipſa Andegavie domo nullum jus habente, cum de inferendo bello contra fidei hoſtes agitur, Criſtianorum conventionem impedire atque turbare. Finis vero Alfonſi & Ferdinandi eſt quatuor ſummorum Pontificum auctoritate regium jus firmaſſe, jura omnia Eccleſie recognoviſſe, omnes ſubditos in eorum juſtitia & pace confovere, ac contra infideles, ſi non inquietetur, arma convertere. Explicato jure eterne memorie Alfonſi Regis, ſupereſt ut ad Sacratiſſimi Ferdinandi Regis jura conſcendam. Et ſi ex premiſſis ſatis clare appareant Sacratiſſimi Ferdinandi Regis ſucceſſionis jura, tamen ut uberius, ac maniſeſtius ſua poſt patris obitum jura innoteſcant, dico, Ferdinandi Regis in Sicilie regni ſucceſſione legitimam ſucceſſionem firmari, primo patris deſiderio & teſtamento; Secundo omnium Principum & populorum unanimi electione; Tertio V. S. & Romane Eccleſie auctoritate. Quarto paternarum virtutum imitatione. Quantus fuerit ſancte memorie Alfonſi Regis continuatum deſiderium, ut Ferdinandus filius ſibi in Sicilie regno ſuccederet, ex eo facile comprehendi poteſt cum XVIII. continuis annis poſt prima litterarum rudimenta eum ut ſibi aſſiſteret injunxit, feceritque ut nihil verbo vel ſcripto regia auctoritate mandaretur, quin ejus filiationis, & primogeniture denominatione fieret. Nil regium expediretur, divinum humanumque jus concernens, quin Ferdinandus, ut filius intereſſet, ac in eum regiam diſciplinam figuli more componeret, omnium regni Principum filios Ferdinando coetaneos ſecum ali, ac ſecum regia diſciplina imbui injunxit, ut ſicut regni gubernacula, ita & regiarum diſciplinarum animorumque notitiam relaxaret. Nulla in hiis mandandi, ſed intereſſendi ſola auctoritate conceſſa, ut primo in eum animam poſtea linguam faceret eruditam regie diſcipline. O clariſſimum, & perſeverans regium deſiderium. O maximam filii in patris obedientiam. O utriuſque in alterum adſenſum pientiſſimum. O ſapientiſſimum conſilium ad conſtituendum ſibi

bi idoneum ſucceſſorem . O per ſingulos orbis Principes imitandam in natos regia diſciplina erudiendos . Apud ſe ſapientiſſimum regem tot annis continuo regia dignitate educatum filium tacentem , nulla dicendi , ſed ſolum audiendi auctoritate preditum educaſſe , ut facile dici poſſit conſilio feciſſe, quod natura impoſſibile eſt patris in filium perſeveraſſe ſubſtantiam. Compoſitis quæ in regno perfici poterant , cupiens Ferdinandi filii perfectionem in regiam dignitatem , eum extra regnum regio exercitui prefecit , quod niſi experimento , & decernendi auctoritate perfici non poterat . Demum completis omnibus Regi convenientibus diſciplinis , ſenio gravis , ſuperveniente obitus tempore , quod ſcriptis , & editis publicis preconiis notum fecerat , executionem habere cupiens, Ferdinandum filium in ſolio ſedentem videre voluit ; & ut Regem per ſe primum demum per cunctos alios aſtantes Principes adorari . Sacris omnibus omnique theſauro regiaque ſupellectili, fortiſſimis arcibus conſignatis eum Regem voluit vivens moriendo ſentire . Ex quibus quantus fuerit Alfonſi Regis deſiderius, ut Ferdinandus filius in regno ſuccederet, cunctis clariſſime innoteſcit , quod fuit primum , quo dixi regium jus in Ferdinandum patris voto legitime fore transfuſum. Supereſt ut ad ſecundum deveniam, ut oſtendam quantus fuerit populorum aſſenſus , ut Ferdinandus patris voto ac teſtamento heres preficeretur in Sicilie regnum : omittam id quod Alfonſo Rege vivente oſtenſum eſt, ne ipſius Alfonſi reverentie aſcribi poſſet . Mortuo Alfonſo convocatis omnibus regni Principibus communitatumque oratoribus in Capuanam civitatem tam conſors , quam unanimis , tam liber , & promto deſiderio omnium regni procerum populorumque acceſſit adſenſus ut regno preficeretur , quo neglectis minis & tumultuationibus , que in limitibus regni fremebant eumdem in regem eligunt & unicum Regem regis heredem filium & legitimum ſucceſſorem leto animo recognoſcunt, omnibus acclamantibus , vivat Rex Ferdinandus : publica

Digitized by Google

blicas functiones & alia regia jura prompto animo offerentes; ad que nullus ex regni principibus aut populis defuit, & ante alios Tarentini Principis oratores. Et deputatis totius regni nomine ad bone memorie Calixtum Papam, & demum eo mortuo ad S. V. ex primioribus regni Principibus illuſtribus Duce Andrie, Comite Sancti Angeli, & Carolo de Campo vaſio, quibus demum adjunctis extitit Reverendus pater dominus Archiepiſcopus Beneventanus ex inſigni regni proſapia (1) & doctoribus duobus ex primioribus conſilii regii oratoribus, ea a prefato predeceſſore, & eo tunc vita functo a S. V. petierunt, que Regis filio heredi & legitimo ſucceſſori de jure & infeudationis forma bullarumque apoſtolicarum tenore ab Apoſtolica ſede debebantur, id eſt eundem de regno inveſtiri & debite coronarii: & ut a turbulentis comminationibus prefate S. V. predeceſſor deſiſteret, nec eos in eorum pace turbaret, aſſerentes hanc omnium Principum populorumque mentem fore, & ut eorum juſtis deſideriis ſatisfieret adjicientes feudi dominum eadem lege aſtringi prefixo a jure tempore ad prebendam petitam inveſtituram quibus, & vaſallus ut petat, & quorum culpa deficeret easdem eſſe comminatas a lege penas. Hec tam publica, & nota ſunt, ut non oporteat verbis ulterioribus magnificari, ex quibus conſtat Ferdinandum in Regem populorum voto, & electione adſumptum, quod fuit ſecundum. Quantum divina pontificaliſque auctoritatis cerimoniarumque forma regie dignitati Ferdinandi Regis ejuſque ſucceſſioni acceſſerint, repentina cominantis Pontificis

(1) Is erat Nicolaus Piccolomineus, qui, teſte Mario de Vipera in ſua *Archiepiſcoporum Beneventanorum Chronologia*, Beneventanum Epiſcopatum ingreſſus eſt eodem Anno, atque paucos ante menſes, quam Calixtus vita fungeretur. Hunc autem Nicolaum *ex inſigni Regni proſapia* fuiſſe ſcribit Orator noſter, cum jam tum in Platea Nidi Piccolominea gens recenſeretur. Orator autem, ut Pontifici blandiretur, qui eadem ex familia erat, tantis proſequitur laudibus Nicolaum illum Beneventi Archiepiſcopum.

Digitized by Google

cis mors, & divina V. S. electio illicò poſt Alfonſi Reges obitum, non humana cogitationi, ſed miraculis ultra vires & potentias naturales emanantibus, adſcribenda, judicium perhibent, de quibus plura commemorarem, quæ ad divinam volutantem, & miracula aſcribi neceſſario fore concluderiem, niſi defunctorum piacula ſuaderent ſylentium: notiſſimum eſt divinum choruſcaſſe judicium, cui quantum S. V. adheſerit, & Dei ſententiam & juris ſecuta abſque alicujus prejudicio cunctis conſtat: Cerimoniarum debita forma, atque publica, quæ celebris omnium plauſu, & devotione ſervata ſit in ejus inveſtiturà, & coronatione omnibus, qui in locis interfuerunt innotuit; facte fuerunt coram omni populo omnibus regni principibus, ac populis preſentibus, & poſt coronationem Juramenta fidelitatis preſtantibus, & ordine, & modo, ut legibus Juris ſtatutum eſt vexillo Sancte Romane Eccleſie pro Inveſtiture ſigno eidem devotiſſime tradito, per ipſum S. Romane Eccleſiæ, & S. V. legato, & omnibus ſucceſſoribus legitime intrantibus Juramentum fidelitatis, & obſervantie omnium, que in forma infeudationis continebantur, preſtitum eſt: precedentibusque Jejuniis, penitentia, & Lotione corporis diebus ſeptem preparatis ſacris inter miſſarum ſolemnia oleò ſacro unctus regiis inſignibus decoratus. Solio, & ſceptro regiis, ut Judicando cunctis regni populis recta judicaret. Gladio, & armis, ut populos in die belli precederet, & eos ab hoſtibus tueretur. Trabea veſte, ut religioni, & conſiliis intenderet, regia corona, & regalia inſignia Jure debito, & Pomo regio, ut eo regni poſſeſſionem ſub ſua poteſtate tenere omnibus appareret: triumphali equitatu omnium applauſu, & obedientia inveſtitus, & coronatus fuerit, ut recte dici poſſit in ejus dignitatis aſſumptione nil ex divinis favoribus, & ſacrorum ſolemniis, & cerimoniis defuiſſe. Sicque in eum adfuiſſe, que inveterata pontificali approbatione divino ſcriptoque Jure, pontificalibuſque decretis ſancitum eſt, quod fuit tertium. Supereſt, ut oſtendam Fer-

Digitized by Google

